ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

Tomus IV.

Monumenta et Literaturam de primatu e Sec. XIX usque annum 1865. complectens.

NITRIAE ET COMAROMII. 1867.

TYPIS FRATRUM SIEGLER.

ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

ALMA COLLEGE
213
LIBRARY
R732
Alma California

Tomus IV.

Monumenta et Literaturam de primatu e Sec. XIX usque annum 1865. complectens.

NITRIAE ET COMAROMII. 1867.

TYPIS FRATRUM SIEGLER.

44578

Conspectus.

Monumenta de Primatu Sec. XIX.

Mon.		Pag.
1081.	*Pii VII* PP. *prima Encyclica* ad Eppos 1800 . .	1
1082.	*Ecclesiae Armenae* testimonia pro Primatu . .	3
1083.	*Pius VII* PP. Eppis *Galliae*, ut modernas Sedes resignent, 1801	14
1084.	Idem contra Iansenisticum Eppum *Harlemensem* 1802	19
1085.	Idem de erroribus *AEppi Alepensis* apud Melchitas	22
1086.	Idem *AEppo Vindobonensi* de dispensatione in die Sabbathi	24
1087.	Minister *Gallicus* de titulo Praesulum: ‚Dei et Ap. Sedis gratia'	27
1088.	*Pius VII* PP. contra Eppum *Daventriensem* Iansenisticum	28
1089.	Idem ad *Primatem Germaniae* de Sabbathali dispensatione	30
1090—1093.	Eppi et Capitula *Italiae* retractant declarationem, quam *Napoleon* ab iis de *Gallicana anni 1682 doctrina* extorserat	34
1094.	*Pius VII* PP. contra AEppum *Ultraiectinum* Iansenisticum	41
1095.	Idem annullat nominationem *Napoleonis* pro Ecclesia *Monasteriensi*	43
1096—1098.	Idem de dismembratione Dioecesis *Constantiensis*, item de Vicario *Wessenberg*	45
1099.	Idem ad *Patriarcham Alexandrinum Coptorum* pro Unione	54
1100. 1101.	Idem AEppis *Gnesnensi* et *Mohiloviensi* contra *Societates Biblicas*	56. 58
1102. 1103.	Idem de Vicario Constantiensi *Wessenberg* 1817 .	62. 63
1104.	Idem AEppum *Lugdunensem* ab officio removet 1817	65
1105. 1106.	*Poenitentiaria Romana* de *IV propositionibus Gallicanis*, et de *ope acatholicis ferenda*, 1820. 1822	67
1107.	*Graeciae* incolae ad *Leonem XII* PP. pro Unione 1825	68
1108.	*Leo XII* PP. contra Eppum *Daventriensem* schismaticum	70
1109.	Idem ad *Anticoncordatistas* Gallos 1826 . .	72

Mon.		Pag.
1110.	Reflexiones S. Sedis quoad *Catechismum Herbipolensem* 1827	79
1111.	Conc. *Baltimorense* in America ad Summum Pontificem 1829	81
1112.	Eppus *Leodiensis* de Primatu 1830 . . .	82
1113—1115.	Eppi *Galliae* de erroribus *Lamennei* ad S. Sedem 1832	84

1116.	*Gregorius XVI* PP. ad Eppos de doctrina *Lamennei*	95
1117—1119.	Idem de erroneis libris in *Helvetia* et *Germania* 1833 . . . . . 105. 108.	112
1120.	Idem ad Eppos de *Lamenneii* libro pestifero 1834	120
1121—1124.	Idem ad Capitula et Praesules *Helvetiae* pro iuribus Ecclesiae	128
1125.	Idem condemnat articulos *Conferentiae Badensis* 1835	134
1126.	Idem damnat *Synodum Melchitarum Antiochenam*	142
1127.	Idem Eppum *Nuscanum* in Sicilia a regimine Eppali removet	145
1128.	Card. Secr. Status ad Eppum *Melitensem* de Consilio Civili acatholico	147
1129—1133.	Rescripta S. Sedis de doctrina *Hermesiana* 1835. ss.	149
1134.	*Gregorius XVI* PP. ad Clerum *Armenum* CPnum 1836	157
1135.	Idem de Altari supra sepulchrum Petri et Pauli App.	160
1136. 1137.	AEppus *Coloniensis* contra errores Hermesianos 1837	161
1138.	*Americani* Praesules e Conc. *Baltimorensi* 1837	163
1139.	*Gregorius XVI* PP. in *Indiis Orientalibus* res Ecclesiae coordinat	163
1140.	Idem de defectione *Graecorum* in *Russia* 1839	169
1141.	Idem ad Eppos de succolandis *Missionibus* Apostolicis	173
1142.	*Americani* Praesules de negotio *Coloniensi* et *Posnaniensi* 1840	179
1143—1146.	AEppus G. R. *Leopoliensis* de Primatu, cum responso Papae . . . . . 182.	197
1147.	*Americani* Praesules e Conc. *Baltimorensi* 1843	204
1148. 1149.	Eppus *Diniensis* in Gallia, et *Patr. Armenus Ciliciae* . . . . . 206.	208

Mon.		Pag.
1150.	*Gregorius XVI* PP. ad Eppos contra *Societates Biblicas*	209
1151.	Eppus G. R. *Chelmensis* retractat innovationes rituales	218
1152—1157.	Eppi *Germaniae* contra sectam *Germano-Catholicam*	220

1158.	*Pius IX* PP. in *prima Encyclica* de Primatu 1846	226
1159. 1160.	Idem restituit *Patriarchatum Ierosolymitanum* 1847	228
1161.	Idem Eppos ad arctam cum Cathedra Petri unionem excitat	234
1462.	Eiusdem Encyclica ad *Orientales* pro Unione 1848	239
1163.	Idem de obitu AEppi *Parisiensis* . . .	248
1164. 1165.	Idem de *Patriarchatu Chaldaeorum Babylonico*	250
1166.	Idem electionem Eppi *Moguntini* reiicit 1849	253
1167.	Eiusdem Encyclica contra *Socialismum et Communismum*	254
1168—1184.	Eppi *Galliae* in suis Conciliis de Rom. Pontifice	272
1185.	Synodus plenaria in *Hibernia* de Rom. Pontifice 1850	301
1186.	*Pius IX* PP. Eppo *Nanceiensi* contra sectam *Vintrasii*	301
1187—1189.	Idem de *AEppi Goani in India* retractatione 1851	305
1190.	Eppus *Aurelianensis* de Primatu 1851 . .	314
1191. 1192.	*Pius IX* PP. damnat libros *Vigilii*, et Nuytzii .	315. 318
1193.	Idem indicit *Iubileum* 1851	323
1194—1197.	Concilia: *Leodiense, Westmonasteriense, Baltimorense*	327. 328
1198. 1199.	Eppi: *Nitriensis, Fogarasiensis* de Primatu 1852	330. 334
1200.	AEppus *Lugdunensis* damnat librum *Prompsaultii* contra Primatum 1853 . . .	338
1201.	*Pius IX* PP. de *Orientalibus* 1853 . . .	352
1202.	Eiusdem Encyclica ad *Armenos* 1854 . .	355
1203.	Syn. *Laudensis* de Rom. Pontifice 1854 . .	362
1204.	*Pius IX* PP. indicit *Iubileum* 1854 . .	363
1205.	Idem alloquitur Praesules a. 1854 Romae congregatos	368
1206—1209.	Concilia: *Ravennatense, Baltimorense, Remense*	375. 377
1210.	*Pius IX* PP. AEppo Coloniensi de doctrina *Güntheriana*	382

Mon.		Pag.
1211.	Idem excommunicat AEppum *Ultraiectinum* schismaticum	385
1212—1219.	Concilia: *Strigoniense*, *Viennense*, *Baltimorense*, *Venetum*	387. 391. 393 396
1220.	*Pius IX* PP. Eppo Vratislaviensi de *Güntherismo*	398
1221—1226.	*Lovanienses* Theologi de *Traditionalismo* 1860. ss.	400
1227—1230.	Concilia: *Pragense*, et *Coloniense* de R. Pontifice	413. 415
1231—1233.	De *Bulgaris* ad Unionem reversis 1861 .	420. 422
1234—1239.	*Pius IX* PP. instituit *Congregationem pro negotiis Orientalibus;* — Conventio *Leopoliensis* — 1862—1864	424
1240.	Idem ad Eppos *Portugalliae* 1862 . . .	454
1241.	Idem damnat errores Professoris Monacensis *Frohschammer*	458
1242. 1243.	Societas Catholica Germaniae de *Universitate Catholica* 1863	464
1244. 1245.	Eppus *M. Varadinensis G. R.* de Primatu 1863	466
1246—1249.	Conc. *Colocense* de Rom. Pontifice 1863 .	478
1250—1253.	*Conventus Theologorum Monacensis* 1863 .	486
1254.	Eppus *Recinetensis et Lauretanus* de Primatu 1864	495

Literatura Seculi XIX.

I. *De Primatu.*

Decennium I. a. 1800—1809. Contra Primatum: *Nehr*, *Christmann*, *Planck*, *Forster*, *Werkmeister*, *Beaufort* etc.; pro Primatu: *Marchetti*, *Giorgi*, *Milner*, *Settecolli*, *Gerdil*, *Molkenbuhr*, *Kistemaker*, *Muzzarelli*, *Fröhlich* etc. . . .		509. 511
Literatura specialis *de conversione ‚F. L. Com. Stolberg'* .		515
Decennium II. a. 1810—1819. Contra Primatum: *Pereira*, *Marsh*, *Danzer*, *Estrup*, *Irenaeus II* et multi anonymi; pro Primatu: *Maistre*, *Seraphinus*, *Mozzi*, *Krammer*, *Fea*, *Doller*, *Geiger*, *Fischer*, *Gandolfi* etc.		516. 518
Controversia *Stolbergiana*		525
Literatura de *Iubileo protestantico anni 1817* . . .		526
Decennium III. a. 1820—1829. Contra Primatum: *Mendoza*, *Llorente*, *Braun*, *Brendel*, *Otto*, *Blancho-White*, *Spittler*, *Münch*, *Krug* etc.; pro Primatu: *Alber*, *Walter*, *Kastner*, *Frey*, *Binterim*, *Katerkamp*, *Veith*, *Hohenegger*, *Möhler*, *Ziegler*, *Görres*, *Geggarini*, *Wolf* etc.		542. 553
Controversia *Stolbergiana*		565

Pag.

Controversia *Halleriana* 568
Scripta de *formula professionis fidei cath.* . . . 571
Literatura de opere: *Stunden der Andacht* 579
Literatura de opere: *Die kathol. Kirche Schlesiens* . . 583
Decennium IV. a. 1830—1839. Contra Primatum: *Reichlin-Meldegg, Eisenschmid, Paulus, Mendham, Baur, Eichhorn, Alex. Müller, Carové,* et permultae dissertationes in *diariis literariis;* pro Primatu: Probst, Waibel, Schenkl, Hagel, Felsecker, Wiseman, Dengler, Capellari, Smets, Haller, Roskovány, Hefele, Rothensee, Riffel, Gengler, Perrone, et disquisitiones plurimae in *scriptis periodicis* . . . 587. 605
Literatura de *scriptis iubilaribus Protestanticis 1830* . . 625
Literatura de *scriptis Saxonicis* contra Primatum . . 634
Literatura de scriptis reformatoriis *in Dioec. Trevirensi* . 638
Literatura de *opusculis Helveticis* 641
Literatura *Hermesiana* 643
Decennium V. a. 1840—1849. Contra Primatum: *Bretschneider, Ellendorf, Ammon, Handel, Balitzki, Lampadius, Sander, Wangenmüller,* etc.; pro Primatu: *Jager, Kempeneers, Orioli, Grassellini, Seitz, Riegler, Palma, Perrone, Penka, Soglia, Kenrick,* etc. 656. 671
Correspondentia inter *Eppum Rupellensem,* et *Ioannem Voigt* 690
Literatura *Hermesiana* 702
Literatura *Germano-Catholica* 708
Literatura anni 1844 pro et contra 708. 711
Literatura anni 1845 . . . . . 713. 729
Literatura anni 1846 . . . . . 753. 756
Literatura a. 1847—1849 . . . . . 765—772
Decennium VI. a. 1850—1859. Contra Primatum: *Jentsch, Eichler, Vigil, Marriott, Bunsen, de Sanctis, Wimmer, Brandt* etc.; pro Primatu: *Phillips, Zetter, Cercia, Hergenröther, Perrone, Ventura, Döllinger, Baldauf, Passaglia* etc. . 774. 781
Literatura *Germano-Catholica* 802
Literatura *Güntheriana* 804
Literatura *Irvingiana* 811
Decennium VII. a. 1860—1865. Contra Primatum: *Munzinger, Hase, Beyer, Perez,* etc.; pro Primatu: *Murray, Hasel, Giorgi, Schouppe, Adone, Bouix, Gerbet, Ketteler* etc. . . 814. 817
Literatura *Germano-Catholica* 830
Literatura *Renaniana* 832
Lit. Ren. anni 1863 a) Gallica 832
b) Italica 841
c) Germanica 843
Lit. Ren. anni 1864 a) Gallica 845
b) Italica 849

Pag.

c) Germanica 851
d) Hungarica 856
Lit. Ren. anni 1865 857
Literatura de *Iansenismo* decursu Seculi XIX . . . 860
Literatura de *Ioanna Papissa* Seculo XIX 863. 864
Literatura de *Ecclesia Graeca* Sec. XIX 866. 870
Literatura de *Concilio Tridentino* Sec. XIX 880. 881

II. *Pontificatus et Civile Imperium.*

Literatura ex primis duobus decenniis 1800—1819. generalis: *contra* Primatum: *Paulus, Ruez, Zachariä, Planck, Reibel, Häberlin, Kopp* etc.; *pro* Primatu: *Zintel, Christmann, Gerdil, Dalberg, Frey, Ziegler, Doller, Zirkel, Onymus, Kohlmann* . . . . . 885—896
Literatura specialis de *controversia Wessenbergiana* . . 896
Literatura de *Concordato Bavarico* 904
Literatura de opusculis *Hetruriam* concernentibus . . 910
Decennium III et IV. a. 1820—1839. Contra Pontificatum: *Klüber, Alex. Müller, Walchner, Lanjuinais, Pradt, Krug, Münch, Hüllmann, Carové*, etc.; pro Pontificatu: *Wolf, Haitz, Marchetti, Frank, Staudenmaier, Reisach, Moreno etc.* 911—923
Literatura de controversia *Borussica* a. 1837 enata . . 923
Decennium V. a. 1840—1849. Contra Pontificatum: *Riedel, Glück, Sievert, Scheurl, Biber, Rosmini* etc.; pro Pontificatu: *Longner, Palma, Phillips, Walter, Buss, Theiner* etc. . 934—941
Literatura *Würtembergica* 936
Literatura de *Hispania* 941
Literatura de controversia *Borussica* 945
Literatura de operibus *reformatoriis et seditiosis a. 1848. et 1849* 948
a) extra fines Imperii Austriaci 948
b) Literatura *Imperii Austriaci* 951
Ephemerides Viennenses . . . 956
Literatura *Hungarica* 965
Decennium VI et VII. a. 1850—1865 . . . . . 968—983
Restitutio Hierarchiae in Anglia 968
Restitutio Hierarchiae in Hollandia 972
Literatura de *Concordato Austriaco* 983
Literatura de *Concordato Würtembergico* . . . 994
Literatura de *Concordato Badensi* 1000
Literatura de controversiis circa *Nuntiaturas* . . . 1005
Literatura de *Placeto Regio* 1014
Literatura de *Gallia, Libertatibus Gallicanis* . . . 1023
1. Ab initio Seculi usque a. 1817 1023

Pag.

2. Ab a. 1817 usque a. 1830 1033
Speciatim de operibus *Montlosieri* et *Lamennaisi* . 1043
3. Ab. a. 1830 usque a. 1848 1046
Literatura de *Lamennaisio* 1058
4. Ab. a. 1848 usque a. 1865 1063
Diaria Gallica a. 1848 1064
Literatura de relatione Ecclesiae ad Statum Civilem decursu Sec. XIX. 1085
1. Contra iura Potestatis Eccles. 1085
2. Pro iuribus et libertatibus Ecclesiae . . . 1112
Specialis Liter. *Sardinica* 1850 1145
Liter. de conflictu in *Provincia Rhenana Sup.* . 1153
Literatura de *Ordinibus Religiosis* 1183
Literatura de *Iure Patronatus* 1191
Literatura de *Ecclesia et Schola* 1195
Speciatim in *Gallia* 1843. ss. 1200
in *Austria* 1862 1221
in *Bavaria* et *MD. Badensi* . . . 1224. ss.
Literatura de *bonis ecclesiasticis* 1231

Literatura de *Societate Iesu* 1258
Pars *Historica:* de Literis Ap. Sedis, Constitutionibus, Privilegiis etc. . . . 1258
De *Sacris Exercitiis* 1260
De *SS. Missionibus* 1262
De *historia Ordinis* 1262
Pars *Polemica* complectens scripta *pro* et *contra* de Soc. Iesu . . . . . 1265—1307
Speciatim in *Gallia* 1820. ss. . . . 1274. 1282. 1296
Literatura de *Clemente XIV* Papa, qui Societatem suppressit 1300

MONUMENTA DE PRIMATU.

SECULUM DECIMUMNONUM.

1081.

E prima **Pii VII** Encyclica ad Eppos, A. 1800.

MON. Diu satis videmur apud vos tacuisse. Nunc exactis duobus iam mensibus, iisque non cura nec labore vacuis, ex quo hoc tantum oneris nostrae imbecillitati Deus imposuit, cunctae ut Ecclesiae suae nos praeficeret, obtemperandum nobis est non tam consvetudini, quae vel ab ultimis temporibus invaluit, quam amori erga vos nostro, quem necessitudine collegii dudum susceptum, nunc vero mirum in modum auctum pleneque cumulatum sentimus, vos ut per has literas saltem alloquamur, quo nihil sit nobis dulcius, nihil iucundius. Ad quod nos etiam vehementer hortatur et impellit officii illius, quod proprium nobis et praecipuum est, ratio, illis consignata et declarata verbis: ‚confirma fratres tuos.' Neque enim hoc miserrimo ac turbulentissimo tempore minus quam unquam antea satan expetivit nos omnes, ut cribraret sicut triticum. Quamquam quis est tam hebes, tam averso a nobis animo, quin intelligat, perindeque perspiciat, in his quoque difficultatibus et asperitatibus rerum praestitisse Christum quod esset professus, ut oraret pro Petro, ne fides eius deficeret? Obstupescent posteri certe sapientiam, magnitudinem animi et constantiam Pii VI, cuius potestati nos successimus; utinam vero etiam virtuti, quae nullo tempestatum impetu, neque calamitatum concursu convelli aut labefactari potuit. Nae is Martini illius, a quo nostrae olim Sedi tanta acces-

sit laus, primum in affirmanda ac defendenda veritate fidem, in perferendis deinde laboribus et aerumnis parem fortitudinem nobis retulit, civitate et sede sua crudelissime pulsus, — numquam tamen a se ipse discessit, non ulla fuit deceptus fraude, nullo perturbatus metu, nulla spe delinitus, nullis incommodis nec periculis fractus, nullam ab eo ne literam quidem aut vocem exprimere inimici potuerunt, quae non documento esset omnibus, *Petrum ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivere, et iudicium exercere*, quod nemini dubium atque omnibus adeo aetatibus apprime cognitum esse auctor valde bonus in C. Ephesino pronunciavit. — Agnoscant vel ex his homines, *frustra quemquam conari Domum Dei evertere, quae est Ecclesia super Petrum, veritate non solum nomine petram, aedificata,* contra quam portae inferi non praevalebunt, fundata enim est super petram. (Matth. XVI. — VII.) Nemo unquam religionis christianae hostis fuit, quin bellum eodem tempore nefarium cum *Petri cathedra* gesserit, qua stante illa cadere et labare nequeat, cuius Pontificum ordinatione et successione, uti denunciat aperte omnibus S. Irenaeus, ea, quae est ab Apostolis, in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos, et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate. Hac prorsus via grassati etiam sunt, qui nostra aetate nescio quam pestem ac labem falsae philosophiae supponere contenderunt ei philosophiae (sic enim christianam doctrinam rectissime appellant Graeci praesertim patres), quam Dei Filius, aeterna ipsa sapientia, e coelo detulit, atque hominibus impertivit. — Vos, ven. fratres, oramus primum et obsecramus, hortamur et monemus, atque adeo vobis mandamus, ut nihil vigilantiae, nihil diligentiae, nihil curae, nihil plane laboris praetermittatis, quo depositum custodiatis doctrinae Christi, ad quod perdendum nostis, quanta coniuratio et a quibus facta sit. — Excludite, arcete rapaces lupos, — exterminate protinus secundum potestatem, quam dedit vobis Dominus in aedificationem. Quae sane potestas vel in ea, quae capitalior sit, exscindenda peste librorum scilicet ut a nobis tota expromatur, postulat ipsa etiam Ecclesiae salus. — Neque illos modo libros extorquendos de hominum manibus, delendos penitus et comburendos dicimus, quibus aperte doctrina Christi

oppugnatur, sed etiam ac multo magis omnium sunt mentes atque oculi ab iis prohibendi, qui occultius illud atque ex insidiis faciunt. Ad quos internoscendos tractatu longo, ut Cyprianus inquit, et argumentis opus non est: *probatio est ad fidem facilis compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum: pasce oves meas.* Id pabuli ergo genus oves Christi salutare sibi ducere, id amplecti, eo se alere debent, *quo Petri illas vox et auctoritas immiserit*, unde vero haec avocet ac deterreat, id noxium planc ac pestiferum existimare, ab eo vehementissime abhorrere, nec ulla capi specie pervertique illecebra. Qui non ita se morigeros praebeant, in ovibus Christi certe numerandi non sunt. — **Bullarii Rom.** *continuatio.* T. XI. Romac. 1846. p. 21.

1082.

Selecta exempla testimoniorum **Ecclesiae Armenicae** de S. Sede Romana, A. 1800. edita.

MON. *§. I. De S. Petro.* 1. **S. Gregorius** Armeniorum *Illuminator* Sec. IV. in sua *Catechesi apud Agathangelum p. 197. s. ed. CPnae a. 1709:* ‚Veri igitur discipuli olim congregati ad verum magistrum Iesum Chr. D. N. Salvatorem beneficum, Filium Dei unctum, ab eo interrogati sunt; — quorum qui primus erat *Petrus* dixit: Tu es filius Dei vivi; propter quod et beatitudinem consecutus est, — atque eum fecit *petram firmamenti omnium Ecclesiarum.*‘ — 2. Literae conventionis inter S. Silvestrum Papam beatae recordationis et **S. Gregorium** *Apostolum* Armeniorum cognomento Illuminatorem Sec. IV: ‚Praesens edictum subscriptum fuit a me Eusebio seu Silvestro Papa, Principum Apost. Petri et Pauli successore, qui coeli ac terrae clavibus potestatem habeo super christianas nationes universas ab Occidente usque ad Orientem; qui in coelo ac terra ligo solvoque, potens in omni universali Iesu Christi Ecclesia Ordinator atque arbiter, Silvester summus Pontifex Romae atque orbis universi.‘ — 3. **S. Iacobus** Ep. *Nisibenus* S. Gregorii Illuminatoris patruelis, seu amitae filius, Serm. 7: ‚*Simon* caput disci-

pulorum utprimum lavit peccata sua lacrymis fletus sui, suscepit eas Dominus noster, fecitque illum *fundamentum et vocavit eum petram aedificii Ecclesiae.*‘ — 4. **S. Isaac I.** Parthus Catholicus Sec. V ineunte homil. de Eccl.: ‚Quid ergo intelligendum quod ad Petrum dictum fuit: *tu es petra*, numquid velut unus lapidum? absit. Sed homo rationalis atque *princeps apostolici ordinis.* Et quoniam fide inconcussa professus est Christum Filium Dei vivi, ideo beatitudinem obtinuit et nominatus est petra; itaque *aedificati super eum* non lapides sunt inanimi, sed homines illius fidei participes.‘ — 5. **S. Moyses** Grammaticus Chorenensis Sec. V. Chriarum lib. 8. exempl. 5. Petrum ita loquentem inducit: ‚A quo (Christo) deinceps honorificatus fui, primorum factus princeps per Primatum.‘ Idem Petrum nominat: ‚Claviger regni coelorum, fundamentum Ecclesiae.‘ — 6. **Eznigh** Colbensis Sec. V. edit. Ven. p. 263: ‚Non ego tantum Paulus, minimus Apostolorum, qui dignus mysterio fui, id nequeo, sed ne Petrus quidem ipse, Apostolorum princeps, hoc si vidisset, explicare posset.‘ — 7. **B. Ioannes Mandacunius** Armeniorum Catholicus Sec. V. in Concione sua apud Pharbensem: ‚Petrus ianitor et claviger regni coelorum.‘ — 8. **Ananias Siracunius** Sec. VII. lib. Astronom. arietem, primum in Zodiaco signum, Iudae comparat inter filios Israel et Petro inter Apostolos dicens: ‚Ex Apostolis autem Petrus non quoad electionem, sed secundum cognominis societatem, scilicet cum Christo proprie nominato petra, ut I Cor. 10, 5. et per praesidialem Primatum in choro Apostolico.‘ — 9. **Moyses Calcatensis** hist. Albanorum Orient. Sec. VIII: ‚B. Petrus animo reputans, se non obstante negatione sua semper fuisse caput apostolorum ac simul clavigerum et principem regni coelestis.‘ — 10. **Chosroes Magnus** Eppus Anzavazenus Sec. X. in Comment. div. offic. p. 362: ‚Apostolorum Caput Petrus claviger regni coelorum, qui *petra* a Domino nominatus est, et fundamentum Ecclesiae positus fuit, Romae crucifigebatur capite deorsum inverso, cursum vero ad coelum dirigebat.‘ Idem passim nominat Petrum *caput Apostolorum*, sicut et Romam *magnum thronum.* — 11. **S. Gregorius Narecensis** praememorati Chosrois filius in Praeconio Apostolorum: ‚Primus, praenumerandus, et honorifice praeferendus, petra firmata, et crepido fundata, lapis nominatissimus, septenaria professione, scilicet nominis Christi, quod septem constat literis,

aptissime descriptus, electus, et gloria ornatus Cephas.' Idem in Praeconio S. Iacobi Nisibeni: ‚Choragus Apostolorum classis benedictae.' — 12. **Gregorius Magistrianus** Sec. XI. epist. ad Abrehim: ‚Denique unus cruci affigitur capite inverso, et crucem osculatur, atque in cruce eundem Crucifixum praedicat: ille quidem, qui *fundamentum est fidei Apostolorum et Prophetarum.*' — 13. **Nierses IV** Claiensis Catholicus Sec. XII. Scinorhali, id est, gratiosus, nuncupatus lib. Versuum Iesu fili: ‚Et proprium sibi nomen petrae immobilis concessit illi (Petro).' Idem ibidem: ‚Discipulorum supremi, sanctae fidei, immobilis petrae.'— 14. **Sarchis,** hoc est, Sergius doctor mellifluus, Niersis Claiensis condiscipulus, in praef. Comm. I Petr.: ‚Petrum autem cum memoro, quem dico? Eum certe, qui *petra nominatus et in fundamentis Ecclesiae positus fuit.* Claudentem et reserantem portas coeli, verum Evangelistam, et coelestem operarium, sapientissimum architectum, et absque fundamento aedificatorem, cuius manus fundamenta iecerunt Ecclesiae in magna Antiochia et in oculo orbis terrarum Roma.' Et in illud C. I. v. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi* sic loquitur: ‚Aliud erat ei nomen a suis domesticis impositum, scilicet Simon. Verum oculus Iesu omnia cernens cum perspexisset illius fidei soliditatem contrariis affectibus minime cedentem, mentem eius in bono perstantem, mutavit etiam nomen illius omnino ad imaginem eius fidei. Intuitus (inquit Ioannes I. 42.) eum Iesus ad se venientem dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Vidistine verum honorem ab optimo et sapientissimo Domino collatum famulo? quem nemo carne et fluxa hac nostra natura praeditus obtinuit, nec ullus iustorum, nec sanctorum prophetarum, neque evangelii discipulorum, nisi solus Beatus iste.' Cuius mysterium explanat idem auctor in Comm. II. Petr. 1, 1: ‚Dominus noster honore decoravit beatissimum Petrum mutans ipsius nomen ad similitudinem antiqui Abraham et Iacob, ut eum quoque patrem multarum gentium efficeret veluti Abraham, quin etiam eo excellentiorem, divinioremque. Ille enim mortalis cum esset, mortalis generationis pater fuit, ideoque in nominis commutatione unius elementi additamentum accepit. Iste vero quoniam *pater spiritualis generationis erat futurus, et caput atque dux*, integram recepit nominis mutationem: Simonem nominans Petrum, qui interpretatur petra, et *super illam aedificandam*

promittit Ecclesiam, superiorem cunctis adversitatibus tentationum, quae sunt portae inferi.' Idem auctor non semel vocat Petrum ‚Caput ac praesidem Apostolorum, fundamentum fidei, caput et ducem novae gratiae, os totius Ecclesiae etc.' quemque ita alloquitur in fine Comm. I Petri: ‚Precor te, pater venerabilis, caput, dux, Apostole et Praefecte novi foederis et populi, universam plenitudinem Ecclesiae commendabis Domino Verbo, ut inconcussa firmitate stet supra fundamentum professionis tuae et confessionis. Aperi nobis clausas coeli portas, fac nos omnes dignos videre te in tua gloria sicut solem clarificatum, vel potius soli ipsi praecellentibus scilicet Angelis assimilatum et cum Christo regnantem.' — 15. **S. Nierses Lambronensis** AEppus Tarsi in Cilicia eodem Sec. XII sic S. Petrum alloquitur in expos. Missae, Serm. de Ecclesia: ‚Secundum a Christo te agnovimus, o Petre, Caput post Caput tu sedisti nobis eius discipulis, petram firmitatis cunctis nobis te iecit fundamentum huius templi, agnos et oves in tuas concredidit manus pascendas, accepto dilectionis tuae pignore.' Idem Petri auctoritatem sic exponit: ‚Nunc itaque Ecclesia Dei, populus christianus in tres classes discernitur, nimirum in plebem, ministros et presbyteros. Atque isti iterum in singulis classibus distingvuntur in tres gradus. Ordo presbyterorum in AEppum, Eppos et Sacerdotes; secunda classis ministrorum dividitur in tres gradus, in diaconos, subdiaconos et clericos; tertia vero classis plebis non secundum gradum, sed sola fide discriminatur in ascetas seu monachos, populos sanctos et in fideles catechumenos.' Hic porro similitudinem hos inter et choros Angelorum distinctorum in tres trinos gradus referens, sequentia subiungit: ‚His ternis classibus praeficiens Christus Apostolorum Caput Petrum, illi commisit eas pascere iuxta diversam dilectionis vim. *Simon,* inquit, *diligis me?* et cum fassus est, tum dixit: *pasce agnos meos,* nimirum communem plebem. Secundo autem dilectionis exigens confirmationem, adiecit: *pasce oves meas*, ut scilicet sacerdotali dignitate regeret agnos, et ministrorum classes. Denique amplius dilectionis acceptans pignus, tum dedit ei potestatem summi sacerdotii, praesidendi presbyteris, ac eisdem subiunctis ministris et populo. Petrus dignus efficitur summum ascendere gradum Pontificatus, atque pascere arietes presbyterorum classem, et oves ordinem ministrorum, et agnos coetum populorum.' Idem in illud Zachariae

III. 9. *super lapidem illum septem oculi,* inquit: ‚Super illum sunt septem oculi, id est, Spiritus S. qui descendit a Iesu, et requievit super unam eius Ecclesiam, *quae etiam firmata est super Simon septem virtutibus.*‘ Idem in Comm. Ps. 28 — *afferte Domino filios arietum,* ita disserit: ‚Per filios arietum intelligimus illum ipsum, qui hanc precationem adhibet, qui natus est ex arietibus secundum spiritualem partum, nempe a rectoribus Ecclesiae per doctrinam; etenim illi sunt arietes, presbyteri, patres, qui praesident gregi, quosque pascendos commendavit Dominus S. Petro post agnos et oves. Cum enim dedisset pignus dilectionis ter repetitae, dixit: pasce arietes meos, illos scilicet qui dignitate praestant ovibus, ita ut esset non tantum *Pastor, verum etiam archipastor.*‘ Et infra in illud, *dilectus quemadmodum filii unicornium,* ait: ‚Quem initio arietem nominavit, patremque istius, eundem hic unicornem dicit, qui sunt sancti Apostoli, et illorum sectatores, *quorum Pastor et Caput erat Petrus.*‘ Idem Lambronensis Doctor in Oratione habita in Concilio Tarsensi p. 27: ‚Aedificaturi sumus intelligibile templum Dei, quod fundatum est super Petrum.‘ — **Gregorius** Doctor **Nareghensis** aut Sgheurensis, Sec. X sive XIII: ‚Salvator ipse primum confessorem Petrum constituit Ecclesiae suae fundamentum, dum illi dixit, eum confessione sua fundamenti petram factum esse, seque super hanc petram Ecclesiam suam aedificaturum, id est, omnes fideles ac veros confessores triadis consubstantialis eiusdemque naturae.‘ — 16. **Ioannes Ezenghanus** Doctor Sec. XIII. Comm. in Matth. X. 2: ‚Quamquam omnes erant principales, tamen Petrum illis praeficit Caput, nec tantum illis, verum etiam agnis et ovibus, et arietibus pastorem eligit. Quoniam vero aliquis est Primus ratione ordinis et alius ratione virtutis, cum iste utroque polleret, ordine scilicet propter aetatem provectiorem, et virtute ob fervidam dilectionem et intrepidam fidem, ideo honoris causa illum nominat primum.‘ Idem Doctor: ‚*Tu es petra* simul cum tua professione, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*‘ Idem: ‚Quemadmodum Pater meus dedit tibi agnoscere me, similiter et ego *pono te petram fidei a te initium faciens:* non enim dicit, facio, sed *tu es petra.* At tu cerne hic virtutem Domini, quod virum unum piscatorem omnibus lapidibus duriorem effecerit, ita ut licet totus orbis impetum faciat in illum, non poterit praevalere, — sicut Pater dicebat Ieremiae: posui te

tamquam columnam ferream, et velut murum aereum; illum tamen uni nationi, hunc vero Filius toti mundo ineluctabilem, et iure quidem, nam quod ipse aedificat, quis potest destruere?' — 17. **Basilius** Doctor Sec. XIV in Comm. Marc. XIV. 15: ‚Coenaculum grande est Ecclesia magna, ubi Dominicum Pascha paratum est, *paterfamilias domus est Petrus Apostolus, cui commisit Dominus domum suam,* quo factus est unus grex, unus pastor, et una ecclesia.' Eadem fere repetunt ceteri Armeniorum Doctores seculis subsequentibus, quibus adiiciemus etiam libros liturgicos eadem pariter docentes ubique, ex quibus pauca haec subiecta sufficiant. 18. *Rituale* Armen. Eccl. in benedictione lapidis fund. Ecclesiae: ‚Domine Deus noster, qui nomen sancti principalis Apostoli Petri vocasti petram, et super eum aedificasti universam Ecclesiam Catholicam.' — 19. *Hymnarium:* ‚Deus, qui beatum Petrum nominasti fieri supremum electorum apostolorum classis, caput sanctae fidei, fundamentum Ecclesiae, qui essentiam ineffabilis Unigeniti superna revelatione Patris profitens beatificam meruit gratiam, petra inexpugnabilis a portis inferi.' Ibidem passim S. Petrus nominatur: *petra fidei Ecclesiae, caput electi pusilli gregis.* — 20. *Carminum et Melodiarum liber:* ‚Petre et Paule Christianorum gloria, magna est hodie vestra festivitas in urbe Roma, quorum unus tu Petra anguli Ecclesiae positus es, alter super te aedificabat homines. — Gratia tua coelestis velut solis fulgor in animum Simonis illapsa aedificabat templum tribus in partibus totius mundi, in Asia, Lybia, Europa. — Praesidens chori Apostolorum, caput gregis electi, thronum tenens tuum, Petrus admirabilis, petra fidei. — Septuaginta numero discipuli, eorumque quingenti sectatores, choragus vero horum trium generum in sede fidei, petra inexpugnabilis a portis inferi, clavis paradisi, — cruce, a te Christe, praenunciata coronatus ad tuam similitudinem, consecrator summi viri fratris tui S. Iacobi in prima sede Hierosolymae. — Caput Ecclesiae et petra, fundamentum immobile, princeps electae classis, primus profitens unctum Deum Petrus Apostolus.' — 21. *Synaxarius* seu *Legendarius:* 22. Ianuar. Apostolus Christi S. Petrus, petra fidei et caput S. Ecclesiae, apprehensus ab Herode in carcerem fuit coniectus.' Item 29. Iunii: ‚Magnus Christi Apostolus S. Petrus, petra fidei et fundamentum Ecclesiae.' Item 23. Oct: ‚Petrus petra fidei, et omnium

maximus, vices gerens Christi, assensu et voluntate omnium SS. Apostolorum elegit Iacobum iustum et ordinavit eum Eppum Hierosolymae.' Ac die 27. Dec: ‚Christus ipse eum beatum appellavit, eundemque Ecclesiae suae constituit fundamentum, eique coeli claves dedit, eumque caput SS. Apostolorum fecit, ut ipsis loco Christi imperaret.' — 22. *Homiliarius* in vita SS. Cypriani et Iustinae: ‚Petrum in medium afferebat, fundamentum et canonem Ecclesiae, atque claves coelorum a Christo accipientem.'

§. II. De successore S. Petri et primatu Sedis Romanae. — I. In *Nomocanone* sive Iure Eccles. Armeniaco, cuius auctor fuit *Mechitar* Coscius Canzacenus Doctor Sec. XII labente ac XIII ineunte, adiuvantibus illum aliis Armeniorum doctoribus iurisperitis, cap. 225 postquam coelestem hierarchiam enumeravit, I Angelos, II Archangelos, III Principatus, IV Virtutes, V Thronos, VI Potestates, VII Dominationes, VIII Seraphim, IX Cherubim; Ecclesiae quoque Hierarchiam ad novenarium reducit numerum, ubi tres postremi sunt isti, videlicet VII Episcopi, VIII Catholici seu Epporum praecipui, qui digniorem habent sedem, Seraphim assimilati, ‚IX *Chorus omnium supremus Papius,* vel *Francus,* id est, Latinus sive Europaeus, et *Papa,* Cherubim habens similitudinem, cuius est Regum ordines instituere.' — 2. *Synaxarius* 24 mensis Maii refert, hominem quemdam secularem a presbytero excommunicatum et post illius obitum poenitentia ductum absolutionem quaeritasse, et mox de illo subdit: ‚Peragrabat monasteria, et peritiores Armeniorum doctores consulebat, remedium insanabili aegritudini suae petendo. Cui responsum dederunt sapientiores tunc temporis Praesules, dicentes: ad sanationem gravissimi vulneris tui nullum superest remedium, nisi ut *Romam* pergas, ubi sunt aperientes et claudentes regnum coelorum, SS. Apostoli Petrus et Paulus, atque ligantes et solventes in coelo et in terra; ipsi possunt vulneribus tuis mederi. Ille autem sine mora properavit proficisci, pro nihilo ducens itineris longitudinem, ac Deo favente pervenit ad Urbem.' Atque ibi, ut fuse prosequitur narrator, absolutionem mire consecutus est. Narratio haec licet nonnullis videatur dubiae fidei, manifeste tamen probat universam Armeniae nationis persvasionem de suprema auctoritate Sedis Apostolicae. — 3. *Vitae SS. Patrum* ed. CP. c. 16. p. 350. refe-

runt tres viros religiosos seipsos evirasse per inscientiam, quamobrem cum a sacrorum communione interdicti fuissent a Patriarchis Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, ‚tunc dixerunt ad invicem: adeamus Papam Romae, et ipse iudicium nobis ferat hac de re. Profecti itaque ad Romanum Pontificem retulerunt illi haec omnia dicentes, ita atque ita egerunt nobiscum ceteri Patriarchae. Nos autem ideo venimus ad te, ut iudicium facias nobis: tu enim es dominus et caput eorum omnium.' — 4. *Hymnarium* in hymno de Ecclesia ita canit: ‚Salvum fac filium servi tui, quem per Romanam Sedem honore auxisti, ubi posuerunt petram fidei, et fundamenti S. Ecclesiae.' Illud *filium servi tui* varie exponitur, sed ad rem nostram animadvertendum venit id, quod eo loco profitetur, petram fidei, et fundamentum S. Ecclesiae in Romana Sede fuisse collocata. — 5. **Zacharias** Catholicus Sec. IX in illud Luc. 2, 1: *exiit edictum a Caesare Augusto,* mystico sensu sic praeclare disserit: ‚Antequam natus esset Iesus in Bethlehem, terrestrem potestatem defert Romanis, quae quarta est bestia a Daniele praenunciata; Romae enim *Sedem Petri et Pauli ac principalitatem S. Ecclesiae erat conditurus*, et ad fidem vocaturus Regnum Romanorum, ut esset virga christianae professionis supra adversarios Crucis Christi.' — 6. **Nierses IV** Claiensis Armeniorum Catholicus in ep. 1. ad Manuelem Comnenum Imperatorem: ‚Imo etiam accepimus, quod *sanctus et primus omnium AEpporum Pontifex Romanus et Vicarius Petri Apostoli* de suis Sapientibus delegavit aliquos ad agendum coram Sacram Maiestatem Vestram de concordia fidei.' Idem Doctor et Poëta praeclarus in carmine elegiaco pro Edessa urbe ab infidelibus capta sic alloquitur Romam: ‚At tu, Roma, urbium mater alma et veneranda, Sedes Petri Magni Apostolorum Principis, Ecclesia immobilis, aedificata supra petram Cephae, invincibilis a portis inferi, et coelum obsignatum reserantis. Vitis decora pluribus ornata palmitibus, firmissima radice praedita planta Pauli, eiusque sangvine irrigata, ut paradisus in Eden.' — 7. **Leo** Princeps, qui primus fuit Armeniorum rex in Cilicia, accipiens coronam ab Innocentio III a. 1198. Cyriaco Historico referente, ‚adeo sibi gloriae duxit Apostolos Petrum et Paulum, qui sunt in urbe Roma, tamquam si ab illis accepisset benedictionem coronae.' Ipse autem rex Leo suam ad Pontificem epistolam ita exorditur: ‚Leo Armeniorum Rex reverendissimo

in Christo Patri et Domino Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici et universali Papae, tanto ac tali honore dignissimo. Gloria, laus et honor Omnipotenti Deo, qui vos tantum et talem Pastorem Ecclesiae suae praeesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus, et tam fructuosam et firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, et tantum lumen super candelabrum positum, toti orbi terrarum ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est, etc.' Apud Innoc. III. lib. 2. ep. 208.— 8. **Gregorius VI. Abirad** sub eodem Rege Catholicus Armeniorum in ep. 1. ad eundem Innoc. III: ‚Vobis, qui estis Caput post Christum, consecrati ab eo, et Caput Catholicae Ecclesiae Romanae, matris omnium Ecclesiarum, adeo prudentes et sancti, quod debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa etc. Gregorius servus Iesu Christi, per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiae Armeniorum, filius vestrae S. Ecclesiae, quae est fundamentum legis totius Christianitatis. Cum Vos, qui estis Caput, estis incolumes, nos, qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Et libenter volumus legem et fraternitatem sublimis Ecclesiae Romanae, quae est mater omnium Ecclesiarum; et nos solebamus eam habere, et nunc eam habemus, et libenter volumus esse ad vestrum mandatum etc.' Apud Innoc. 3. lib. 2. ep. 206. Item in epist. 2: ‚Post Deum, qui est caput omnium bonorum, Apostolicam Sedem tenenti et Summo Capiti totius Ecclesiae et totius terrenae sedis, magno Christi Confessori, primae domus hospitalitatis totius populi et religionis, et successori b. Petri maioris nati post Christum Principis, et patris totius mundi, sedenti secundum Deum et portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, et universali Papae summae Sedis Romanae urbis etc.' Apud Innoc. 3. lib. 5. ep. 45. — 9. Concilium **Mechitaris** Catholici, id est, Sisense VI a. 1342. coactum: ‚Secundum iura canonica et civilia successores habent auctoritatem praedecessorum suorum. Papa autem est successor Apostoli Petri, et Catholicus est successor Thaddaei Apostoli, et habet auctoritatem eius. In Nicaena vero S. Synodo, quo nomine et Sardicensis Synodus citari solet, S. Patres congregati, quorum determinationes et canones valde acceptabiles sunt apud nos, sententiam dederunt, Romanam Ecclesiam Caput esse omnium aliarum Ecclesiarum, cuius Caput est Papa. Ideo Catholicus Armeniorum et alii Patriarchae sub

potestate eius sunt.‘ (SS. Concil. nova coll. t. 26. p. 1256.) Ibidem ad artic. 96. p. 1259: ‚In prima et secunda Synodo Nicaeni Patres sententiam dederunt, quod Ecclesia Romana caput esset aliarum Ecclesiarum, similiter et Pontifex Romanus excellentior quam alii Pontifices. Igitur nos sic dicimus et habemus, non solum quia in S. Synodo determinatum fuit, sed quia Christus oves suas Petro recommendavit pascere.‘ — 10. Annalium *Baronii* continuator *Odoricus Raynaldus* ad a. 1564: ‚Romam, inquit, pervenit Michaelis Armeniorum Patriarchae sive Catholici Internuntius, qui subiectas literas ad Pium IV attulit: A porta Ecciamiazin et ab omnibus sanctis ibi commorantibus, et a cunctis AEppis et ministris illius loci, et a Michaele Patriarcha, et ab omnibus fratribus dilectis, qui omnes simul devote osculantur Reliquias SS. Apostolorum, et cum affectu etiam osculamur pedes Patris nostri Pii IV, qui vere Petrus est; pacem quoque damus omnibus reverendissimis Cardinalibus, cunctisque Regibus ac Principibus Christum diligentibus. Amen. Certiorem facimus Sanctitatem tuam, quod a. D. 1562. 20 die mensis Maii de Sebastea civitate ego Michael Catholicus miserim ad Beatitudinem tuam Abagarum benedictum cum duabus literis, firmiter sperantes ac petentes, ut confirmetis et renovetis Condacium nostrum, quod olim beatissimus bonae memoriae Papa Silvester et S. Constantinus Imperator largitus est Regi nostro Tartaro et S. Gregorio primo nostro Patriarchae seu Catholico. Nos autem omnes obedientes sumus Sanctitati tuae ac verbo tuo.‘ Interrogatus autem de fidei articulis Abagarus Armeniorum orator, inter alia haec habet: ‚Tu quidem quatuor partium mundi Pontifex Maximus es: quidquid tu solveris, erit solutum, et quidquid ligaveris, erit ligatum. Hoc autem tenemus de delinquentibus ligatis, seu excommunicatis, quod si quis sacerdos, eppus, aeppus, vel catholicus aliquem delinquentem ligaverit vel excommunicaverit, et defunctus fuerit non absoluto delinquente, quem vivens ligaverat, hunc qui ligatus seu excommunicatus fuit, nullus successor eorum, qui delinquentem ligaverit, poterit absolvere, nisi solus Summus Pontifex Romanus, ad quem secundum canonem nostrum mittimus hunc flentem, quem poenitet delicti sui, cum literis, quibus excomm. fuit, ad absolvendum, vel ad scindendas huiusmodi literas: tibi enim soli licet eum absolvere, et conscisis literis, quibus est ligatus, ad Ecclesiam nostram remittere.

Per doctrinam S. Gregorii Patriarchae nostri nos omnes credimus, quidquid S. Cath. et Apost. Ecclesia credit, et quidquid ipsa anathematisat, nos quoque anathematisamus. Primum quidem patriarcham nostrum fuisse dicimus S. Gregorium, qui primus venit urbem Romam, quem S. Silvester benedixit ac consecravit tempore Constantini Imp. et Regis nostri Tiridatis. Item confitemur, Christum dixisse S. Petro Apostolo: Pasce oves meas, pro quo etiam orasse, ne unquam deficeret fides sua. Qui autem ex nobis non confitetur Sedem Petri esse maiorem, et D. Pontificem Romanum Caput ac Patrem esse totius mundi, claviumque possessorem, is et Evangelia, et Hierusalem, et Sedem Gregorianam Ecimiazin negat.' — 11. **Iacobus IV** Giulhaiensis Catholicus Armeniorum a. D. 1680. supremum diem obiturus CPli, haec in sua professione testatus est: ‚Ego humilis Christi servus Iacobus Catholicus omnium Armeniorum et Patriarcha Valarsapatae divina luce conditae magnaeque ac s. sedis Ecimiazin. Credo ipsam S. Rom. Ecclesiam habere plenam, summam et perfectam facultatem et potestatem supra universalem Catholicam Ecclesiam. Credo et supremum Praesidem eiusdem S. Ecclesiae, Sedem tenentem et Vicarium SS. Principum Apostolorum Petri et Pauli, ligantem et absolventem in coelo et in terra.' — 12. **Nahabied** Catholicus Armeniorum a. D. 1695. ad Innocentium XII. literas direxit hoc tenore: ‚Maximo Domino Innocentio Summo Pontifici et universali Papae. A Deo Patre principium omne excedente, per se existente, omnipotente — electus, honore decoratus, et glorificatus — Angelorum religionem imitans, et Apostolica gratia praeditus, universi lumen, Princeps Principum, et S. Pater omnino omnium gentium Christifidelium, maxime vero nostrae nationis.' Idem in secunda epistola data a. 1699: ‚Ter beate, S. Pater, et superexaltatum caput universae Ecclesiae Christi, Innocenti XII, Sanctissime Papa! Iterum vocamus matrem Ecclesiam Romanam, quam iugiter talem professi sumus. Quoniam nos stamus firmi in eadem professione et concordia, quam fecerunt S. Silvester et S. Gregorius Illuminator. Profitemur prout illi professi sunt, consentimus ut illi consenserunt. Profitemur enim S. Apostolum Petrum Vicarium Christi supra totam Ecclesiam eius, pascentem et pastorem ovium et agnorum Iesu, petram Ecclesiae sanctae, caput SS. Apostolorum, Principemque illorum, petram illaesibilem a portis inferorum, possessorem clavium

regni coelorum. Profitemur insuper summum Praesidem Romae, verum successorem Petri petrae, et caput omnium fidelium, et AEppum omnium Epporum, universalemque doctorem totius Ecclesiae Christi. Profitemur etiam S. Ecclesiam Romanam matrem omnium Ecclesiarum, cui obedire nos debere conscii sumus, atque admittimus omnia, quae admittit S. Ecclesia Romana, et reiicimus omnia, quae illa reiicit.' — 13. Similia repetit **Menas Amidanus** AEppus Eudocensis, patriarcha Armeniorum Hierosolymis in epistola sua ad eundem Innoc. XII. data eodem a. 1699. — 14. Similiter scripserat ad eundem Innocentium XII a. 1695. **Simeon** Catholicus Albanorum hocce primordio: ‚Ter beato et feliciter regnanti Universali Capiti S. Ecclesiae, et successori Principum Apostolorum Christi, Petri et Pauli, Patri spirituali omnium Christianorum, et Domino nostro, sacrae dexterae osculo salutem dicit nimio desiderio atque devoto corde e longinquo tamquam proxime Christi servus humilis Simeon Catholicus Armeniorum in Albanorum regione commorantium etc.' — **Ecclesiae Armeniae** *eiusdemque doctorum de S. Sedis Romanae suprema auctoritate, deque S. Petri Apost. Principis eiusdemque Successorum Rom. Pontificum Primatu selecta testimonia.* Venetiis. 1800.

1083.

Pius VII Eppos **Galliae** provocat, ut ex incidenti novae coordinationis Sedium eppalium, se modernis sedibus abdicent, A. 1801.

INTR. Quae Pius VII ad coordinandas Ecclesiae Gallicanae res egit, in ‚Monumentis nostris Catholicis pro independentia Potestatis Eccles. ab Imperio Civili' fuse exposuimus, documentaque eo spectantia evulgavimus; obiectum enim coordinationis huius mutua inter Summum Pontificem, et eos, qui in Galliis supremam civilem exercebant potestatem, consultatione definiendum erat. Hic loci unicum duntaxat exhibemus de his rebus Monumentum, iuxta quod Pontifex qua Ecclesiae Primas Eppos Galliae ad dimittendas antiquas Sedes provocavit, novis erectis.

MON. Tam multa ac tam praeclara ea sunt, quibus vos cum generatim universi, tum singillatim singuli de Catholica Religione bene meriti estis, ut eam ob causam peculiaribus admirandae virtutis testimoniis omni iure a nobis atque a Pio VI. fel. rec. decessore nostro amplissime semper commendati fueritis. Quamvis vero magna atque gloriosa ea fuerint, quae ad Ecclesiae ac fidelium utilitatem a vobis adhuc sunt gesta : tamen rationes temporum vobis significare nos cogunt, vos nondum eum meritorum et gloriae cursum absolvisse, ad quem Divinae Providentiae consilia vestram virtutem his temporibus reservaverunt. Maiora, ven. fratres, sacrificia prioribus, quibus tam illustrati estis, addenda restant, amplioribus meritis superiora vestra in Catholicam Ecclesiam merita cumulanda sunt. *Conservatio unitatis S. Ecclesiae*, restitutio catholicae religionis in Gallia, novum nunc a vobis documentum virtutis atque animi magnitudinis postulant, ex quo universus orbis magis magisque intelligat sanctissima illa studia, quibus in Ecclesiam flagratis, non ad vestrum sed ad Ecclesiae bonum unice ac vere esse conversa. *Dimittendae a vobis sponte eppales vestrae sedes sunt, eaedemque in manibus nostris libere resignandae.* Magnum quidem istud est, ven. fratres, verumtamen huiusmodi, ut necessario et postulandum a nobis, et a vobis ad Ecclesiae res in Gallia componendas praestandum sit. Intelligimus sane, quanti stare debeat amori vestro eas oves relinquere, quas semper carissimas habuistis, in quarum salute procuranda tantas curas impendistis, quibus vel absentibus tanta sollicitudine prospexistis. Verum quo acerbius erit hoc sacrificium vobis, eo etiam Deo erit acceptius, ab eoque par dolori vestro, par largitati eius erit a vobis retributio expectanda. Ad hoc igitur ei alacriter offerendum nos quanta maxima possumus animi nostri contentione virtutem vestram excitamus; hoc ut forti promtoque animo ad unitatis conservationem consummetis, per viscera D. N. I. C. vos rogamus, obsecramus, obtestamur. Cognitio singularis doctrinae ac spectatae virtutis, quam difficillimis Ecclesiae temporibus semper in vobis demirati sumus, illud certo pollicetur nobis, vos literas liberae huius abdicationis vestrae statim ad nos esse missuros; nec suspicari nos sinit quempiam ex sapientibus ac virtute spectatissimis Ecclesiarum Gallicanarum Pastoribus moram ullam vel minimam interpositurum, sed promto atque

constanti animo paternis svasionibus nostris obsecuturum; praeclaro S. Gregorii Nazianzeni in Eppatu CPno deponendo sibi exemplo proposito. Et vero in ea rerum conditione, in qua constituti sumus, qui suspicandi locus nobis esse possit, aliquem ex vobis svasionibus ac precibus nostris restiturum, si illud recordetur, quod et sensit continenter Ecclesia, et S. Augustinus contra Cresconium lib. 11. c. 11. inculcavit: ‚Neque Eppi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum et sacramentum dominicum ministramus, ac per hoc ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus?‘ Scitis enim vos, ven. fratres, multos spectatissimos Ecclesiae Antistites, ut huic Ecclesiae rationi se conformarent ad unitatem servandam, sponte dimisisse sedes suas, ac pene 300 Eppos Catholicos paulo ante celebratissimam Collationem Carthaginensem palam esse professos, paratos se esse atque adeo ad hoc se teneri arbitrari, nimirum Eppatu se abdicare, si ad tollendum schisma Donatistarum ipsorum abdicatio iudicaretur prodesse. Haec profecto exempla ante oculos habuerunt, atque eadem haec consilia mente conceperunt plurimi etiam ex vobis, ven. fratres, qui Pio VI. fel. rec. decessori nostro suis literis 3 Maii a. 1791 professi sunt paratos se promtosque Ecclesias dimittere, si id religionis bonum postularet, quod sapientissimus ille Pontifex summae ipsorum Epporum laudi tribuit. Nec defuerunt ex vobis postremis hisce etiam temporibus, qui id ipsum se libenter facturos etiam nobis suis literis significaverunt, si ad religionem in Gallia conservandam necessarium videretur. Cum igitur nunc in ea vere tempora inciderimus, in quibus libera sedium vestrarum abdicatio omnino ad Cath. Religionis bonum necessaria sit, minime dubitare possumus, quin hoc obsequium Deo praestituri sitis, novumque hoc sacrificium oblaturi, ad quod ei offerendum et vos teneri cognoscitis, et si id Ecclesiae utilitas postulet, iam pridem tanta cum laude paratos vos esse professi estis. Certi igitur pro ea opinione, quam religionis et virtutis vestrae semper habuimus, vos lectis epistolis nostris ad augenda vestra in Ecclesiam promerita, ad eiusque unitatem in Gallia conservandam nulla cunctatione interposita nostris hortationibus plena docilitate obsecuturos, gratulamur primum immortalem illam gloriam, quae tam praeclarum hoc religionis ac obsequii testi-

monium, quod nunc a vobis Ecclesiae universae dandum est, erit consecutura. Tanta siquidem ea erit, ut ceteris laudibus vestris, quas tot periculis subeundis, tot calamitatibus tanta constantia perferendis pro religione in ecclesiis vestrae fidei concreditis conservanda promeriti estis, longe erit anteferenda. Siquidem quod idem S. Augustinus in epist. ad Castorium scribit : ‚longe gloriosius est eppatus sarcinam propter Ecclesiae vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse.‘ Gratulamur deinde vobis amplissima illa proemia, quae sacrificium hoc vestrum apud bonorum remuneratorem Deum vobis erit promeriturum.‘ Non enim, ut memoratus idem S. Gregorius Naz. scribit or. 32. ‚Dei quoque iacturam facient qui thronis cesserint, sed supremam cathedram habebunt his multo sublimiorem et tutiorem.‘ Gratulamur denique considerantes, quam multis utilitatibus cumulabunt sacerdotium universum memoranda haec exempla animi nihil de suis sed tantum de iis quae Dei atque Ecclesiae sunt laborantis, haec documenta obedientiae, humilitatis, fidei, omnis denique eppalis sanctitatis, quibus exitum eppatus vestri eritis coronaturi. Obstruet haec virtus vestra profecto mendacia ora obtrectatorum sacerdotii, qui nihil aliud in sanctuarii ministris, nisi fastum, cupiditatem, superbiam inveniri calumniantes comminiscuntur. Nova ista laus, qua illustrabimini, extorquebit vel ab invitis admirationem virtutis, qui illud fateri de Ecclesia cogentur, quod idem S. Augustinus in citata epistola ad Castorium praedicat : ‚esse in visceribus eius qui non sua quaerunt sed quae Iesu Christi.‘ Cogimur urgente temporum necessitate, quae in hoc etiam in nos vim suam exercet, significare vobis, omnino necesse esse nobis saltem intra 10 dies iis responsum e scripto dari a vobis, idque responsum ei tradi, a quo eae literae nostrae vobis reddentur, quas ipsas accepisse vos authentico documento certos nos facere debebitis. Illud etiam iisdem causis urgentibus vobis significandum est, nimirum responsum, quod iis literis nostris daturi eritis, absolutum omnino esse debere, non autem dilatorium, ita, ut nisi intra 10 dies absolutum responsum dederitis (cuiusmodi ut mittatur a vobis etiam atque etiam postulamus), etiamsi literis dilatoriis nobis responderitis, perinde cogemur habere vos ac si obsequi postulationibus nostris recusaretis. Quod sane minime factum iri a vobis sperare nos facit cum conservandae re-

ligionis pacisque Ecclesiae universae conciliandae desiderium, quo mirifice flagratis, tum vestra ista, quae propria filiorum est, pietas debitumque obsequium in nos, istudque studium, quod semper praetulistis, in tanta curarum mole, qua premimur, auxilia virtutis vestrae infirmitati nostrae suppeditandi. Quinimo pro certo habemus vos promto libentique animo monitis nostris obsecuturos, quibus ad Ecclesiae bonum constituendum tanta animi contentione urgere cogimur virtutem vestram. Praesertim cum vos qua estis sapientia cognoscere debeatis, renuentibus vobis obsequi postulationibus nostris, ne unitati conservandae Cath. Religionis Ecclesiaeque tranquillitati restituendae obstacula ulla per nos in Gallia opponantur, (dolenter dicimus, sed tamen tanto impendente rei christianae periculo a nobis omnino est dicendum) ad ea necessario a nobis veniendum fore, quibus et omnia impedimenta tolli et id tantum boni consequi omnino Religio possit. De nostro quidem studio ac benevolentia, qua semper vos, ven. fratres, complexi sumus, de opinione ac ratione, quam cum virtutis tum dignitatis ac meritorum vestrorum semper habuimus, ita vos persvasos esse arbitramur, ut minime necessarium putemus pluribus explicare vobis, nihil praetermissum fuisse a nobis, quo tantam doloris acerbitatem a vobis prohiberemus. Verumtamen magno cum dolore fatendum est, nullas nostras sollicitudines, nullos labores pares resistendo temporum necessitati fuisse, cui parere omnino coacti fuimus, ut per sacrificium hoc vestrum Catholicae Religioni prospiceretur. Haec aequa lance ponderantes iniuriosius de religione vestra sentire visi essemus, si illud de vobis statuissemus, vos rationes vestras Ecclesiae conservationi atque utilitatibus fore praelaturos, illudque oblituros, quod S. Augustinus Africanorum Epporum nomine ad Marcellinum tribunum scripsit, cum paratos Antistites illos esse ad Eppatum dimittendum testatus est: ‚quid enim dubitamus Redemtori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? an vero ille de coelis in humana membra descendit, ut membra eius essemus, et nos, ne ipsa eius membra crudeli divisione lanientur de cathedra descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius quam christiani fideles et obedientes sumus. Hoc ergo semper sumus, Eppi autem propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro Eppatu faciamus. Si servi utiles

sumus, cur Domini aeternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Eppalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quam retenta disperserit. Nam qua fronte in futuro seculo promissum a Christo sperabimus honorem, si christianam in hoc seculo noster honor impedit unitatem?' Epist. 28. Cum igitur minime dubitemus, quin pro explorata vestra religione ac sapientia vos Ecclesiae rationibus ac fidelium utilitati consulturi sitis, Deum O. M. rogantes, ut confirmet virtutem vestram, quo alacrius, ut hilares datores decet, hoc tantum munus ei offerre possitis, ac pollicentes vobis nos, quantum in nobis erit, omni studio curaturos, ut meliori qua fieri possit ratione vobis prospiciatur, apost. benedictionem pignus paternae caritatis nostrae peramanter impertimur. Datum Romae die 15 Aug. 1801. — **Collectio** *Epistolarum Pastoralium, Decretorum, aliorumque documentorum, quae pro regimine Dioecesis Mechliniensis publicata fuerunt.* Mechliniae. 1845. p. 10.

1084.

Pius VII damnat consecrationem **pseudoeppi** Iansenistici **Harlemensis**, A. 1802.

MON. Dil. filiis universis catholicis in Batava republica commorantibus. Dum urgente universi gregis dominici sollicitudine pro pastorali officio nostro nihil maiori studio contendimus, quam ut Ecclesiae Catholicae unitas, quae summum in discrimen vocatur, firma atque incolumis ubique conservetur, vehementer animum nostrum perturbarunt eae literae, quae perseverante apud vos luctuoso schismate isthinc ad nos fuerunt allatae. Idem ille *Iacobus Van Rhyn,* quem Pius VI fel. rec. decessor noster per apost. literas datas 26. Aug. 1797. canonicis poenis obnoxium sacris interdixit, atque ecclesiae communione privatum vitandumque declaravit, quod nullo iure contra huius Ap. Sedis decreta eligi ac consecrari pseudo-AEppus Ultrajectensis non reformidaverit, nova iterum prodidit exempla obstinatae pertinaciae suae. Perinde quasi sacrilega eius electio ac ementita iurisdictio gravissimis illis Ap. Sedis decretis, quibus ei omne

exercitium eorum, quae ordinis ac iurisdictionis sunt, interdicebatur, fuissent confirmatae, arrogato sibi Metropolitani nuspiam existentis iure significavit nobis, se vacante Sede Harlemensi ob decessum Adriani Ioannis Broekman pseudo-suffraganei sui (quod capitulares illi novum Eppum, sic enim scripsit, in defuncti locum eligere neglexerint) iure devolutionis *Ioannem Nieuwenhuys* elegisse, ac specie quadam submissionis huic Ap. Sedi simulata, quo tempore idem novo ac aperto pertinaciae documento palam faciebat eam omnem excussisse, petiit a nobis non solum ut eam electionem ratam faceremus, verum etiam ut electum consecrari a se assistente uno tantum Eppo, atque etiam sine ullo Eppo permitteremus. Gravissimo dolore affecti fuimus, dil. filii, huiusmodi literis acceptis. Nam cum ad tollendum tandem aliquando luctuosissimum schisma nihil vehementius optaremus, quam certa sincerae resipiscentiae, atque obedientiae documenta accipere ab iis, qui in eo tamdiu tamque obfirmato animo perseverant, illud contra vota nostra cognovimus, nec eos a via perditionis deflectere velle, nec nos in canonica poena iisdem infligenda a pristino Ecclesiae more posse discedere. Ad consveta itaque remedia iam venire parabamus, quae Pontifices praedecessores nostri semper contra homines huiusmodi adhibuerunt, ut qui in fide Ecclesiae permanent, horum simulationes atque artificia possent praecavere: cum ecce alterae ad nos literae ab ipso Ioanne Nieuwenhuys haud absimiles superioribus, quibus et is simulata verbo ea Ecclesiae submissione, quam reapse nullam se habere apertissime declarat, illud nos docet, se non solum ab Ioanne Van Rhyn asserto AEppo Ultrajectino consecratum fuisse, sed etiam nullo eppo assistente contra ea, quae in Pontificali Romano iuxta sacros canones praescripta sunt, consecrationem suam ab eodem fuisse peractam. Atque ut culpam in culpa cognoscamus, exemplum etiam fidei professionis a se emissae adiicit, quam iuxta formulam a Pio IV fel. rec. praedecessore nostro praescriptam pronunciavit, omisso tamen verbo ‚iuro', quod bis in illa formula continetur. Non opus est nobis, dil. filii, docere vos, quantum criminis tum haec electio, tum haec consecratio habeant; non enim nunc primum haec monstra fiunt in regionibus istis, ad experimentum fidei ac religionis vestrae; nec ii estis vos, qui, cum qua ratione res haec tota se habuerit intellexeritis, non illud etiam intelligatis, omnia

haec contra Ecclesiae leges, nulla legitima auctoritate, adeoque illicite, sacrilege ab utroque esse facta. Verum ne si in re tanti momenti taceamus, quispiam rerum ignarus putare possit, iure aliquo fieri ab iis potuisse ea, quae contra omnes Ecclesiae leges commissa sunt, ac probari silentio nostro eos cum Cath. Ecclesia communicare, decessorum nostrorum exemplis inhaerentes, *apostolici iudicii nostri auctoritate declaramus, tam electionem Ioannis Nieuwenhuys in eppum Harlemensem illicitam, irritam atque adeo nullam, quam eiusdem consecrationem illegitimam, sacrilegam, ac contra sanctissimas Romanae Ecclesiae sanctiones esse*, ac proinde tam Ioannem Iac. Van Rhyn electorem, quam Ioannem Nieuwenhuys ac ceteros omnes, qui partem aliquam in sacrilega hac electione ac consecratione habuerunt, iisque opem, operam, consensum, consilium quomodolibet praebuerunt, *excommunicamus*, anathematisamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et tamquam schismaticos habendos et vitandos esse pronunciamus etc. *(ut in prioribus apost. literis.)* — Vos vero, dil. filii, quo studio ab hominibus huiusmodi cavebitis, quos cum ab Ecclesia desciverint, nihil cupidius expetunt, quam ut quanto plures possunt simulatione ac dolo deceptos sacrilegae defectionis sibi socios adiungant, eodem Deum Patrem luminum ac misericordiarum indesinenter rogabitis, ne patiatur tam multorum animas, pro quibus Unigenitus eius Filius D. N. I. C. pretiosissimum sangvinem suum effundere non recusavit, pertinacia sua fructibus eius redemtionis carere, qua salus humani generis parta ac constituta est; sed obcoecatas mentes eorum illustret, cor lapideum molliat, ut agnoscentes tandem aliquando quanto in errore versentur, ac quid timere sibi debeant ii, qui a soliditate petrae defecerunt, quid vero sperare, qui in ea fidenter permanent, a perditionis via discedant, Ecclesiae auctoritatem non verbo tantum, ut solent, sed re etiam se revereri ostendant, eius iussa docili atque obsequenti animo facessant, veniam implorent. Nihil enim optatius Ecclesiae accidere poterit, quam manus supplicantibus porrigere, nihil iucundius nobis, quam eos ad osculum pacis amanter admittere. Quae gaudia nos Ecclesiae nobisque ex animo adprecantes, vobis dil. filii apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 1 Oct. 1802. — **Bullarii R.** *continuatio.* XI. 422.

1085.

Pius VII Patriarchae **Graecorum Melchitarum** de erroneis opinionibus quoad Primatum Ap. Sedis per AEppum **Alepensem** disseminatis, A. 1802.

MON. In acerbissimo dolore, quo sumus affecti ex eo motu, quo pleraeque Occidentis partes convulsae sunt, non minus certe ob quamdam opinionum perversitatem, quas homines impii disseminare, et pertinaciter defendere contenderunt, quam ob diuturni belli clades et incendia, levabatur animus noster et valde recreabatur, cum se ad Orientis catholicas ecclesias converteret, quas laetabamur quiete agere, et priscam fidem a ss. patribus acceptam per Antistites doceri, neque istic exauditas profanas vocum novitates, quibus viciniorum nobis populorum aures misere personarunt. Atqui veremur, ne inanes nostrae hae cogitationes fuerint, et ne erroris scelerisque contagio vel ad tam remotas terras manaret. Perlatum namque ad nos est, ven. fr. *Germanum Adamium Alepi AEppum* eiusmodi doctrinis variis et peregrinis abduci se passum, contra atque Apostolus praecipit, indeque simplici gregi, cui praeest, pabula mortifera pro salutaribus praebere. Ac multis quidem illum fidei catholicae capitibus non crebris sermonibus solum sed etiam literis non obscure adversari, aut eversionem artificio quodam moliri, aut noctem offundere conari, praesertim vero *de Romano Pontifice Successore Petri, quem omnium agnorum et ovium suarum Pastorem Dominus constituit, cui coelorum regni claves tradidit, quem suam vicem plane voluit summa cum potestate sustinere, et gubernare omnem, quo se cunque diffudit, Ecclesiam, quae est corpus eius et plenitudo eius.* Eodem scelere esse alligatos accepimus nonnullos alios usu et familiaritate eo cum AEppo coniunctos, eiusdemque asseclas et administros. Nec te sane praeterit, ven. frater, illos, qui arma Ecclesiae inferunt, quae est ut castrorum acies ordinata, atque ad illam perdendam coniurant.

non diversam rationem tenere atque Rex ille Syriae, de quo in Paralip. libro II. c. 18: qui proelium commissurus praeceperat ducibus equitatus sui dicens: ne pugnetis contra minimum aut contra maximum, nisi contra solum Regem Israel; non secus istorum impetus in eum omnis fere incumbit, cuius vi, potestate, et moderatione Ecclesiae salus continetur. Atque utinam profecto non aliunde etiam indicia et argumenta magni ponderis suppeterent, quibus permoveamur ad fidem tam tristibus de Alepi AEppo nunciis adhibendam! Quamobrem non est cunctandum nobis, non dissimulandum, non segnius agendum, cum non de una tantum ove quaerenda, et reducenda negotium sit, pro qua vel una nihil intentatum relinquere deberemus, at de tanto ovium numero, deque earum pastore, qui officii et personae, quam suscepit, oblitus plane esse perhibetur, cum negotium de fide sit; adnitendumque nobis, ut quemadmodum una est Dei essentia, quod pulchre S. Coelestinus I praedecessor noster scripsit, ita inter omnes rectae fidei veritas teneatur. Itaque eo devenimus, quo patres nostri semper in similibus discriminum et periculorum casibus decurrerunt; ac magnopere confisi prudentia, consilio, gravitate, et religionis studio, quo praestare te maxime oportet, ven. frater, tibi mandamus, ut solertissime omnia et acutissime de AEppo Alepi isto deque eius consiliorum sociis indages, ac praesertim si quae illius aliorumve scripta extant, ea conquiras diligentissime, atque ad nos seu ad Congregationem Cardinalium Propagandae fidei cures protinus perferenda, quo hic lente et accurate admodum discutiantur. Mittimus tibi deinde exemplum literarum apost. in forma Brevis ‚Super soliditate', quas is, qui ante humilitatem nostram Petri Cathedram proxime obtinuit, Pius VI sanctae memoriae edidit contra pestilentissimum Eybelii cuiusdam librum, tum bullae dogmaticae eiusdem immortalis Pontificis, cuius est initium ‚Auctorem fidei' adversus acta et decreta Synodi Pistoriensis: quae exempla simul atque acceperis, continuo tu auctoritate nostra et nomine AEppum Alepi iube utrique sua manu subscribere, ac palam sincere sine fuco et fraude ulla profiteri et declarare, se ea omnia et singula amplecti prorsus toto suae mentis animique sensu, atque impetu, quae illic fidelibus proponuntur, contra respuere se et repudiare et abiicere, quae ibidem damnantur et improbantur, atque in hanc sententiam paratum se esse populum

suae curae traditum docere. Quod ubi ille praestiterit, eadem tu exempla, quibus is subscripserit, ad nos remittito, ut iucundissimi nimirum aspectu notarum, quae incorruptam eius AEppi fidem demonstrent, animum nos expleamus, ac suspicionem de illo omnem, atque moerorem susceptum deponamus. Quodsi forte minus promtum ad parendum haesitantemque eum eris nactus, denunciato eidem libere, suum sibi locum non posse constare, inque illum secundum sacros canones animadversum iri; neque secus te geres adversus ceteros, quibus eiusdem nefarii adeo criminis nota fuerit adspersa. Agnoscis, ven. frater, quanti referat praeclare te eiusmodi defungi munere, quod nos tibi pro tot animarum Christi morte redemtarum incolumitate et salute, pro eius doctrina conservanda, quam suo obsignatam sangvine nobis reliquit, imponimus; neque dubites, quin amantissimus Salvator tibi strenue ac fortiter sua causa laboranti adsit, pro quo illum rogare, et obsecrare non desistimus. Nulla re alia potes de Ecclesia Dei mereri illustrius, deque hac S. Sede Apostolica deque nobis, qui te singulari caritate paterna complectimur. — Datum Romae 13 Cal. Febr. 1802. — **Bullarium** *Congr. de Prop. Fide.* Appendix II. 307.

1086.

Pius VII PP. Cardinali AEppo **Vindobonensi** improbat generalem ab ipso concessam dispensationem vescendi carnibus die Sabbathi, iusque in hoc dispensandi Sedi Apostolicae esse proprium enunciat, A. 1802.

MON. Non sine magno animi nostri dolore legimus Edictum a ven. fr. Edmundo Eppo Thejensi subscriptum die 4. Nov. atque tuo nomine promulgatum deinde isthic die 8 eiusdem mensis a parochis atque a sacris concionatoribus. Per hoc in Dioecesi ista propter ingravescentem in dies annonae caritatem facultas omnibus conceditur vescendi in anno carnibus (excepta feria sexta) die Sabbathi, et in proximo Adventu feria quarta, et die item Sabbathi, et in Quadragesima anni ineuntis 1802 sin-

gulis diebus (excepta feria sexta) usque ad feriam quartam inclusive Maioris hebdomadae. Ignorare minime potes, dilecte fili noster, quam longe ea dispensatio limites excedat earum facultatum, quae ab hac Apost. Sede dari solent, ac proinde quam per eam minuatur quotidie magis salutaris ille abstinentiae vigor, qui ad spiritualem medicinam nostram ab Ecclesia praescriptus est. Nec pro ea cognitione rerum ecclesiasticarum, qua polles, latere te debet, *ab uno tantum Pontifice Maximo Ecclesiae universae Moderatore generales praesertim has dispensationes a legibus universalibus Ecclesiae concedi posse.* Cumque ab ea lege extet obligatio certis anni diebus atque temporibus ab escis vetitis abstinendi, fateri debes Eppum haud posse ab ea dispensare multitudinem, nimirum populum aut civitatem aut gentem indiscriminatim universam, nisi ab eo, qui divina ordinatione universae Ecclesiae praesidet, solvendi ab ea potestatem acceperit. Hanc ob causam fel. rec. praedecessor noster Benedictus XIV in sua Encyclica die 30 Maii 1741 ad omnes orbis catholici Eppos inculcavit: greges suos monerent, multitudini, nimirum populo aut civitati aut genti indiscriminatim integrae nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra canonum statuta praescriptis cum debita Apostolicae huius S. Sedis reverentia a quadragesimali ieiunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam. Hanc ipsam ob causam ab huiusmodi dispensationibus semper abstinendum sibi esse Eppi duxerunt; et si quando postremis hisce temporibus nonnulli ex iis id sibi arrogaverunt, contra ausus huiusmodi semper a Pontificibus praedecessoribus nostris et ab Ecclesia reclamatum est, ita, ut nonnulli ex iis in se reversi dispensationes concessas revocaverint, atque aperte errorem suum confessi sint. Neque vero aut necessitas urgens aut extraordinariae facultates, quas tibi a Sede Apostolica concessas idem Eppus Thejensis asseruit, aliquid valent, ut propter haec huiusmodi dispensatio iuste ac rite dici possit concessa. Etenim nec annonae caritas repente extitit, nec tam longe Apostolica haec Sedes aberat, ut satis temporis non daretur ad eam consulendam. Itaque praedecessores nostri numquam satis iustam eam causam esse duxerunt ad eos excusandos Eppos, qui quod longius ab Urbe abessent, licere sibi dispensationes huiusmodi concedere non audita primum Sede Apostolica sunt arbitrati. Extraordinariis vero facultatibus te munitum

fuisse nullum in Edicto monumentum extat, nec constat, quibus formulis ea tibi potestas fuerit facta, cuius rei omnino mentio in eo ab Eppo Thejensi erat facienda, illudque clare significandum, Te speciali delegatione Sedis Apost. ab esurialibus dispensare, quod solemne est in omnibus formulis, quibus speciales facultates Eppis a Sede Apost. conceduntur. Quae cum ita se habeant, minime dubitamus, quin tu, si iis facultatibus dispensandi careas, eas sis petiturus a Nuntio nostro isthic degente, cui nos speciali apostolica delegatione potestatem fecimus impertiendi Eppis hanc dispensandi facultatem, eaque ab eodem impetrata nova Edicti promulgatione populo Dioecesis tuae sis significaturus eam potestatem, qua in dispensando uteris, per apostolicam delegationem tibi esse factam, idemque facturus sis etiam si eidem Nuntio nostro constare feceris, te pridem ab eadem Apost. Sede eam facultatem impetrasse, illudque etiam atque etiam sis consideraturus, quanta mala, si Tu, tantae amplitudinis et opinionis Antistes, Cardinalatus praesertim dignitate praefulgens, minus promto animo svasionibus ac desideriis nostris obsequerere, ex pernicioso hoc exemplo essent derivatura. Plures siquidem istarum dioecesium Eppi eandem sibi potestatem dispensandi arrogarent maximo cum iurium Ap. Sedis et spiritualis salutis populorum ipsorum fidei commissorum detrimento. Speramus item te in eiusmodi dispensationibus promulgandis illud cauturum diligenter, ne regulas ullas statuas circa ea, quibus vesci egeni ac valetudine affecti teneantur. Propter infinitam enim varietatem casuum corporumque habitudinem fieri non potest, quominus regulae huiusmodi magnas perturbationes conscientiae, dubitationes, anxietates creent, quae diligenter cavendae sunt. Explorata tua pietas, ac debita in hanc Ap. Sedem reverentia, quae semper praecipua tua laus fuit, illud nobis pollicentur, te in hoc negotio similem futurum tui, ac Dei Ecclesiaeque gloriam ante oculos ita habiturum, ut, quae acciderunt, non ad minuenda verum ad augenda tua in Ecclesiam promerita accidisse laetari debeamus. Qua spe freti tibi, dil. fili noster, gregique tuo apost. benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 9. Ianuar. 1802. — *Ex originali Regesto Vaticano Pii VII. ann. 2. fol. 172-a.*

1087.

Circulare Ministerii Cultus in **Gallia** ad Epos de titulo Praesulum ‚Dei et Apost. Sedis gratia' anno X Reipublicae editum. (ex Gall.)

MON. Die Regierung hat gewahret, Bürger Bischof, dass in der Aufschrift der Hirtenbriefe und anderer derartigen Urkunden wenig Einklang herrsche. Man liest in einigen Hirtenbriefen: ‚N. N. durch die Gnade Gottes, die Ernennung des ersten Consuls, und canonische Einsetzung des Pabstes Bischof etc.'; in andern liest man: ‚N. N. durch die göttliche Barmherzigkeit und die Einsetzung des heil. Stuhles;' in andern findet man andere Ausdrücke und eine verschiedene Wendung. Es ist ersprieslich, dass alle diese Verschiedenheiten des Ausdruckes verschwinden, weil die Sache im Grunde überall dieselbe ist und seyn soll. Die Zeit hat die Formel geheiligt: *‚durch die göttliche Barmherzigkeit und die Gnade des heil. apostol. Stuhles.'* Warum sollte man davon abgehen? Es ist die Einsetzung des Pabstes, der dem Bischof die geistliche Sendung verleiht; man hat sich dieser Formel in der gallicanischen Kirche durch mehrere Jahrhunderte ohne Anstoss bedient. Es ist daran gelegen, dass nichts das Andenken der letzten Irrungen unter den französischen Geistlichen zurückrufe. Es ist daran gelegen, dass die Bekenner desselben Glaubens in gewissen Ausdrücken, die ganz besonders aus altem Brauche sich herleiten, mit einander übereinstimmen. Es ist endlich daran gelegen, dass Bischöfe, die denselben Titel führen, sich von einander nicht unterscheiden hinsichtlich der Art und Weise, in welcher sie zu den Geistlichen und Gläubigen ihrer Diöcese sprechen. — Paris, den 17 Erndtemonat im X Jahr der Republik. *Portalis.* — **Der Katholik.** *Eine religiöse Zeitschrift.* XVI. Strassburg. 1825. Beil. p. XXV. s.

1088.

Pius VII damnat electionem Eppi **Daventriensis** a schismatico AEppo **Ultrajectino** factam, A. 1805.

MON. Dil. filiis universis catholicis in Batava republica commorantibus. Perlatae ad nos sunt istinc literae Ioannis Iacobi Rhyn pseudo-AEppi Ultrajectensis, qui significavit nobis, se vacante propter obitum Nicolai Nelleman pseudo-suffraganei sui *Daventriensi* sede, *Gisbertum de Jong* elegisse, atque a nobis petiit, ut non solum hanc electionem apostolica auctoritate confirmemus, sed etiam ut electum ab se consecrari uno tantum assistente eppo permittamus. Ita scilicet dum magis magisque demonstrat, omnem se excussisse subiectionem Sedi Apostolicae, vafra hac nimisque iam nota et detestabili officii simulatione pergit tegere pervicaciam suam. Nam idem ille est Ioannes Iac. Rhyn, quem Pius VI fel. rec. decessor noster per apost. literas datas die 26 Aug. 1797. canonicis poenis obnoxium sacris interdixit, atque Ecclesiae communione privatum vitandumque declaravit, quod nullo iure contra huius Apost. Sedis decreta eligi et consecrari voluerit pseudo-eppus Ultrajectensis; in quem praeterea nos ipsi apost. literis datis die 1 Oct. 1802. easdem poenas renovavimus, cum Ioannem Nieuwenhuys pseudo-eppum Harlemensem contra omne ius fasque eligere et consecrare ausus est. Vix ad nos pervenerant huius hominis literae, cum alias accepimus ab ipso pseudo-eppo Daventriensi non dissimiles superiorum, quibus et is verbis simulata ea Ecclesiae subiectione, quam facto ipso nullam se habere demonstrat, ab Ioanne Iacobo Rhyn pseudo-AEppo Ultrajectensi se non solum consecratum fuisse narrat, sed etiam uno tantum pseudo-eppo praesente contra ea, quae in Pontificali Romano iuxta sacros canones statuta sunt, consecrationem fuisse absolutam. Atque ut culpam in culpa deprehendamus, narrat praeterea se fidei professionem iuxta formulam a Pio IV praed. nostro praescriptam emisisse, in quo etiam huic S. Sedi vel illu-

dere voluit, vel se imponere posse credidit. Nam in exemplo professionis a se pronunciatae, quod ad nos misit, omissum deprehenditur verbum ‚iuro,' quod bis in eadem formula occurrit. Facile est iudicare, dil. filii, quo animo ex his duabus literis affecti simus. Dum enim pro pastorali officio nostro totiusque dominici gregis sollicitudine omni nos ope et opera eniti oporteat, ut catholicae ecclesiae unitas firma et incolumis conservetur, atque illud vehementissime optamus, ut qui ab ea discesserunt, errorem agnoscant suum, ad eandemque redeant, illud contra evenisse deprehendimus, ut luctuosum schisma adhuc perseveret, in eoque fovendo ac tuendo sit illorum voluntas obstinatior. Itaque ut eorum, quos sanare non possumus, contagionem saltem ab aliis arceamus, uti postulat officii nostri ratio, vestigiis insistentes praedec. nostr. Benedicti 13, Clementis 12, Benedicti 14, Clementis 13, Pii 6, qui paria omnes iudicia in has electiones, aliosque similes nefarios ausus ediderunt, *huiusmodi literas posthabentes, ac penitus reiicientes, electionem Gisberti de Jong in pseudoeppum Daventriensem a pseudoaeppo Ioanne Iac. Rhyn peractam nullam, inanem, nefariam, irritam, eius vero consecrationem illegitimam, sacrilegam, et contra sanctissimas Romanae Ecclesiae leges factam apostolica auctoritate declaramus.* Ac proinde tam Ioannem Iac. Rhyn electorem, quam Gisbertum de Jong, ceterosque omnes, qui partem aliquam in sacrilega hac electione et consecratione habuerunt, — *excommunicamus*, anathematisamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et tamquam schismaticos habendos, et vitandos esse pronunciamus etc. *(ut alias.)* — Haec ad vos praesertim scribimus, dil. filii, ut per nos ipsos, quibus Deus O. M. universi sui gregis curam et gubernationem commisit, vobis exploratum fiat, quos cavere debeatis. Ceterum magno nobis solatio est vestra pietas, ac religio, et studium, quo vos valde inflammatos esse intelligimus, conservandae unitatis, et huic eiusdem centro, Sedis Apostolicae, subiectioni; quo in proposito ut permaneatis, nullis vos hortationibus indigere agnoscimus, et gaudemus quam maxime. Nihilo tamen minus hortamur vos, atque ad id excitamus, quod christiana caritas erga fratres, qui a vobis tantopere dissident, postulare maxime videtur, ut prece et obsecratione humili misericordiarum ac luminum patrem exoretis Deum, ut eorum mentes illustret, avertat ab errore, in viam revocet ve-

ritatis, unde misere discesserunt. Nos certe quantum efficere possumus, tantum efficiemus, ut dispersae oves ad Christi ovile revocentur, eoque nostrae, quas ad Deum assidue mittimus, preces spectant, ut divina ope omni demum sublato ac peremto schismate et errore deposito, eiusque petita atque impetrata venia resipiscentes, seque in sinum S. Matris Cath. et Apost. Ecclesiae recipientes filios cum incredibili gaudio vobiscum complecti possimus. Quam spem in Dei bonitate positam animo foventes, vobis interim dil. filii, quos ob veram pietatem sinceramque in beatissimi Petri sacratissimam Sedem obedientiam et fidem vestram praecipua caritate complectimur, apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 14 Dec. 1805. — **Bullarii R.** *continuatio.* XII. 400.

1089.

Pius VII corripit **Primatem Germaniae** Car. Dalberg, quod generalem dispensationem a lege abstinentiae pro die Sabbathi elargitus fuerit, A. 1809.

MON. Dolorem, quem pridem animo conceperamus *ob solutos incolas Lucernenses abstinentiae lege diebus Sabbathi*, refricarunt et auxerunt ea, quae nuper comperimus ex articulo quodam Calendarii Lucernensis pro A. 1809, quo edicitur: iuxta declarationem a Superiore Ecclesiastico factam dispensationem eppalem habitatoribus Cantonis Lucernensis concessam vescendi carnibus diebus Sabbathi extendi ad omnes dies Sabbathi totius anni excepto tantum Sabbatho Sancto, extendique etiam ad eos Sabbathi dies, quorum ieiunium ad tempus Adventus translatum non est, quales sunt Vigiliae Pentecostes, S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumtionis B. M. V., OO. Sanctorum, Nativitatis Domini, si huiusmodi Vigiliae in Sabbathum cadant, extendique demum etiam ad Sabbatha IV Temporum, firmo tantum remanente praecepto ieiunii circa ciborum imminutionem. Magno, uti diximus, affecti sumus moerore ob laxatam in omnibus anni Sabbathis abstinentiae legem. Sane nolumus quaerere, num ea lex ex iure communi, an ex constitutione

huius S. Sedis, vel universali consvetudine procedat, quorum quidquid placeat, *semper Summi Pontificis auctoritate opus erit, ut huic vel legi, vel consvetudini derogetur.* Hoc certum atque exploratum videtur, quod illud abstinentiae praeceptum in cunctis Germaniae Ecclesiis antiquissima consvetudine, quae communis est omnibus catholicis huius inclytae nationis, receptum est. Verum generalis consvetudo integrae nationis, quae vim legis habet in omnibus dioecesibus, quas eadem natio complectitur, haud sane in una aut altera particulari dioecesi abrogari, vel aliqua ex parte labefactari potuit. Atque hanc sane perpetuam fuisse sententiam omnium Ecclesiarum Germaniae manifestum est ex iis, quae usque ad hodiernam diem acta sunt; quoniam *omnes, quotquot in istis regionibus sunt, catholici pro huiusmodi dispensationibus obtinendis Apostolicam Sedem appellarunt.* Quodsi etiam dare et concedere vellemus, nihil actum fuisse ultra fines, quibus ordinaria potestas circumscripta est, semper tamen fateri oportebit, *abnormem datam fuisse veniam, eamque non congruam, neque convenientem, quaeque pessimi exempli est.* Revera sublata est per eam antiquissima disciplina, et quasi universalis, ipsisque haereticis magna est data offensionis causa reiecto usu et praescripto tam salutari, despectisque monitis C. Tridentini Sess. 25 de delectu cib. ieiun. et dieb. fest: quod — mandat omnibus animarum pastoribus, ut illa omnia, quae S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra statuit, fidelibus sedulo commendent, ut illis omnibus et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus etc. Atque hic, quoniam agitur de *Constantiensi* Dioecesi, omittere non possumus exemplum Cardinalis de Rodt istius Ecclesiae Eppi, qui in sua Synodo Dioecesana iterum typis edita A. 1761. quae in ista dioecesi vim omnem habeat semperque habuit, tit. 24. de ieiun. ac del. cib. omni studio commendat eam, quae novissime reiecta est, dierum Sabbathi abstinentiam; ac tit. ult. adiectam voluit gloriosam sibi declarationem his verbis: ‚quae in hac nostra Synodo dioeces. determinata, decreta et statuta sunt, nobis declaranda reservamus, inprimis vero illa omnia et singula, cum ea qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, iudicio et censurae SS. D. N. Pauli div. provid. huius nominis V et Sedis Apost. emendanda, corrigenda, augenda, minuenda, appro-

banda vel reiicienda humiliter subiicimus.' Quodsi monumenta quaerimus ex ecclesiasticis historiis, multa quidem sunt, quae evidenter ostendunt unius Sedis Apost. de laxanda abstinentia totum esse iudicium et auctoritatem. Sic S. Gregorius VII in Can. 8. Conc. Rom. V. quem canonem illustravit Christ. Lupus t. 6. ed. Ven. A. 1728. ex quo evincitur veneranda antiquitas ieiunii Sabbathi, quod postea in abstinentiam ab usu carnium conversum est. Sic S. Innocentius I epist. ad Decentium Ep. Eugub. Sic Innocentius III ep. ad Epp. Braccar. unde colligitur perpetua consvetudo rogandi de hoc toto negotio Sedem Apost. Sic Malacensis Eppus, qui A. 1682. eandem Sedem appellavit, sicuti narrat Benedictus XIV praedec. noster de Syn. Dioec. l. 9. c. 5. §. 3. Sic demum ipse Benedictus literis ab se datis ad Nuntium Hispaniarum Bull. t. 1. c. 118. quibus demonstratur, quam antiqua, quamque certa et firma sit ea in re possessio atque auctoritas Sedis Apost. Quid dicemus de malis gravissimis, quae ex laxata illa sanctissima disciplina oritura sunt! Compertum sane est, quanta sint haereticorum contemtus et displicentia rerum omnium, quae conducunt ad mortificationem carnis, qua de re ab ipsis deleta et abrogata sunt Ecclesiae praecepta, quibus ieiunia et abstinentia praescribuntur. Calamitosis hisce temporibus hostes catholicae religionis hoc maxime curant, atque huc praecipue spectant, ut eam si fieri potest evertant, non apertum ei bellum inferentes, sed omnem dantes operam, ut ea paulatim ad sectarum consvetudines atque sententias proxime accedat. Hoc sane propositum est novarum legislationum de earumdem sectarum methodo atque ratione; hoc item est propositum tot libellorum, qui sub specie tolerantiae philosophicae hoc unum conantur efficere, ut religiones omnes sine ullo discrimine confusae commixtaeque habeantur. Hinc qualis qualis possit esse causa, propter quam aliquis Eppus eccles. disciplinam laxare voluerit, semper simili facto e medio tollet, quae catholicos ab haereticis distingvunt, atque horum partibus studere videbitur, ita ut sensim sine sensu nullum amplius inter hos atque illos discrimen agnoscatur. Sed immensus adhuc accessit ad nostrum moerorem cumulus, cum comperimus, non tantum communibus Sabbathis carnium esum fuisse permissum incolis Pagi Lucernae, sed etiam eandem veniam fuisse productam ad omnia anni sabbatha, nimirum ad illa etiam, in quae incidunt vigiliae praecepti, ad sabbatha

quatuor temporum et quadragesimae, uno tantum excepto Sabbatho Sancto. Quis abnormem hanc veniam ratam firmam habere poterit! Porro ieiunium quatuor temporum et vigiliarum, quod non solum complectitur legem unicae comestionis, quae sarta tecta servata est, sed etiam abstinentiam ab esu carnium, ciborumque vetitorum, ut omnes norunt, a Sedis Apostolicae auctoritate procedit, quae cum suprema in Ecclesia sit, inferioris imperio tolli atque abrogari non potest. Huc accedit, quod ieiunium praesertim quadragesimae et quatuor temporum non solum universalis sed etiam vetustissimi iuris est, imo ex apostolica traditione procedit, quod multo magis de abstinentia ab esu carnium in tota quadragesima dicendum est. Itaque non laxata solum, sed etiam sublata est una ex iis partibus, quae ieiunium constituunt in iis diebus, in quibus ieiunii lex a superiori potestate constituta est. Ex quo manifestum est, contra omne ius fasque esse recentiorem illam legem, qua antiquius illud de Sabbatho indultum ad omnia sabbatha productum est. Nam quamquam Sedi Apostolicae reservata non esset dispensatio, multo magis abrogatio legis abstinentiae in Sabbathis ordinariis, tamen dubitari non posset, quin ad eam tantum pertineat dispensatio in sabbathis privilegiatis, in quibus scilicet abstinentia alio titulo ab ecclesia praescripta est. Tecum ipse reputa, ven. frater, num haec taciti praeterire potuimus nos, qui in persona B. Petri a Salvatore nostro Iesu Christo iussi sumus fratres confirmare, qui quidquid mali est ab Ecclesia removere, qui catholicos usus legesque integras conservare, qui S. Matris Ecclesiae filios ab iis, qui ab ea defecerunt, distinctos retinere, qui demum omni ope et opera curare debemus, ut incolumis sit veneranda Ecclesiae disciplina, eaque praesertim, quae pertinet ad evangelicas virtutes, christianamque pietatem et poenitentiam exercendam. Gravi nos certe obligaremur culpa, nisi omni studio occurreremus perniciosis novitatibus, quae rei catholicae magnum inferunt detrimentum. Nostro igitur ministerio satisfacturi ad Te scribimus, rogantes per viscera misericordiae Dei nostri, atque etiam, si opus est, *in vim sanctae obedientiae praecipientes, ut omni studio removendum cures tam grave malum, quod per indultum est illatum*, et quod in posterum deteriores etiam habebit consequentias. Non dubitamus, quin illud sine tuo consensu prodierit, opera hominum, qui male sunt animati in

catholicam religionem, ac praesertim Vicarii Generalis, quem Constantiae retines cum moerore nostro, et cum magna omnium bonorum offensione. Fac igitur, ut facto ipso omnibus ostendas, quantum abhorreas ab indulto, quod deterrimi exempli est, ac sanctissimis Ecclesiae legibus repugnat, illudque e medio tollas, ac nullius roboris et momenti esse edicas, cunctaque restituas in locum, in quo pridem erant, ita ut in posterum Sabbathi abstinentia, uti hactenus factum est, ab omnibus accurate observetur. *Nos idem indultum iam nunc nullum atque irritum apostolica auctoritate declaramus, atque ubique integram atque incolumem esse volumus Sabbathi abstinentiam*, nostrumque hoc exemplum te imitaturum confidimus pro tua sapientia et annexo Eppatui onere procurandi salutem animarum, tuaque in nos atque in Apost. hanc sedem pietate et observantia. Quam spem alte animo retinentes, tibi ven. frater, cunctoque populo tuae fidei credito apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 4. Febr. 1809. — **Denkschrift** *über das Verfahren des Römischen Hofs bei der Ernennung des Gen. Vicars Fr. v. Wessenberg zum Nachfolger im Bisthum Constanz.* Carlsruhe. 1818. Documente p. 101.

1090—1093.

Eppi et Capitula Italiae A. 1814. ss. retractant solemniter declarationes suas pro famosis propositionibus Gallicanis anni 1682. Imperatori Gallorum Napoleoni A. 1811. praestitas.

INTR. Occasione illa, qua Napoleon Gallorum Imperator de famosis IV propositionibus Gallicanis anni 1682 Capituli Parisiensis solennem declarationem, iisdem propositionibus faventem, obtinuit: multi ex Praesulibus et Capitularibus in sententiam Capituli Parisiensis abierunt. Idem fecerunt etiam Eppi et Capitula Italiae: qui tamen restituto in Europa ordine, declarationes suas datis ad Summum Pontificem literis, solemniter retractarunt. Ex 77 huiusmodi Retractationibus illas duntaxat ex-

hibemus, quae lingva Ecclesiae conceptae ac ceteris potiores sunt.

1090. MON. *Eppus Albingaunensis.* Beatissime Pater! Quod erat maxime in votis, animumque meum graviter angebat ad tuos pedes prostratum, sinceram et humilem retractationem offerre Beatitudini tuae, adhaesionis meae praesertim propositionibus Gallicanis, tibique Capiti visibili totius Ecclesiae, centro catholicae unitatis Patrique Sanctissimo et amantissimo veram et numquam imminutam filialem obedientiam devotissime declarare: id laetitia et gaudio pene absorpto exequi haud licuit, cum redux e Fonte Blaudi, ubi per immanem iniuriam detentus diu fueras, in meo Episcopio hospitare et pernoctare, ipsumque tua maiestate implere non es dedignatus. Quod ergo tunc festiva perturbatio distulit, nunc perficere festino. Ad tuos itaque pedes provolutus, illud inprimis profiteor, nec auctoritate nec iure unquam licuisse Civili Potestati de disciplina ecclesiastica, de divisione vel regimine dioecesum, de Sanctorum officiis decernere, quod unice Ecclesiae Tibique eius Supremo Pastori competere in confesso est apud omnes. Quapropter *adhaesionem meam propositionibus Gallicanis incompetenter expetitam, et incompetenter praestitam, laudesque, quibus reprobata comitia cumulavi, dolens ac poenitens retracto:* brevibusque et decretis Rom. Pontificum Innocentii XI, Alexandri VIII, Innocentii XII, et Pii VI subscribo. Imo verba Alexandri mea facio, quibus acta, declarationes, epistolas, decreta, propositiones Comitiorum A. 1682 ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse, ac perpetuo fore profiteor, meamque declarationem reiicio et damno. Quamvis enim nec fideliter nec integre typis vulgata fuerit, et praesertim omissa fuerit periodus, qua doctrinam Symmachi Papae in sua epistola ad Avitum complexus falsam assertionem Capituli Parisiensis oppugnabam, nullam in Ecclesia potestatem esse canonibus superiorem, id nec apologiae nec defensionis titulo commemoro. Fateor enim nec fieri, nec emitti a me unquam debuisse. Hinc iis scriptis eam accenseo, de quibus aiebat S. Augustinus, legi tantum posse, si nonnullis ignoscatur, vel si non ignoscatur, non tamen inhaereatur erratis. Nihil enim dignius Eppo, ut aiebat Vigilius ad Patriarcham Mennam, in regenda dioecesi, in clericis instituendis, in fidelibus instruendis existi-

mo, quam a Romanorum Praesulum non deviare doctrina, ipsique, prout constanter professus sum, sincere obedire, cum ex fine et officio Primatus definiunt aliquid credendum, vel damnandum ex catholica fide. Utinam turbulentissimis temporibus vetitus tua oracula expostulare, quibus ex divina institutione confirmas fratres tuos, exempla saltem invictae constantiae et heroicae virtutis, quae quinquennali captivitate attonito orbi exhibuisti, aemulari et sequi sategissem! Ut ergo omnem suspicionem meae adhaesionis declarationi Capituli Parisiensis diei 6 Ian. 1811, si qua remanet, deleam, id omne revoco et reprobo, quod Sanctitas tua Brevibus ad Capitula Parisiense et Florentinum datis revocavit et reprobavit, praesertim relate ad electionem seu nominationem a Potestate seculari factam Vicarii Capitularis, seu administrationis Ecclesiarum vacantium: ita, ut quidquid Sanctitas tua in illa vel in mea declaratione reiecit et damnavit, ego pariter reiiciam et damnem. Scriptiunculam etiam latinam, qua officium S. Gregorii VII supprimere coactus fui, revoco et reprobo. Quaecunque ergo vel iniquitas temporum, vel praeconceptae opiniones de nostra Ecclesiae Gallicanae aggregatione, vel humana fragilitas extorquere potuerunt, ea omnia revoco ac reprobo. Huic retractationi accedit et sincere subscribit Capitulum meae Cathedralis, quod in meam sententiam adductum, nunc mecum ad tuos pedes provolutum veniam humiliter implorat, uno ore omnes eam fidem confitentes, prout corde et verbis et scriptis semper professi sumus, quam S. Romana Ecclesia, ad quam propter suam principalitatem necesse est omnes Ecclesias convenire, profitetur et docet. Haec doloris nostri sensa benigne excipe, Beatissime Pater, et veniam, et tuam apost. benedictionem nobis impertiri non renue, qua illae firmentur, quas pridem paterno plane affectu nobis es elargitus. Deus autem O. M. Sanctitatem tuam orbi christiano incolumem servet, tuumque Pontificatum dire hactenus vexatum, tranquillum tandem et diuturnum faciat, ut pro tua heroica constantia, sapientia et dexteritate urbi Romae, toti recuperatae ditioni ecclesiasticae, universae Ecclesiae ut Princeps et Pontifex possis providentissime consulere. — Albingauni die 12 Oct. 1814. Angelus Vincentius, O. P. Eppus.

1091. *Capitulum Mantuanum.* Superno adiuvante lumine, Beatissime Pater, modo tacti dolore cordis intrinsecus, Abbas,

Dignitates, et Canonici insignis Aulico-Regiae Imperialis Collegiatae S. Barbarae Mantuae, S. Ap. Sedi immediate subiectae, has denuo supplicationes lacrimis irrigatas Sanctitati tuae humiliter offerre debito fidentique impelluntur consilio: agnoscentes praecipue, sicut filii aberrantes a via, qui si perierant, iam revixerant, neminem posse ad tanti Patris ulnas et genua accedere, quin apost. benedictionem consequatur et gratiam. Eo quapropter a singulari Beatitudinis tuae miseratione ac clementia adducuntur ac sustentantur, ut eventum sperare quam secundissimum liceat, nempe obtenta largiter venia in pristinum sese redituros valde confidunt. *Fatentur* enim *ipsi moerentes, ex quadam potius debilitate quam sententia tunc temporis cum Libertatibus Gallicanis heu publice et ipsos stetisse; ex quo tamen nullam, uti fas est, excusationem subinferunt, sed imo errorem ipsorum maximum iam pridem agnitum nunc lugent ex corde atque confitentur.* Verum ut melior quoque confessio fiat ad salutem, ab eisque indignatio tua prorsus ablegetur, supplices rogant, atque obtestantur, ut hanc illorum confessionem benigne excipere non dedigneris, quam, sicut praedictae adhaesionis attestatio publice clangentibus prope buccinis emanata fuit, typis quoque mandari tamquam monumentum toto christiano orbe propagandum iamdudum parati sunt. Quare poenitentia ducti, demisse quam fieri potest veniam a te, Beatissime Pater, omnibus votis exposcunt, ac de plenitudine tuae apostolicae potestatis a reatu absolutionem enixe implorant. Deus autem incolumem servet Beatitudinem tuam, cuius sanctissimos pedes humillime deosculantur. Mantuae 5. Febr. 1815. Ios. Marchio Sordi, Abbas et Ordinarius, etc.

1092. *Capitulum Concordiense.* Anno D. 1815. die 5 Dec. in Sacristia Capitulari Portusgruarii nostrae residentiae de mane post horas matutinas convocatum fuit Capitulum Cathedralis Eccl. Concordiensis, et ad hoc per nuntium nostrum invitati singuli Canonici residentes, totum Capitulum facientes. A D. Decano propositum fuit, ulterius non esse progrediendum, quin opportunum praestetur remedium inconvenienti a Capitulo ipso commisso, A. 1811 4 Martii acceptando Rescriptum vulgo ‚Indirizzo' Metr. Eccl. Parisiensis, Eppis et Capitulis Cathedralibus a tunc regnante Napoleone diffusum, ei plenam adhaesionem praestando, eamque scripto Viceregis Italiae organo ad Napo-

leonem transmittendo. Cuius facti erroneam cognoscentes directionem Canonici omnes declararunt ut sequitur: Funestissimis et aeterna oblivione damnandis illis violentiae et terroris diebus, quibus percusso Pastore et Magistro catholicae veritatis optimo, Beatissimo ac SSmo Pastore Pio VII P. M. incolumi nunc et feliciter regnanti, disperso grege, filii sine Patre, discipuli sine Magistro quasi oves errantes multi ac multi in vias mendacii abierunt. Heu tenebrosissimi et periculosissimi dies! Nos quoque, cuius memoria altissimo moerore afficit, seducti exemplo multorum fratrum et Canonicorum insignium Cathedralium, in publicis foliis petulanter diffuso, venenosa pascua delibavimus, falsis principiis et erroneis dictaminibus adhaerentes, et ad Regem Napoleonem eadem dirigere non erubuimus. A longe audientes vocem catholicae veritatis SSmi et optimi Patris nostri, praeoccupare cupientes divinam et apostolicam indignationem, nulla interposita mora, *ex toto corde et sincero animi affectu cum lacrimis retractamus de facto et retractatum declaramus scriptum nostrum die 4 Mart. 1811 vulgo* ‚Indirizzo' *ad Napoleonem,* et solemni declaratione damnamus, proscribimus doctrinam Metr. Capituli Parisiensis, et illius scripti vulgo ‚Indirizzo,' profitentes nos reiicere scripta tam illius Capituli quam nostra in materia, de qua tractant; quinimo totis viribus tam privatim quam publice eam doctrinam detestari profitemur, et ubicunque oportuerit pro posse eam impugnare. *Angulari petra firmati confitemur unam solam cath. apost. Rom. Ecclesiam iuxta SS. Patrum et Conciliorum statuta esse veritatis magistram,* extra quam et contra quam nisi mendacia et deliramenta inveniri non possunt. Demum SS. Apostolico Pontifici Romano promittimus sinceram obedientiam, eiusque doctrinis ac fidei articulis ab ipso propositis integram et plenissimam adhaesionem, dispositi pro eorum confirmatione servare constantiam usque ad mortem, etiam cum proprii sangvinis effusione, si opus fuerit. Sic O. M. Deus nos adiuvet. Confidentes eadem esse sensa ac spiritus nobilis Comitis Ascanii Altan, commorantis nunc Romae Cathedralis Concordiensis Canonici et confratris nostri, eundem plenis votis deputamus, ut ad pedes SS. et Optimi Pontificis hanc nostram retractationem et declarationem subiiciat, veniam et apost. benedictionem humillimis et enixis precibus implorando.

1093. *AEppus Corcyrensis pro Eppo Pharensi.* Ubi pri-

mum Ephemerides in lucem protulerunt opiniones et sensus, quos extincto Gubernio declarabant nonnulli Italiae Eppi, Capituli Metr. Parisiensis exempla secuti: Angelus Petrus Gallius, Pharensis Eppus, patruus meus, plane novit nova damna parari Ecclesiae, novum Pastori studiosissimo doloris genus inferri; et illud, quo incendebatur, desiderium mihi saepius aperuit, ut nimirum exurgeret, qui honoribus stipendiisque posthabitis Sedis Apost. sacra iura defenderet, et nonnullorum vestigiis insistere animi alacritate, constantia, robore recusaret. Dum haec secum volutabat in animo, maxima afficiebatur laetitia, quod sua dioecesi in extremae Dalmatiae insula constituta nunquam se eo adduci putabat, ut ceteros imitari deberet, suaeque mentis cogitationes de gravissimis rebus expromere. Haec tamen spes eum fefellit: nam ad illud munus obeundum, a quo tantopere abhorrebat, per gubernialem epistolam fuit evocatus. Quanto doloris sensu huiusmodi nuntium acceperit, explicare quis possit? Verum fractusne eius animus, fluctuans et incerta voluntas? Minime vero. Consilium iam ceperat, iam sibi silentium indixerat, silet. Non illum potuerunt officia amicorum a proposito removere, non flectere pollicitationes, non blanditiae emollire, non minae perterrefacere. At nigro lapillo signabitur Gallii nomen. Esto. Quidquid sibi mali sit eventurum, interritus, infractus, invictus in sententia perstat. Verum enimvero ea est hominum conditio, ut consilium quandoque mutent, nec eandem semper retineant animi firmitatem. Qui nihil exarare statuerat, qui aliorum inopportunas svasiones moleste tulerat, in idem miserrime abripitur. Multum moeroris mihi attulit inopinata mutatio, quibus tamen de causis hoc factum sit, prorsus ignoro. Illud autem certo scio, quod eo temporis, quo suae declarationi exarandae operam dabat sub die 14 Febr. 1811, tristis ac perturbatus palam testabatur, se nolle iudicis partes sibi in iis vindicare, quae Catholica Ecclesia nondum definiverit, se ratum firmumque habere quidquid filiis suis ipsa proponit quoad iura Pontificis, qui est ipsius visibile Caput, et unitatis catholicae centrum. Ita sane sentiebat, quum non libenti animo, sed fatear oportet, invito declarationem exhibuit. Sperabat fore, ut typis non mandaretur, utpote quae petentibus iniucunda. In lucem tamen prodiit, sed, o hominum fidem! mutata, sed fraudulenta, sed improba. Amare tunc flevit et de sua et de aliorum calami-

tate. Nec flevit solum, quinimo tanto est dolore correptus aegrae valetudinis vir, dum libere, ut poterat, atterere meditabatur inimicorum audaciam, gravissimo morbo implicatus brevi interiret, secumque ferret moerorem simul et desiderium. Huic amplissimi viri desiderio quoniam felicia concedunt tempora, ego libentissime satisfacio. Recordor enim quam salutaribus me a pueritia praeceptis imbueret, quoties erga D. Petri successorem me ad obedientiam, fidem, obsequium hortaretur. Illo duce ac magistro Petri successorem ipsius Christi personam gerere intellexi. Ille me docuit plenam clavium potestatem nemini datam fuisse praeter Rom. Pontificem, qui magister omnium est, vocis Christi fidus interpres, verum supremumque oraculum de rebus Ecclesiae maximis sciscitandum. Ab illo denique patuit mihi aditus ad cognoscendum, quod circa ea, quae sunt fidei, contingit quaestiones moveri, per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius scilicet Romani Pontificis sententiam conservaretur. Haec, Pater Sanctissime, Pharensis Eppi fuere sensa. Poteratne eadem immutare repente, et plus etiam satis sibi tribuere? Longe aliter rem se habere ipse, si posset, testaretur, ut demonstraret opiniones suas minime Ecclesiae Cath. repugnare, seque Tibi, Epporum Eppo, et Pastorum Pastori firmiter in omnibus adhaerere. Sed iam finis sit. Pacem precor aeternam patruo, et rectae eiusdem conscientiae plenum facio coram te ac solemne testimonium, dum ss. pedes tuos devote humiliterque deosculor. Romae 15 Cal. Mart. 1816. Paulus Augustus, AEppus Corcyrensis. — **Dichiarazioni e Ritrattazioni** *degl' Indirizzi stampati in Milano l' anno 1811. umiliate alla Santita di N. S. Papa Pio VII dagl' Illmi e Rmi Monsignori Arcivescovi e Vescovi e dai Capitoli d' Italia.* Roma. 1816.

1094.

Pius VII PP. neo-electum et consecratum AEppum **Ultrajectinum** schismaticum excommunicat, A. 1814.

MON. Dilectis filiis universis Catholicis in Belgio Batavo commorantibus. Inter maximas, quae undique ad nos mittuntur pro felici faustoque nostro ad Sedem Apostolicam reditu, gratulationes, dum solemnes ubique gratiae Deo O. M. aguntur, quod saevissimam illam, quae non Ecclesiam modo sed totam prorsus Europam obrutura videbatur, tempestatem sedaverit, in mediis Catholicorum Epporum officiis, quibus obsequium et obedientiam nobis suam certatim testantur: ecce ingratissimae *Willibrordi Van Os* literae nobis redduntur, quibus se in *AEppum Ultrajectensem* electum die 10 Febr. huius anni, et, quod longe gravius est, die 24 Aprilis a Gisberto de Long Daventriensi inter suos nuncupato Eppo consecratum fuisse, nobis impudentissime significare ausus est. Luctuosus huiusmodi nuncius acerbissimam Ultrajectini schismatis memoriam refricavit, et infelicem tot laborum exitum, quibus illud extingvere Summi Pontifices decessores nostri nosque ipsi plus una vice conati sumus, in mentem intimo ea re dolore perculsam reduxit. Quod autem Willibrordi facinus nullo pacto per se ferendum vehementissime auget, est callidus ille fucatusque scribendi modus, quo veteratorum sui similium artes imitatus aut fallere nos aut saltem demulcere adgressus est. Suum enim erga hanc S. Sedem obsequium, suamque in nos venerationem officiosis conceptisque verbis profitetur, ad nostros denique pedes provolutus apostolicam a nobis benedictionem efflagitat. Inter has autem inanium verborum blanditias Apost. Sedis iura factis conculcat, sacrarum legum sanctiones aperte violat, venerandam Ecclesiae disciplinam nefarie corrumpit, et irrogatas toties sui similibus eandem ob causam poenas procacissime aspernatur. Quae cum ita sint, apostolico, quo immerentes fungimur, muneri nimis desse merito videremur, si Willibrordi scelus, illorum, qui suppetias in eo patrando

illi tulerunt, sceleribus cumulatum, sileremus, et inultum abire pateremur. Ex hac igitur Apost. Sedis specula vocem iuxta illud ‚Clama, ne cesses' attollimus, vobisque dil. filii, in quorum conspectu haec tam indigne facta non sine vestra procul dubio execratione contigerunt, universaeque simul Ecclesiae auctoritate divinitus nobis demandata declaramus atque decernimus tam electionem eiusdem Willibrordi Van Os in AEppum Ultrajectensem illicitam, irritam ac nullam, quam eius consecrationem esse illegitimam ac sacrilegam, contraque sacrarum legum sanctionem factam; memoratumque Gisbertum de Long consecratorem, et ipsum Willibrordum Van Os electum consecratumque, omnesque eos, qui partem in nefaria electione habuerunt, quique tam electioni quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque quomodolibet praestiterunt, excommunicamus, anathematisamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse pronunciamus, constituimus, et mandamus; praeterea dictum Van Os declaramus ab omni exercitio eorum, quae iurisdictionis sunt, et ordinis, esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excomm. ipso facto sine ulla declaratione incurrendae, ne ullo pacto chrisma conficere, Sacr. Confirmationis conferre, Clericos ordinare, aut alia quaecunque sunt eppalis ordinis, exercere valeat, decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque roboris prorsus ac momenti omnes et singulos alios actus, quos attentare praesumserit. Qui vero ab ipso eccles. ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos esse, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint. Inviolabilis Ecclesiae Cath. unitas, indubitata Sedis Apost. iurisdictio, sacrarum legum disciplinaeque eccles. a novatorum ausibus vindicandae studium ad hanc in Willibrordum Van Os eiusque socios animadversionem nos adegerunt. Quanto libentius eos, si facti sui poenitentes inconsutilem Christi vestem lacerare desinerent, apostolicis gratiis cumularemus! Quod esset nostrum gaudium, si devias ab ovili oves reducere, et exitiosos, quibus misere laborant, morbos sanare nobis contingeret! Hoc a coelesti Pastorum Principe assidue petimus, hoc ipsum, dil. filii, ab eodem petitote, ut scilicet refractariorum hominum mentes illustret, obstinatam voluntatem flectat, induratum cor molliat, atque ad catholicam veritatem denique amplectendam inclinet. Inte-

rim, dil. filii, eos diligenter cavete, ipsorumque societatem respuite. Id vos pro vestra erga nos et Sanctam hanc Sedem fide ac reverentia sedulo facturos rati apostolicam vobis ipsis benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 7. Sept. 1814. — **Müller** *encyclop. Handbuch des Kirchenrechts.* I. Leipzig. 1829. p. 220.

1095.

Pius VII PP. nominationem Eppi **Monasteriensis** per Napoleonem Gallorum Imp. factam, item Capitulum novum ab eodem constitutum annullat, et restituto veteri Capitulo, Vicarium Capitularem renunciat. A. 1814.

MON. *Clementi Droste, Vicario Capitulari Monasterium.* Pius PP. VII. Dilecte fili etc. Non mediocri nuper tristitia affecti sumus, cum audivimus de statu *Monasteriensis* Ecclesiae, quae et ipsa praeteritae persecutionis vi atque impetu labefactata est. *Veteri enim Capitulo disiecto novum suffectum est; Eppus nominatus ab eo, cui nulla erat eius rei facultas; ille vero huic tamquam legitimo institutori cum se Parisiis iureiurando obligasset, ubi isthuc rediit, a Capitulo Vicarius Capitularis electus est, tuque ipse, qui eo munere fungebaris, facultates cum eodem communicasti, vel ut scribis, delegasti tuas,* ita tamen, ut nihil per te, sed omnia per illum agerentur, atque ad eum tu idem mitteres, qui aliquid a te petituri veniebant. In hac autem animi nostri molestia non parum solatii atque alleviationis sensimus nobis accessisse, cum simul cognovimus de tua religione ac pietate, egregiaque in nos atque in Apost. Sedem observantia, atque de animo et voluntate, qua spondes ac recipis te omnia promte ac lubenter facturum, quae tibi praeciperentur a nobis. Ex his enim intelleximus, *te communi, qua circumdati sumus*, ut Pauli verbis tecum loquamur, *infirmitati succubuisse.* Cupientes itaque animi tui quieti ac tranquillitati prospicere, nosque volentes eos esse, qui condolere possimus

iis, qui ignorant et errant, *nostra et apostolica auctoritate te in Vicarium Capitularem eligimus, eiusque officii exercendi facimus potestatem, idque ea mente et consilio, ut si quid a canonum praescriptione ac norma aberratum est in prima illa electione, praesenti hac nostra emendetur.* Quae autem tibi praecipienda esse arbitramur agendaque tibi demandamus, haec sunt: *Facultates nominato Eppo a te concessas* ita *revocabis*, ut eius rei publicum extet testimonium, ex quo omnes sciant, te unum esse, a quo et dispensationes matrimoniales et alia omnia potestatis eclesiasticae propria peti debeant; *novum* ut deinde *Capitulum abroges, vetusque restituas*, revocatis iis omnibus, ex quibus antea constabat, canonicis. Cum vero communiter a Capitulo hoc novo fuerit peccatum in eligendo in Vicarium Capitularem nominato Eppo, communis quoque tua erit in eos animadversio, quam hac a te volumus ratione adhiberi, ut uniuscuiusque culpa diligenter explorata et cognita secundum eam imponas poenam huiusmodi, quae et ad removendum scandalum sit idonea, et quae prout quisque erraverit, aut gravior esse debeat aut levior. Quo vero animadversionis ac poenae genere utendum tibi sit, id omne volumus esse arbitrii tui atque iudicii. Tibi enim existimamus non minus esse zeli atque studii, ut formosissima Christi sponsa floreat pulchritudine sua et candore, quam sit prudentiae et caritatis in proximi erroribus corrigendis. Interim, dilecte fili, perge pietatem virtutemque tuam in Catholicae Ecclesiae splendorem istiusque gregis bonum conferre, nosque tibi, clero populoque isti apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 4. Oct. 1814. — **Benkert,** *Athanasia, Zeitschrift für die gesammte Pastoraltheologie. Neue Folge.* VIII. Würzburg. 1838. p. 153.

1096—1098.

Brevia **Pii VII.** ad Carolum Dalberg **AEppum Ratisbonensem**, item ad Capitulum Constantiense, de separatione Pagorum Helveticorum a dioecesi Constantiensi. Eadem occasione reprehendit AEppum ob plura in gubernio dioecesano perperam gesta, cupitque famosum ‚Wessenbergium' a munere Vicarii Gen. removeri. A. 1814. ss.

1096. MON. *Breve primum ad AEppum.* Quod aliquantulum differre ob ipsius rei gravitatem, de qua ad nos scripsisti, nimiamque aliorum negotiorum copiam, qua premimur, coacti fuimus, nunc responsum mittimus, V. F. literis tuis die 24. Iul. ad nos datis, quibus nos de funestissimo atque abiectissimo (florentissimo olim ac nobilissimo) Germanicae Ecclesiae statu certiores fecisti. Legentibus eas nobis non potuit non renovari imo et exacerbari praeter modum ingens illud et nulla consolatione leniendum doloris vulnus, quod toties recrudescit in nobis, quoties tot tantaeque calamitates, quas minime fas erat nos ignorare, menti nostrae recurrunt atque obversantur. Sed simul non potuit effici quin profusis lacrimis cum propheta diceremus Deo: Quam terribilia sunt opera tua Domine! et iterum: Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum. Quis enim est stupidus adeo et mente excoecatus, qui cum videat tot nobilissimas opulentissimasque eppales sedes, quibus etiam Principatus secularis iure competebat, subito deiectas et ad nihilum pene redactas fuisse, in tam funesto et inopinato eventu Omnipotentis Dei terribilis in consiliis super filios hominum non ultricem manum agnoscat? Nemo quippe ignorat, quam saevum et pertinax in Germania bellum contra Sedis Apost. iura postremis hisce annis gestum fuerit: quanta catholici orbis indignatione illi ipsi, qui se veluti muros pro domo Israel opponere debuissent, eidem funestissimo bello faverint et opes viresque suas ad illud promovendum ur-

gendumque coniunxerint: quam denique inutiliter fel. rec. decessor noster Pius VI. exaltans quasi tuba vocem suam ecclesiasticae isthic disciplinae ac tranquillitatis hostes compescere atque ad sanam mentem revocare studuerit. Inde procul dubio factum est, ut auctoritate Sedis Apost. in contemtum adducta, violatis Ecclesiae legibus, laxato nefariis novitatibus froeno, teterrima errorum colluvies et miserrima rerum omnium eccles. perturbatio vel ipsas inclytae istius nationis provincias antehac catholicae religioni addictissimas perverterit, ac deturpaverit. Quae tua in mediis hisce Cleri Germanici turbis agendi ratio fuerit, Tute ipse V. F. nosti. Utinam nullam de te merito querendi occasionem nobis dedisses! Quo gaudio perfunderemur, si contra ac facere cogimur, tua in praeliis Domini praeliandis virtus praedicanda nobis esset! Non ut te confundamus, haec scribimus, sed ut carissimum filium moneamus, sperantes scilicet fore, ut adspirante divina gratia, tot luculentissimis coelestis irae ostentis edoctus atque permotus redeas tandem ad cor, et saniora consilia amplectaris. Huius immutatae tuae mentis testes nobis sunt et quaedam veluti cautio postremae litera e tuae sane religiosissimae et officii plenissimae: neque enim dubitare possumus, quin sincere Ecclesiae mala defleas, quae tam flebiliter exponis, et quin ea conscientiarum damna, quantum in te est, sarcire satagas, quae tumet irrogasti. Quo sane nihil accidere poterit nobis optabilius, nihil tibi ipsi gloriosius, nihil Ecclesiae sanctae Dei et praesertim Germanicae vulneribus medendi dolorique leniendo opportunius. Non enim dici potest, quantopere in utramque partem valeat exemplum hominis, cuiusmodi tu es V. F. cum insigni dignitatis amplitudine, tum magna ingenii, doctrinae, dexteritatis fama spectatissimi. Consule igitur, conscientiae tuae, consule saluti animarum, consule ecclesiis tibi concreditis. Fac, te obtestamur, ut quod obsequium, quam animi demissionem, quam obedientiam toties huic S. Sedi, et potissimum postremis literis tuis protulisti verbis, nunc tandem factis etiam ostendas. Illud autem inprimis pro suprema nostra auctoritate et in virtute sanctae obedientiae tibi praecipimus, ut ab officio Vicarii Generalis Ecclesiae Constantiensis, cuius speciali favore nostro administratio commissa tibi fuit, sine ulla cunctatione famosum illum *Wessenberg* dimittas, de cuius perversis doctrinis, pessimis exemplis, ac temerariis oblucta-

tionibus adversus Apost. Sedis iussiones delata ea nobis sunt certissimisque documentis probata, ut sine magna fidelium offensione et conscientiae nostrae labe tolerare eum diutius nequeamus. Quoniam vero non semel declarasti paratum te esse decretis nostris circa Catholicos Helvetiae Pagos ad eandem Constantiensem Dioecesim spectantes omni qua par est submissione acquiescere, non equidem dubitamus, quin aequo submissoque, quo par est, animo feras, quod nos iteratis eorum iustissimisque petitionibus permoti atque evidenti utilitatis causa compulsi a dicta dioesesi separandos eos fore iudicaverimus, quemadmodum de facto de plenitudine apostolicae potestatis separamus, novas deinceps eppales sedes illis in regionibus erecturi. Qua de re per praesentes has nostras literas admonitam, ut par est, Fraternitatem tuam volumus. Demum si, ut confidimus, studium, quod pro Ecclesiarum Germanicarum bono commemoratis tuis literis praefers, sincerum est, atque a zelo profectum, qui est secundum Deum, non solum non aegre feres, sed vehementer laetaberis, quod pro ea, qua urgeri debemus, Ecclesiarum omnium sollicitudine, proque ea, qua Germanicas peculiari caritate complectimur, ad serium examen non tam gravissima mala, quibus eaedem affliguntur, quam errores omnis generis contra sanam doctrinam, quibus foedantur, revocari mandavimus, ut iis opportuniora et efficaciora remedia, quantum in nobis fuerit, tandem aliquando adhibeamus. Quod ad te attinet, pro paterna, qua te prosequimur, benevolentia, te admonemus, obsecramus et obtestamur in Domino, ut ea interim retractando et emendando quae praepostere antehac egisti, et docuisti, saluberrimam tute ipse medicinam curandis Ecclesiae Germanicae malis adhibere velis. Nos siquidem illius vices gerentes in terris, qui venit salvum facere quod perierat, malumus fratrem lucrari quam perdere, corrigere quam damnare. Haec dum fore speramus, et enixis precibus a Divina misericordia imploramus, apostolicam tibi V. F. benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 2 Nov. 1814.

1097. *Alterum Breve ad eundem, 1816.* Inter tot curas atque molestias, quas utique gravissimas nunc temporis perferre cogimur, et quae accessione tot malorum, quibus conflictatur christiana Respublica, invalescunt in dies, peracerbae obvenerunt literae tuae, quas 18 Cal. Ian. et 3 Id. Aug. anno

superiori ad nos dedisti. Sperabamus equidem eo iuvante Patre luminum, a quo est omne datum optimum, paterna consilia ac salutaria monita, quae nostris ad Te literis in verbis fidei et bonae doctrinae proposuimus, animo docili et ad meliora quaeque comparato a te susceptum iri. Ast quos inde operiebamur fructus laetos et uberes, haud certe percepimus, nostramque cohortationem inanem tibi persensimus, cum imo (inviti quidem atque gementes dicere cogimur, cum tacere diutius zelo Dei nos urente non valeamus) novas per te moerendi causas parari dignoverimus, acerbioresque nobis angustias irrogari. Molliti sane videntur super oleum sermones, quibus de tua in Apost. Sedem devotione certos nos facere conniteris, et debilem te atque errori obnoxium asserens tuam de praeterito tempore pertexis excusationem. Sed quantum huiusmodi dictis tua facta respondeant, tibi ipsi iudicandum relinquimus, hortamurque vehementer, ut omni terreno affectu seposito, omnique partium studio sublato ante Deum, qui scrutatur renes et corda, id bonus ipse et aequus aestimator expendas. Perspicies scilicet, num verbis potius quam factis fidem, amorem, obsequium et obedientiam in eam Cathedram exhibeas, ubi mitem Magistrum Christum et summum Caput nostrum fundamentum Ecclesiae posuisse Galliarum Antistites olim professi sunt. Perspicies, quonam animi candore et zelo illorum bono collabores, qui tuae fuerunt curae concrediti. Perspicies demum, quibus sensibus imbutus sis, quo pane filios enutriveris, in quae pascua gregem compuleris. Piget profecto V. F. singula percensendo enucleare, quae minus recte de Catholicis Helvetiae Pagis rescripsisti, quos e Constantiensi Dioecesi separandos censuimus, ut novas ibidem in tot fidelium commodum eppales sedes constituamus. Adversantur, quae causaris, doctrinae Patrum, Conciliorum decretis, Pontificum Constitutionibus, imo et ipsi Ap. Sedis auctoritati, quae quidem etsi, quandocunque de avellenda separandaque dioecesis alicuius parte res est, ordinarium eius interesse habentem interpellare non negligat, si tamen is irrationabiliter separationi huiusmodi assensum praebere renuat, eamque magna quaedam Ecclesiae necessitas atque utilitas postulet, dissentientibus etiam Antistitibus novos potest ordinare Episcopos, ut S. Bernardi verbis utamur, ubi hactenus non fuerunt, atque ubi succrescere messem videat, operarios novis constitutis episcopatibus adiicere,

et iuxta propheticum verbum augere custodiam, custodesque et cultores idoneos in vineam Dominicam destinare. Dicimus V. F. quae certa sunt, quae testata, quae illustria, quae vel domestica exemplorum vetustate perhibentur. Pragensis Eppatus constitutio exemplo sit, quem a Moguntina Dioecesi separandum decrevit Clemens IV, quidquid ex contrario contenderit Moguntinorum AEppus. Cesserunt incassum Virceburgensium Eppi conatus, quibus ne Bambergensis Civitas throno Pontificali augeretur, impense adnisus fuerat. Tarracona hoc pacto Urbano 2. Pontifice a Narbonensi Eppatu avulsa legitur, et ut cetera sileamus, invito Noycomensium Eppo Eugenius 3. auctore S. Bernardo Tornacensem Sedem erexit. Quamquam te minime dissentiente ad eam separationem a Constantiensi Dioecesi Pagorum Helvetiae nos devenisse probe tu ipse cognoscis: nos enim quamvis a Pagis ipsis diu atque iterato ad eam peragendam excitati eorum tamen votis precibusque non cessimus, nisi cum ab iis missae fuerunt ad nos literae tuae, quibus declarabas paratum te esse decretis nostris circa Catholicos Helvetiae Pagos ad eandem Constantiensem Dioecesim spectantes omni qua par est submissione acquiescere, quod et significare tibi non praetermisimus literis nostris die 2 Nov. 1814. ad te datis, in quibus te de constituta ac decreta a nobis Pagorum illorum separatione edocuimus. Quid vero iuramenti religionem obtrudis, quo ad vindicanda Ecclesiae tuae iura adstringeris, quasi nimirum ne tuo muneri desis, nostrae praescriptioni resistas? Importat illud quidem, ne humana quapiam aut minus legitima auctoritate aliquid in Ecclesiae ipsius detrimentum te connivente firmetur. Absurdum autem ac portento simile foret arbitrari, eo te sacramento adigi, ut in illius assurgas instituta, qui nec modo ovium sed et pastorum unus omnium Pastor est, a quo rivus profluit religionis et ecclesiasticae ordinationis, atque canonicae iurisdictionis universae. Audi V. F. Patres secundae Synodi Turonensis in id opportune conclamantes: ‚Quis sacerdotum contra decreta, quae a Sede Apost. processerunt, agere praesumat? Patres quippe nostri hoc semper custodierunt, quod Papae praecepit auctoritas.‘ At quonam mira haec in Petri cathedram maiorum pietas pervasit? quo abiit studium illud in agnoscenda, colenda, tuenda Rom. Pont. auctoritate plane singulare? Vere con-

venerunt omnes in unum, ut sagittas iaciant in Sedem hanc S. quae numquam tamen evertetur, quia ex Christi promissione portae inferi non praevalebunt adversus eam. Horruimus sane, cum *Mandatum* perlegimus, quod ex auctoritate Vicariatus Generalis Constantiensis a Provicario Reininger missum fuit ad parochum Solodurensem Aloysium Wirzium Commissarium Eppalem: quo omnes et singuli sacrae iurisdictionis actus tamquam nulli et nonfacti declarabantur, qui locum habuissent per alios, quam per Constantiensem Vicariatum, nec non illius Commissariatus Clero indicebatur, ne legitimam recognoscerent nec aliquam acceptarent admissionem ad curam animarum, vel aliam ecclesiasticam attributionem, a quocunque advenire potuerit, nisi a dicto Vicariatu. Incredibile prorsus videtur mandati auctores tantum sibi permittere potuisse, ut quae a Romana Sede omnium Ecclesiarum matre et magistra peracta forent, irrita infectaque decernerent. Porro nonnisi ad excusandas excusationes in peccatis ignorantiam suam praetendunt, nullamque ibidem acceptam asserunt nec ab urbe Roma nec a Civitate Lucernensi vel minimam separationis notitiam. Cum enim literae a nobis datae fuerint postridie Cal. Nov. quibus de praedicta Dioecesis divisione monebaris, cumque ad diem 18. Cal. Febr. de eadem ad nos respondisses, nemo sane sibi persvaserit ad diem 3. Cal. Febr. quo mandatum firmatum legitur, Constantiensem Vicariatum, cui praees, adhuc illam latuisse. Praeterea si, quod iisdem literis secundo loco mandaveramus, Vicarium Wessenbergium dimiseras ipso mense Ianuario ineunte, et interea temporis Reiningerium in ipsius locum adsciveras, et de adlegendo Barone de Rollio consilium ceperas, nonne incredibile prorsus est, Vicariatum ignorare tum potuisse alterum earumdem literarum caput, quod tantopere Constantiensem Ecclesiam pertingebat, ac proinde silentio a te nequaquam potuerit occultari? Cum itaque evidentissime constet nostram hanc voluntatem omnino innotuisse, mirum certe eam sibi facultatem arrogasse huiusce mandati auctores, ut res Apostolica auctoritate gestas nullas irritasque pronunciarent. Neque his se finibus eorum licentia continuit. Eo enim usque progressi sunt, ut ad nos uti male informatos meliusque informandos appellationem emiserint. Splendido quidem verborum apparatu summam erga nos nostrasque constitutiones observantiam callidissime simulant, eamque diserte etiam polli-

centur, quam interim audacter proscindunt, cum emendicatis undique captiosis subtilitatibus nostrarum legum vim eludere se posse ad sui arbitrium libidinemque confidant. In tanta igitur eccles. iurium oppugnatione et in teterrimo Pontificiae auctoritatis contemtu, ne commisso nobis coelitus muneri deesse videamur, *Mandatum* ipsum et protestationem aliquot Ven. FF. nostris S. R. E. Cardinalibus perpendenda mature commisimus: cumque propositionibus scateant, quae tum in obvio earum sensu, tum attenta sententiarum complexione respective falsae dignoscuntur, perniciosae, auctoritatis Rom. Pontificis laesivae, et adminus erroneae: de eorumdem Cardinalium consilio, eadem ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine reprobavimus, damnavimus, et pro reprobatis et damnatis in perpetuum habenda esse decrevimus, eaque et quidquid exinde quomodolibet adversus decretam a nobis separationem constitutum ac gestum fuerit, vel geratur in futurum, eadem auctoritate proscindenda, irritanda, omnique penitus effectu privanda mandavimus, prout latius declaramus in literis hac ipsa die datis, quibus Seniorem et Canonicos Capituli Constantiensis de gravissima iniuria Sedi Apost. ab ipsis illata serio admonendos esse censuimus. Quae vero poenae a sacris canonibus, praesertim vero a Constitutione praedecessoris nostri Ioannis 22, quae incipit ‚Nuper' in eos constitutae sint, qui Pontificia praescripta turbantibus et impedientibus auxilium aut favorem quomodolibet praebeant, certe non ignoras: eoque vides V. F. quot quibusque nominibus memoratae Constitutionis districtione tumet tenearis. Nedum enim te auctore aut saltem connivente mandatum confectum fuisse arbitrandum est, quod respicit Pagorum Helveticorum spirituale regimen, quorum non Capitulo sed tibi administratio demandata fuit; sed tuae etiam literae, quibus Capituli protestationem appellationemque nobis enixe commendas, tuum in huiusmodi causa auxilium, favorem, consilium evincunt luculentissime. Ast quae nostra et apost. Sedis est longanimitas, statuimus caritate potius quam potestate Tecum agere, ea nimirum caritate, quae numquam excidit, cuius vinculo trahi te nobisque prorsus obstringi cupimus, Deoque auxiliante haud diffitemur. Ausculta tandem aliquando parentem amantissimum, qui de aeterna salute tua, de gregis incolumitate sollicitus, te per D. N. I. C. viscera obsecrat atque obtestatur, ut

ad saniora consilia tuum referas animum, ac debito officii tui erga nos, erga Apost. Sedem, erga Ecclesiam universam satisfacere festines. Sic te feliciter praeeunte omnemque tuae auctoritatis vim impendente ceteri etiam consacerdotes tui, qui te si non impellente, connivente saltem a recta desciverunt obedientia, redeant ad cor, et quae perperam egerunt, congrua statim correctione emendare contendant. Fiet hoc pacto, ut dilectio tua (verbis utimur Leonis M.), quam non immerito tota facti huius pulsat invidia, hoc saltem remedio curare se properet, ut sine dissimulatione ea, quae decrevimus, tradantur effectui. Hoc a te pro muneris, quo polles, dignitate, hoc pro tuo, quod in Religionem polliceris, studio, hoc pro iurisiurandi, quo erga nos adstringeris, sacramento efflagitamus, expetimus, praestolamur, iucunda spe recreati, ita nobis te responsurum, ut spectatissimum rectae, egregiae, obsequentis erga Ecclesiam atque hanc S. Sedem voluntatis testimonium a te retulisse laetemur, et interim tibi apost. bened. impertimur. Datum Romae die 7. Sept. 1816.

1098. *Breve ad Capitulum Constantiense in eodem merito, A. 1816.* Divini honoris zelo incitati et apostolici muneris ratione compellimur, id inprimis sedulo curare, ut quae pro feliciori Ecclesiarum regimine ab apost. Sede decernuntur, secundos exitus habeant, neque inferiori ulla auctoritate turbentur. Cum itaque gravissimis causis evidentique fidelis populi utilitate compulsi Catholicos Helvetiae Pagos ad iteratas eorum preces postque exhibitas nobis Dioecesis istius Administratoris literas, quibus profitebatur, paratum se esse decretis hac de re nostris acquiescere, datis ut par erat opportunis decretis a Constantiensi Dioecesi separavimus, novas ibidem eppales sedes constituturi: ingenti sane moerore vestras literas perlegimus querelarum plenas, quibus nedum de ‚Mandato' referebatis adversus separationem ipsam vestro iussu ad praedictos Pagos totumque clerum transmisso, sed de solemni etiam actu, quo ad nos male informatos meliusque informandos appellaveritis. Perhorruimus profecto haec acta perlegentes, vosque eo misere abreptos indoluimus, ut debitam erga nos nostrasque praescriptiones reverentiam obliti, easdem publice oppugnare, atque irrita, inania, infectaque ea, quae ad ipsorum executionem agebantur, declarare non erubuistis. Nostri quidem decreti ignoratio a vobis

praetenditur, de qua tamen non ita facile sibi persvadebit quisquis animadvertat, postremo Cal. Nov. datas a nobis fuisse literas de praefinita separatione, easque mense Ianuario ineunte a V. F. Carolo Theodoro AEppo Ratisbonensi, Vestrae Constantiensis Ecclesiae Administratore aliqua ex parte fuisse executioni mandatas. In tanto igitur Apost. Sedis contemtu, ne contra paternarum regulam sanctionum D. Petri eiusque Sedis causam deseruisse incusemur, concessam nobis divinitus potestatem cogimur adhibere. *Mandatum* idcirco, quod Provicarius Reininger pridie Cal. Febr. signavit, et ad Parochum Solodurensem Aloysium Wirzium misit, nec non actum appellationis, quod eadem die ipse Reininger vestro nomine confecit, aliquot VV. FF. nostris S. R. E. Cardinalibus expendenda commisimus. Cum vero post maturum examen propositiones continere reperta sint tum in obvio sensu tum attenta sententiarum complexione respective falsas, perniciosas, auctoritatis Rom. Pont. laesivas, et adminus erroneas, eadem de eorumdem VV. FF. nostrorum consilio et certa scientia deque Apost. potestatis plenitudine damnamus et reprobamus, ac pro damnatis ac reprobatis in perpetuum habenda esse declaramus, eaque et quidquid exinde quomodolibet adversus nostra decreta constitutum et gestum fuerit, vel geratur in futurum, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniusta, inania, viribusque et effectu vacua fuisse et esse atque perpetuo fore decernimus, et quatenus opus sit, praemissa omnia eadem auctoritate rescindimus, irritamus, viribusque carere volumus. Ad scandalum vero, quo maximam Sedi Apostolicae iniuriam intulistis, removendum vindicandumque propositis per S. Canones remediis ac praesertim per binas Ioannis 22. Constitutiones, quarum altera incipit ‚Salvator noster,' altera ‚Nuper,' uti nos oporteret; at paterna illa, qua vos incessanter complectimur, caritas ab iisdem adhibendis nos revocat, iniicitque simul spem fore, ut rerum adeo perperam a vobis actarum gravitate serio perpensa resipiscatis, et Mandatum appellationemque vestram promte, ingenue salutari emendatione retractetis. Agite ergo, dilecti filii, consulite conscientiis vestris, amorique erga vos nostro respondentes, acerbo, quod Sedi Apost. nobisque inflixistis, vulneri mederi festinate. Neque enim latere vos potest, quam turpis sit in retinendis erroribus pertinacia, et quam eosdem detestari et corrigere gloriosum.

Confidentes autem in Domino, hortationem hanc nostram, quod impense cupimus, pondus feliciter apud vos habituram, apostolicam vobis bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 7. Sept. 1816. — *Brevia haec ex benevolentia Nuntii Apost. Vindobonensis* ‚Viale Prela' *obtinuimus.*

1099.

Pius VII Patriarcham Alexandrinum **Coptorum** ad eiurandum schisma exhortatur, A. 1815.

MON. Simulac spectabilium pietate virorum literis nobis innotuit, Te ven. frater, licet ab Ecclesia Catholica segregatum animo tamen tam propenso in eam esse, ut abrupto, quo teneris, divisionis laqueo ad ipsius sinum una cum aliis tuae ditionis Eppis confugere paratus sis: incredibile dictu est, quam subito et quam acri religiosae laetitiae sensu completi simus. Itaque sublatis in coelum oculis ei, qui dives est in misericordia, toto cordis affectu gratias egimus, enixeque supplicavimus, ut quam tibi mentem infuderat, conservaret, augeret, et felicem denique ad exitum pro sua bonitate perduceret. Scilicet gravissimis, tibique procul dubio notis, quas passi sumus, calamitatibus, dirae, quae in Catholicos furere non cessat, persecutioni, omnibus demum, quae irato propter peccata nostra Deo Ecclesiae, cui immerentes praesumus, incubuere malis ingens profecto solatium Tuus tuorumque ad fidem orthodoxam Apost. Romanam reditus afferret. Quo nos gaudio afficeremur, si tamdiu expetita inter Romanam Ecclesiam, quam beatus Petrus erexit, et Alexandrinam, quam idem Apostolorum princeps decoravit, et in quam Evangelistam discipulum misit, concordia restitueretur! Quam effuse noster exultaret animus, si Patriarchatum Alexandrinum tot nominibus praestantissimum, cui Athanasius, Cyrillus, aliique sanctissimi doctissimique viri praefuerunt, quos perpetuos acerrimosque orthodoxi dogmatis defensores S. Coelestinus I decessor noster appellavit, avito splendori gloriaeque tot meritis partae redditum cerneremus! Age ergo, ven. frater, vocanti te Deo responde, moras rumpe: nos, qui porrectis ulnis in tuos ample-

xus ruere parati sumus, recrea, et solare. Hoc pacto non interiturum tibi nomen consequeris, aeternamque salutem, quod caput est, tuam in tuto collocabis. *Scis* enim, *unam esse Petri naviculam, quam si quis non ingreditur, miserrimo naufragio pereat est necesse. Scis Romanos Pontifices Petri successores supremum eiusdem naviculae clavum tenere, iisque ab omnibus, qui salvi esse cupiunt, omnino parendum esse.* Tuae nos Sedis praerogativas et privilegia sarta tectaque ut sint diligentissime curabimus, praeclaram illam S. Leonis Magni decessoris nostri sententiam sequuti: nihil Alexandrinae Sedi pereat dignitatis. Quare statim ac Ecclesiae Romanae, omnium quotquot in orbe terrarum sunt Ecclesiarum matri et magistrae, in unitate fidei et vinculo caritatis adhaeseris (quod subscripta, quae nostro iussu tibi exhibebitur, orthodoxae fidei formula nobis exploratum facies), aliquem ex tuis monachis mittere ad urbem poteris, qui sacras aedes a Summis Pontificibus erectas, a Clemente XI restitutas, a Clemente autem XII tuis S. Abbatis Antonii M. Monachis assignatas inhabitet, atque ut dignis Ecclesia Alexandrina operariis instruatur, aliquot adolescentibus a te designandis in Urbano de Propaganda fide Collegio locus erit, ut ad omnem ibi pietatem et doctrinam exculti strenui orthodoxae fidei praecones istuc revertantur. Interim pro iucundissima spe a te in nobis excitata ut aliquam tibi vicem rependamus, sacra quaedam munuscula ad te perferenda tradidimus, illius benevolentiae pignus, quam uberioribus tibi argumentis ostendere, ac testari exoptamus. Superest, ven. frater, ut quoniam renunciatum nobis est, alios etiam inclytae nationis tuae Eppos et Primates in salutare quod agitas consilium convenire, eosdem omni cura omnique sedulitate horteris, ut in sancto proposito permaneant, illudque tecum exequi festinent, quem ad finem paternos sensus, quos in his literis tibi aperuimus, sibi quoque declaratos reputent, ut ad amplectendam catholicam veritatem magis ita magisque incitentur. Hac ratione cumulus vel maximus addetur tuis apud Deum meritis, atque veram et solidam tibi felicitatem apprecamur, dum apost. bened. intimo corde depromtam tibi ipsi peramanter impertimur. Datum Romae die 8. Iul. 1815. — **Bullarium** *Congr. de Prop. Fide.* App. II. 319.

1100.

Pius VII PP. ad AEppum **Gnesnensem** contra **Societates Biblicas.** A. 1816.

MON. Postremis literis nostris polliciti sumus tibi, responsum daturos quamprimum tuis, in quibus ad hanc S. Sedem nomine etiam ceterorum Poloniae Epporum, de Societatibus, quas vocant, Biblicis retulisti, et quid hac in re agere deberetis, a nobis studiose postulasti. Nos quidem multo ante id facere voluissemus, sed incredibilis curarum undique succrescentium multitudo effecit, ut usque ad hanc diem petitioni tuae satisfacere non potuerimus. Horruimus sane vaferrimum inventum, quo vel ipsa religionis fundamenta labefactantur, adhibitisque in consilium pro rei gravitate ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus, quaenam Pontificiae nostrae auctoritatis remedia ad eam pestem quoad fieri possit curandam delendamque opportuniora futura sint, omni studio et sollicitudine deliberavimus. Interea gratulamur tibi, ven. frater, teque ut par est etiam atque etiam in Domino commendamus, quod in tanto rei christianae discrimine singularem zelum exerueris, eamque fidei labem, gravissimumque animarum periculum Sedi huic Apostolicae denunciaveris. Et quamquam minime necesse esse videamus festinanti stimulos admovere, cum tua iam sponte exarseris ad impias novatorum machinationes detegendas, et oppugnandas, pro nostro tamen munere te etiam atque etiam hortamur, ut quantum eniti viribus, consilio providere, et auctoritate possis efficere, praestes, in dies impensissime opponens te murum pro domo Israel. In hunc finem has ad te literas damus, ut nimirum insigni testimonio commendemus tuos istos praeclaros conatus, et studeamus tamen tuam in id pastoralem sollicitudinem, solertiamque magis magisque concitare. Interest quippe summopere communis salutis, omni ope et opera conspirare ad ea propulsanda, quae in ss. religionis nostrae perniciem ab eius hostibus parantur, et proinde eppalis muneris est, nefarii inprimis consilii malitiam ob oculos, quod iam egregie praestas, fidelium ponere, illudque ex Ecclesiae praescriptionibus pro ea, qua polles, eruditione et

sapientia edicere : Biblia nimirum opera haereticorum impressa vetitis libris accenseri iuxta Indicis regulas; experimento autem manifestum esse, e S. Scripturis, quae vulgari lingva edantur, plus detrimenti quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem; idque eo magis pertimescendum esse in tanta temporum foeditate, quibus omni undique arte et conatu sancta impetitur Religio, et teterrima in Ecclesiam vulnera infliguntur. Standum igitur est salutari decreto Congregationis Iudicis 13. Iun. 1757: Bibliorum versiones vulgari lingva non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apost. Sede approbatae, aut cum adnotationibus editae, desumtis ex SS. Ecclesiae Patribus. Speramus sane, avitae religionis argumenta in hisce etiam turbidis rebus Polonos praebituros fore luculentissima, idque tua cumprimis opera ac ceterorum huiusce regni Antistitum, quos mirifice pro fidei deposito conniti gratulamur in Domino, confidentes, universos susceptam de iis opinionem cumulatissime fore expleturos. Necesse est autem, ut quamprimum mittas Biblia, quae commentariis subiectis edidit Polonica lingva Iac. Wickius Soc. I. recentemque ipsorum editionem, quae sublatis adnotationibus (ex SS. Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris desumtis) in vulgus prodiit, et quid de ea sentias, proponas, ut ita ex ipsorum collatione ac re mature perpensa dignoscatur, quinam errores insidiose ibidem obtegantur, et nostrum demum iudicium ad rectae fidei incolumitatem pronunciemus. Perge ergo, ven. frater, tenere viam sanctissimam, quam instituisti, praeliari videlicet assidue praelia Domini in doctrina sana, populosque tibi concreditos monere, ne in laqueos incidant, qui sibi in perennem ruinam parati sunt. Id a te atque a ceteris istis Eppis, quos etiam nostra haec spectat epistola, praestolatur Ecclesia, id nos expetimus studiosissime, qui conceptum ex novo genere zizaniorum, quae inimicus homo superseminat, moerorem iucundissima hac spe levari quodammodo sentimus, ac maiora semper tibi ipsisque Coëppis in dominici gregis bonum charismata apostolica benedictione, quam tibi illisque impertimur, apprecamur ex corde. Datum Romae die 4 Iun. 1816.

1101.

Idem obiurgat AEppum **Mohiloviensem** ob praestitum Societatibus Biblicis favorem ac praesidium. A. 1816.

MON. Magno et acerbo dolore confecti sumus, ubi accepimus exitiosum consilium haud ita pridem susceptum, quo sacratissimi Bibliorum libri novis ac praeter saluberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque callide in pravos sensus contortis vernacula qualibet in lingva passim pervulgantur. Namque ab aliqua iam ex perlatis ad nos huiusmodi versionibus animadvertimus, eam in purioris doctrinae sanctitatem parari perniciem, ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, ex quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris. Ast longe etiam gravior nos moeror invasit, cum literas quasdam fraternitatis tuae nomine inscriptas perlegimus, quibus populo tuae curae concredito hortator aderas et auctor, ut recentiores hasce Bibliorum versiones sibi compararet, vel oblatas animo reciperet lubenti, easque assiduo intentoque studio pervolutaret. Nihil certo nobis ad dolorem acerbius accidere poterat, quam te conspicere lapidem factum offensionis, qui potius eras, ut iustitiae semitas ceteris commonstrares. Obversari enim tibi debuisset ante oculos, quod constanter et praedecessores nostri monuerunt, nimirum si S. Biblia vulgari lingva passim sine discrimine permittuntur, plus inde detrimenti quam utilitatis oriri. Porro Romana Ecclesia solam Vulgatam editionem ex notissimo Tridentini Concilii praescripto suscipiens, aliarum lingvarum versiones respuit, easque tantum permittit, quae cum adnotationibus ex Patrum et catholicorum doctorum scriptis opportune depromtis eduntur, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, atque ut Ecclesia toto orbe diffusa sit labii unius, et sermonum eorumdem. Sane cum in vernaculo sermone creberrimas vicissitudines, varietates commutationesque occurrere notum sit, profecto ex immoderata biblicarum versionum licentia immutabilitas illa convelleretur, quae divina decet testimonia, et

fides ipsa nutaret, cum praesertim ex unius syllabae ratione quandoque de dogmatis veritate dignoscatur. In id proinde pravas deterrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen mira varietate ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt) suos quique errores sanctiori divini eloquii adparatu obvolutos per insidias obtruderent. Non enim natae sunt haereses, inquiebat S. Augustinus, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Quodsi viros pietate et sapientia spectatissimos in Scripturarum interpretatione haud raro defecisse dolemus: quid non timendum, si imperito vulgo, qui utplurimum non delectu aliquo sed temeritate quadam iudicat, translatae in vulgarem quamque lingvam Scripturae libere eidem pervolvendae traderentur? Itancvero? apposite clamat S. Augustinus, nulla imbutus poëtica disciplina Terentium sine magistro attingere non auderes, — tu vero in sanctos libros sine duce irruis, et de his sine praeceptore audes ferre sententiam? — Quare in celebri illa sua ad fideles Ecclesiae Metensis epistola sapienter omnino haec praecipit decessor noster Innocentius III: ‚Arcana fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, quum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum, qui ea fideli possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus, inquit Apostolus, quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicavi me scire, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illiterati, sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad eius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: quia multi defecerunt scrutantes scrutinio. Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia, quae montem tetigisset, lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem S. Scripturae pertingere, vel eam aliis praedicare. Scriptum est enim: Altiora te ne quaesieris. Propter quod dicit Apostolus: ‚non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.‘ At notissimae sunt non mox laudati Innocentii III solum, sed et Pii IV, Clementis VIII, et Benedicti XIV Constitutiones, quibus praecavebatur, ne si ad liquidum cunctis

pateret Scriptura, forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. Sed quae sit Ecclesiae mens de Scripturae lectione atque interpretatione, noscat luculentissime fraternitas tua ex praeclara alterius praedecessoris nostri Clementis XI Const. ‚Unigenitus,' qua illae doctrinae diserte improbantur, quibus utile ac necessarium asserebatur omni tempore, omni loco, et omni personarum generi cognoscere mysteria S. Scripturae, cuius lectio esse pro omnibus adstruebatur, damnosumque esse christianum populum ab eadem retrahere, imo Christi os fidelibus obturari, cum ex ipsorum manibus novum Test. abripiatur. (Prop. Quesnelli 79. 80—85.)

Quod vero maioris etiam doloris nobis causam praebuit, illud est, quod eousque progressus es, ut Tridentini Concilii de canonicis scripturis decretum exscribens ea abscinderes, quae eodem contextu de traditionibus sanciuntur. Cum enim SS. illi Patres aperte dicant, Verbum Dei contineri non solum in libris scriptis, sed in certissimis insuper Ecclesiae traditionibus, cum ad fidem tum ad mores pertinentibus, quas SS. Synodus tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in Ecclesia Cath. conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur: tu, ven. frater, hunc locum penitus detruncare non reformidasti. Quo pariter artificio literas Pii VI praedecessoris nostri ad Martinum Florentinum AEppum a te relatas fuisse cernimus. Cum enim sapientissimus ille Pontifex concinnatam ab eo Praesule S. Scripturae versionem hoc ipso laudet, quod regulis a Sacra Indicis Congregatione atque a Romanis Pontificibus praescriptis accurrate sancteque servatis, expositionibus ac explicationibus ex traditione depromtis versionem illam abunde ditaverit, tu literarum eam partem, in qua haec referuntur, suppressisti, atque ita non modo iustissimam suspicionem de tua hac super re sentiendi ratione excitasti, verum etiam non integre tum S. Synodi, tum laudati praedecessoris nostri relato textu in re tam magni momenti aliis errandi causam praebuisti. Quid enim aliud mutilationes illae significant, ven. frater, nisi te aut circa sanctissimas Ecclesiae traditiones non recte sentire, aut ad eum finem loca illa a te fuisse abrasa, quo novatorum machinationibus faveres, quae certe eo tendunt, ut legentium fides de-

cipiatur, tranquilloque animo vel ipsi vulgares homines eas perlegant versiones, quae, ut supra ostendimus, multo magis obesse eis possunt quam prodesse. Porro haec omnia si cuilibet catholico viro minime licuissent, quid dicendum erit de sacro Ecclesiae Antistite, quem pastoralis dignitas custodem facit depositi fidei, atque doctrinae, quique ipse vi ac religione praestiti iuramenti stricte tenetur et errandi pericula a populo suo strenue seduloque submovere, et Ecclesiae leges ac regulas servare ac tueri? Vides igitur, ven. frater, quae nostra esse deberet tecum agendi ratio, si canonicarum legum severitatem sequi vellemus. Etenim erranti consentit, inquiebat S. Thomas Cantuariensis, qui ad resecanda, quae corrigi debent, non occurrit, nec caret suspicione societatis occultae, qui evidenter facinori desinit obviare. Nos vero qua sumus in te caritate, ei rei tantum insistimus, a qua cum iuris divini sit tibi iniungenda abstinere non possumus, nempe ut scandalum, quod ista tua agendi ratione praebuisti, de medio tollas. Hinc impensissime fraternitatem tuam hortamur, atque per viscera D. N. I. C. obsecramus, ut ea omnia, quae perperam circa novas Bibliorum versiones docuisti, aut egisti, debita celerique contendas emendatione reparare. Atque utinam, ven. frater, clarissimorum virorum exempla aemulatus, quae tantum ipsis honorem attulerunt, in animum induceres, ut acta illa tua formali solemnique retractatione reprobares! Non possumus tamen quin te excitemus, et in virtute sanctae obedientiae etiam tibi praecipiamus, ut id saltem praestes, quod ad puritatem doctrinae et fidei integritatem tutandam necessarium est, nimirum ut novis ad populum datis literis, integre allato tum decreti C. Tridentini tum Pii VI in hanc rem epistolae textu sincere et perspicue doceas, veritatem et doctrinam christianam tum dogmaticam tum moralem non solum in Scripturis, sed etiam in Ecclesiae Catholicae Traditionibus contineri, atque ad Ecclesiam ipsam unice spectare utrasque interpretari; declares insuper, non eas tibi in animo fuisse SS. Librorum in vernaculas lingvas versiones commendare, quae ad Canonum et Constitutionum Apost. praescripta exactae non essent; denique notum facias ac pariter declares, te in earum divinarum scripturarum lectione svadenda et inculcanda non quoslibet indiscriminatim fideles, sed ecclesiasticos viros respexisse, aut etiam laicos, qui tamen pastorum iudicio satis instructi essent. Quae sane omnia

si perfeceris, ut in Domino confidimus et a prudenti docilique animo tuo nobis certissime pollicemur, magnam cordi nostro, atque universae etiam Ecclesiae afferes consolationem. Hac ipsa freti, tibi, ven. frater, et gregi tuae curae commisso apost. benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 3. Sept. 1816. — **Theiner** *die neuesten Zustände der kath. Kirche in Polen und Russland.* Augsburg. 1841. p. 483. et Docum. p. 138. ss.

1102.

Pius VII reiicit electionem **Henrici L. B. Wessenberg** in Vicarium Capitularem Constantiensem, A. 1817.

INTR. In nostris ‚Monumentis Catholicis pro independentia Pot. Eccl. ab Imp. Civili' uberius exposuimus controversum negotium Vicariatus Baronis Henrici Wessenberg, siquidem res cum Gubernio Magno-Ducali Badensi pertractata fuerit. Hic unice ea vulgamus, quae Primatum propius respiciunt: quippe primo Breve Summi Pontificis, per quod electio Wessenbergii in Vicarium Capitularem reiicitur; tum Notam Cardinalis a Secretis Status, de erronea Wessenbergii quoad Primatum sententia.

MON. Canonicis Ecclesiae Cathedr. Constantiensis. Dilecti filii etc. Non mediocri nos dolore affecerunt literae vestrae XI Cal. Martii datae, quibus nunciato Caroli Theodori AEppi Ratisbonensis et Constantiensis Ecclesiae Administratoris obitu, nobis una significastis, *Vicarii Capitularis munus Ignatio Henrico a Wessenberg demandatum a vobis fuisse.* Ignotum vobis esse non potest, praefatum Wessenbergium adeo nobis ob gravissimas causas non probari, ut eum a Vicarii Generalis gradu, in quo collocatus fuerat, deiici voluerimus. Qui ergo factum est, ut posthabita omni erga nos et Sanctam hanc Sedem reverentia, quem Vicarium Generalem noluimus, eundem vos Vicarium, quod maius est, Capitularem constitueritis? Nec satis id vobis fuit: ausi quoque estis a nobis petere, ut electionem vestram ratam habeamus. Hoc igitur inconsideratae, ut mitius loquamur, petitioni vestrae responsum habetote. *Electionem Wessenbergii in Vicarium Ca-*

pitularem non modo ratam non habemus, sed Wessenbergium tamquam Vicarium Capitularem, et Antonium Reininger tamquam vices eius gerentem prorsus non agnoscimus, nec tribunalia nostra ecclesiastica agnoscent, nec ullam literarum quarumcunque ab ipsis scriptarum rationem unquam habebunt. Quapropter pro illa, quam Deus nobis commisit, totius Ecclesiae cura vobis auctoritate apostolica edicimus, ut seposita Wessenbergii electione Vicarium Capitularem eligatis, qui bonum apud catholicos nomen habeat, quique ministerii, ad quod assumitur, partes rite accurateque obire possit. Istae vos literae contristabunt, sed utinam contristemini ad poenitentiam, ut morem nobis gerentes et dolori nostro solamen, et malo quod fecistis remedium promte afferatis. — Datum Romae die 15 Martii 1817.

1103.

Eidem Wessenbergio **Cardinalis Status Secretarius** nomine Summi Pontificis obiicit erroneam de Primatu sententiam. 1817. (Ex italic.)

MON. — Ew. haben sich erlaubt, den berüchtigten ‚P. Thaddaeus Dereser' nach der Verdammung, welche förmlich gegen ihn von Sr. Heil. Pius VI. erflossen ist, zu vertheidigen, und sogar eine förmliche Sentenz zu seiner Rechtfertigung schriftlich auszusprechen, und in diesem Dekret nicht nur mit wenig Respekt, sondern auch mit bestimmter Verachtung von dem sehr bekannten ‚Breve' dieses höchsten Kirchenhauptes zu sprechen, an dessen Ächtheit Dieselben auf keine Weise zweifeln konnten, weil es von der Nuntiatur von Köln kundgemacht, und in ganz Deutschland anerkannt worden war. In dem nämlichen Aktenstück, nachdem Ew. vorausbemerkt, dass ‚AEppus Coloniensis non modo fundamentum accusationis contra eum (Dereser) non agnovit, neque eum amovit a cathedra, sed potius ei postea cum libere ab Academia Bonnensi recessit, testimonium gloriosum et ex omni parte proficuum dari iussit,' ziehen Sie daraus die Schlussfolge: dass ‚suspicio contra orthodoxiam

D. Professoris Dereser, quae per Breve quoddam, ut fertur, formatur, per hanc ipsam agendi rationem AEppi Coloniensis satis enervata et confutata est, et in nullo casu fundamentum praebere potest dubitandi de orthodoxia huius sapientis.' Wie das reifliche Urtheil beschaffen war, das über die Lehren des genannten P. Dereser sowohl, als des ‚Spiegel,' des ‚Hedderich,' und anderer seiner Collegen ergangen ist, durch welche beabsichtigt wurde, den kathol. Unterricht zu verderben, ist offenkundig durch die 2 Breven des obenbelobten obersten Kirchenhaupts, das eine vom 24. März 1790 an den Erzbischof von Köln, welches anfängt ‚Postquam responsio,' das andere an Decan und Kapitel der nemlichen Domkirche vom 27. März dess. Jahres. *Dieselben geben also bei diesem Anlass in Sachen der Lehre dem Urtheil eines blossen Erzbischofs den Vorzug vor dem Urtheil des h. Stuhles,* welches den Unterricht des Dereser feierlich verdammt hat. Denn indem Sie sagen, dass, weil der Kurfürst v. Köln ihn auch nach dem päpstl. Breve an der Lehrkanzel behalten, diese Thatsache jeden Verdacht, den das Breve über die Rechtgläubigkeit des Dereser erregt, beseitige, so haben Sie dem Breve selbst alle Auctorität benehmen wollen. — Sie erklären ganz offenbar, die Auctorität des h. Stuhles sei gegenüber derjenigen eines untergeordneten Prälaten, der den Befehlen desselben sich widersetzt, von keinem Gewicht. Ew. gehen noch weiter. Denn nachdem Sie gesagt haben, dass das vortheilhafte Zeugniss des Erzbischofs v. Köln zu Gunsten Dereser's nach dem Breve Pius VI., welches ihn verdammet, in der That einen jeden Zweifel oder Verdacht gegen die Rechtgläubigkeit eines solchen öffentl. Lehrers zernichte, setzen Sie sogleich bei: ‚Aeque illae accusationes, quae paucis abhinc annis contra publicos Philos. et Theol. Professores in Lyceo Lucernensi revera in aliquod Breve Pontificium Pii VII irrepserunt, contra orthodoxiam horum Professorum fundamentum habere haud possunt, postquam hae accusationes a legitimo AEppo, cui inquisitio huius rei competebat, fundamento destitutae inventae fuerunt.' Dieselben sprechen mithin in diesen wenigen Worten die Lehre aus, 1. dass das Urtheil des h. Vaters in Lehrsachen von einem blossen Bischof reformirt werden könne, ein Satz, der kein in der Lehre noch so befangener Katholik je salva fide behaupten zu können geglaubt hat; 2. dass es nicht zur Com-

petenz des Römischen Pabsts gehöre, über die Lehre zu urtheilen, und das folglich, wenn er es thut, er sich ein Recht anmasst, das ihm von Jesus Christus nicht verliehen ist; — als ob nicht von Jesus Christus dem h. Petrus, und in der Person des h. Petrus allen seinen rechtmässigen Nachfolgern gesagt worden wäre: ‚Confirma fratres tuos — Pasce oves — pasce agnos,‘ das ist, die Gläubigen und die Hirten selbst; und als ob es nicht ein Glaubensartikel wäre: ‚S. Ap. Sedem et Rom. Pontificem in universum orbem tenere Primatum etc.‘ wie der allgem. Kirchenrath v. Florenz unter Eugen IV entschieden hat. Nun sind die vorbesagten Sätze, wenn man sie auch minder streng bezeichnen will, falsch, ärgerlich, den göttlichen Primat des Pabsts verletzend, dem Wort Gottes zuwider, das Schisma begünstigend und dahin führend, und aufs wenigste irrig. — Dieselben haben sich auch erlaubt, im J. 1806. zur Konkursprüfung für die Pfarrer des Bisthums Constanz unter andern die zwei folgenden Zweifel aufzugeben: ‚An Pontificatus ab Eppatu Romano avelli queat? — An is, salvo Ecclesiae systemate, commutari queat in Patriarchatus?‘ Die wohlbekannten Verhältnisse der Zeit, in welcher diese Zweifel aufgegeben wurden, und worüber nachher die Antworten sehr geheim gehalten worden sind, konnten die Zweifel selbst nicht anders als verdächtig machen. — Rom, am 2. Sept. 1817. H. Card. Consalvi. — **Denkschrift** *über das Verfahren des Röm. Hofs.* Carlsruhe. 1818. Doc. p. 2. ss.

1104.

Pius VII Cardinalem AEppum **Lugdunensem** ‚Fesch‘ a gubernio dioecesis removet, eique administratorem praeficit, A. 1817.

MON. Ven. fratri Francisco AEppo olim Albiensi. Imposita humilitati nostrae universi dominici gregis custodia postulat, ut de animarum salute impense solliciti utiliori procurationi illarum ecclesiarum, quae *ob diuturnam Antistitum absentiam* plurimum caperent detrimenti, opportune consulamus, praesertim

ubi de illustrioribus sedibus amplioribusque dioecesibus res sit, quae Pastoris praesentiam multis nominibus requirunt. Cum itaque dil. filius noster Iosephus tit. S. Mariae de Victoria S. R. E. Presbyter Cardinalis *Fesch* AEppus *Lugdunensis* quarto fere abhinc anno ab illa Metrop. Sede sit absens, gravissimaeque causae intercedant, quominus ad eandem redire ac dioecesim gubernare possit, nos ad quaelibet praecavenda discrimina atque incommoda eidem dioecesi impendentia, quae in Christifidelium perniciem contingerent, illius regimini utili decrevimus ratione prospicere. Quapropter re mature perpensa, auditoque consilio selectae Congregationis a nobis specialiter deputatae, Romanorum Pontificum praedec. nostr. vestigiis inhaerentes, qui ex locorum, temporum ac personarum natura pari remedio pro necessitate vel utilitate ecclesiae usi sunt, ex certa scientia *apostolica auctoritate nostra supradicto Cardinali AEppo exercitium archieppalis iurisdictionis in memorata Ecclesia interdicimus, et, ne ultra in regimine et administratione eiusdem ecclesiae omnino se immisceat, apostolica auctoritate inhibemus; ac te,* de cuius fide, doctrina et prudentia plurimum in Domino confidimus, *administratorem* praedictae archieppalis Ecclesiae Lugdunensis in spiritualibus et temporalibus ad nostrum et Apost. Sedis beneplacitum vigore praesentium *eligimus, constituimus et deputamus* cum omnibus et singulis facultatibus etc. Plenam idcirco tibi auctoritatem et facultatem tribuentes ea omnia et singula gerendi, quae sunt ordinis, quaeque sunt iurisdictionis, facta etiam tibi potestate, unum vel plures idoneos Vicarios deputandi cum iis facultatibus, quas magis expedire censueris. Mandamus itaque, in virtute obedientiae dil. filiis Capitulo et Canonicis Metr. Eccl. Lugdunensis, Clero et populo illius civitatis et dioecesis, ut te in Administratorem auctoritate apostolica deputatum recipiant et admittant, tibique plenam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Ceterum ne memoratus Cardinalis congrua sustentatione careat, opportune providebimus. Datum Romae die 1. Oct. 1817. — *Beiträge zur Geschichte der kath. Kirche in XIX Jahrhundert.* Heidelberg. 1818. p. 58.

1105.

Declaratio S. Poenitentiariae Romanae super famosis IV propos. Gallic. anni 1682. A. 1620. edita.

MON. *Libellus supplex ex Galliis huius erat tenoris:* Beatissime Pater! N. *Confessarius* in Galliis Sanctitatem Vestram humillime consulit, *num ipse queat et debeat absolvere illos ecclesiasticos, qui se subiicere recusant condemnationi, quam S. Sedes edidit quatuor celeberrimarum propositionum Cleri Gallicani?* Ita multae tollentur quaestiones, et conscientiae quiescent.

Rescriptum Poenitentiariae: Sacra Poenitentiaria diligenter perpensa proposita quaestione respondendum censuit: declarationem Conventus Gallicani A. 1682. ab Ap. Sede improbatam quidem fuisse, eiusque conventus acta rescissa et nulla atque irrita declarata, nullam tamen theologicae censurae notam doctrinae declaratione illa contentae inustam fuisse; propterea *nihil obstare, quominus sacramentali absolutione donentur sacerdotes illi, qui bona fide et ex animi sui persvasione doctrinae illi adhuc adhaerent*, modo absolutione digni aliunde videantur. Datum Romae die 27. Sept. 1820. Michael Card. de Petro, Maior Poenitentiarius. — **Bouvier** *Instit. Theol. ad usum Seminariorum.* Ed. V. Paris. 1844. I. 455.

1106.

S. Poenitentiaria de quaestione ex Belgio posita: an liceat Catholicis opem sive subsidium ferre pro aedificando templo acatholico? A. 1822.

MON. *Quaestio:* In pluribus ecclesiis ruralibus in Regno Belgico tam a catholicis quam a protestantibus eorum respective

cultus exercetur: quod, quamvis successive fieri debeat, saepe accidit, ut dum sacra mysteria a sacerdote catholico adhuc peraguntur, Protestantium minister sermonem ad populum habere iam instituat, ex quo scandala multa dimanant. Ad haec removenda catholici libenter suis expensis aedificia Protestantibus compararent, construive facerent, ut in iis convenientes liberas catholicis ecclesias eorum relinquerent. Ast cum dubitent, utrum id eis liceat, quamquam nonnisi ad redimendam vexam id facerent, supplicant humiliter pro instructionibus necessariis, ut sciant, an tuta conscientia id valeant praestare.

Responsum: S. Poenitentiaria universa rei ratione mature considerata et perpensa, censet licere catholicis, de quibus agitur, pecuniam aliquam Protestantibus subministrare, licet praevideant ea illos usuros ad templa aedificanda vel ornanda, in quibus suam superstitionem exerceant; dummodo ea pecunia a catholicis non subministretur, idque etiam perspicue declaretur, in templorum illorum aedificationem et ornatum, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa et molesta ac scandalosa cum Protestantibus simultaneitate liberanda. Datum Romae die 4. Mart. 1822. F. Card. Castillioneus Mai. Poen. — *Mandements, Lettres Pastorales etc. publies dans le Diocese de Liege.* Liege. 1851. II. 436.

1107.

Graeciae incolae **Leonis XII. PP.** protectionem implorant, suumque desiderium Unionis cum Romana Ecclesia manifestant. A. 1825. (ex graeco.)

MON. — Griechenland fühlt heute das dringende Bedürfniss, sich unter dem väterlichen Scepter eines *christlich-apostolisch-orthodoxen Monarchen* zu vereinigen, um ein unabhängiges Königreich zu bilden, und durch seine Stellung eine stärkere Schranke für die umliegenden Mächte zu werden, als das Ottomannische Reich es ist. Es begehrt einen christlichen Monarchen, einen Monarchen von königlichem Blute; denn nur

ein solcher kann die öffentliche Ruhe herstellen, den Zwist der Bürger bändigen, die Bestrebungen einzelner Ehrgeizigen, die Macht an sich zu reissen, ersticken; nur ein solcher kann *im Vereine mit dem Römischen Papste, den wir als Mittelpunct der Einheit, als den obersten Hirten der allgemeinen Kirche Jesu Christi, der morgen- und abendländischen anerkennen,* unsere heil. Religion, ohne Veränderung des heil. Ritus, der Disciplin, Gebräuche und Institutionen der kath. Kirche, alles unter dem Dogma und einer gänzlichen Übereinstimmung, *wie es im heil. Concilium zu Florenz entschieden worden,* garantiren. Das ist, gütigster Vater, der Wunsch der provisorischen Regierung, der Metropoliten, der Erzbischöfe, der Bischöfe, und aller Gelehrten Griechenlands. — In dem Zustande der Verweisung wendet sich Griechenland *an den Römischen Papst, den Statthalter Jesu Christi, das Oberhaupt der Kirche;* es bittet ihn, alle treuen Hirten sammt den Kindern der griechischen Kirche, welchen Ranges, Standes, und welcher Würde sie seyn mögen, als seine eigenen Kinder zu vereinigen laut der Verheissung der göttlichen Weisheit: ‚et fiet unum ovile, et unus pastor.' Das Beispiel der griechischen Kirche wird, hat sich der römische Papst nur erst einmal mit ihr vermählt, bald ihre Töchter, die Kirchen von Bulgarien, Servien, der Moldau, und selbst die von Russland nach sich ziehen, dann die Weissagung des Evangeliums in Erfüllung gehen: ‚ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.' Die Vorsehung scheint Ew. Heiligkeit diesen Weg zu zeigen, alle zerstreuten Schafe unter Ihre heil. Autorität zu versammeln. — Es genügt, wenn Ew. Heil. einen gütigen Blick auf Griechenland zu werfen geruhen, *als allgemeiner Vater aller Gläubigen, als höchster Bischof,* der als solcher das Wohl und den Ruhm der Kirche mehr lieben muss, als sein eigenes Leben. — Ew. Heil. brauchen nur zu Gunsten dieser Nation bei den Souveränen Europa's nicht als zeitlicher Monarch, sondern *als Statthalter Jesu Christi, und sein Stellvertreter auf Erden,* mit Nachdruck zu intercediren. Geruhen Sie unter dem Beistande des allbelebenden heil. Geistes bald an den Kaiser von Deutschland und den König von Frankreich zu schreiben, um sie für eine so heilige, so erhabene Sache zu interessiren, sie einzuladen, die Angelegenheiten Griechenlands in Überlegung zu ziehen, und sich in ihren Ansichten dahin zu vereinigen, ihm

einen König zu geben, einen *christkatholischapostolischen König.* — Dieser Monarch durch die Bedingungen und Verträge der europäischen Politik beschränkt, und begrenzt, von Ew. Heil. geweiht, wird alle christlichen Griechen durch das Band der Liebe und des Gehorsams mit sich vereinigen, und die ganze Nation, die ihm ihre Freiheit verdanken, und durch ihn den Sieg ihrer heil. Religion sich erfüllen sehen würde, die Nation würde dann *dem römischen Papste als dem sichtbaren Haupte und dem geistlichen Vater der Christenheit den Gehorsam einer ewigen Treue* zu den Füssen des Throns mit Freudenthränen schwören. — Sobald Ew. Heil. mit Ihrer apostol. Autorität dazwischen treten wollen, werden die Souveräne sich beeilen, sich über diesen Monarchen zu verständigen, und dann werden Griechenlands Wunden sich schliessen, die Vereinigung zwischen beiden Kirchen sich erfüllen, Ihr Pontificat wird unsterblich sein etc. — — Rom, den 24. Mai 1825. Der Special-Bevollmächtigte von Griechenland: Nicol. Kiffala. — **Benkert,** *der Religionsfreund für Katholiken.* V. Jahrg. Würzburg. 1826. p. 379.

1108.

Leo XII PP. excommunicat schismaticum Eppum **Daventriensem** neo-electum et consecratum, A. 1825.

MON. Iam diu est, cum Ultrajectino schismate Catholica turbatur Ecclesia. Quid non egerunt Summi Pontifices praedecessores nostri, ut infestissimo huic morbo mederentur? Sed imperscrutabili Dei iudicio nec salutaribus monitis, nec amantissimis hortationibus, nec ad extremum minis et canonicarum poenarum inflictione consequi potuerunt, ut excoecatos homines ad viam salutis reducerent, atque in sinum S. Matris Ecclesiae revocarent. Recens tantae obstinationis exemplum nuper nobis exhibuit *Wilhelmus Vet*, qui se *Daventriensem* Eppum appellare audet, quique literis die 13 Iunii nuper elapsi ad nos datis de

sua electione et consecratione certiores nos facere non erubuit. Eius quidem epistola mellitis verbis et obsequium erga nos obedientiamque sonantibus exarata est: sed quo in pretio fucatae et longo iam usu detritae huiusmodi blanditiae haberi a nobis debeant, ex eadem epistola satis apparet, in qua Wilhelmus iisdem se erroribus irretitum, eadem pertinacia sacris legibus obnitentem, iisdem uno verbo sordibus inquinatum prodit, quae Ultrajectinos suos ab ipso schismatis exordio contaminarunt. Eorumdem tamen innocentiam, conscientiamque ab omni labe puram Wilhelmus commemorare, imo et laudibus extollere non dubitavit. Cum igitur Wilhelmus nihil ab iis differat, in quos praedecessores nostri post exhausta paternae caritatis officia animadvertendum sibi esse merito existimarunt; nos sanctissima horum vestigia prementes iisdem quoque censuris ipsum subiicere decrevimus. Nolumus enim aliquem vestrum, dil. filii, quos inter Ultrajectinum schisma serpit, et misere animas depascitur, veteratorum praestigiis deceptum lupos, qui ovina se pelle contegunt, ut facilius gregem disperdant, furentur, mactent, tamquam bonos pastores sequi et dolosis ipsorum vocibus auscultare. Igitur apostolica, qua fungimur, auctoritate statuimus et declaramus: electionem Wilhelmi Vet in Eppum Daventriensem illicitam, irritam, nullam, consecrationem vero illegitimam et sacrilegam; memoratum insuper Wilhelmum omnesque eos, qui partem in nefaria electione habuerunt, quique tam electioni quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque praestiterunt, excommunicamus, anathematisamus etc. *ut in literis Pii VII. de A. 1814.* — Tristissimo dolentissimoque animo has perduellibus poenas irrogamus. Oh! si et ipsi decreto nostro perculsi tristarentur et dolerent ad poenitentiam! Quale inde gaudium susciperemus! quas laetitiae lacrymas tam exoptata conversio nobis eliceret! quam cupidis ulnis revertentes ad Patrem suum filios amplecteremur! quae misericordi Deo agerentur a nobis gratiae! Ut hanc nobis universaeque Ecclesiae consolationem tribuere velit, enixis eum precibus quotidie sollicitamus. Id ipsum vos agite, dil. filii, quorum invictam fidem firmissimamque cum Apost. Sede, orthodoxae unitatis centro, coniunctionem apprime cognoscimus, et meritis laudibus celebramus. Ut autem huic evangelicae caritatis officio libentius, alacrius, pleniusque satisfaciatis, apostolicam vobis benedictionem per-

amanter impertimur. Datum Romae die 19. Aug. 1825. — **Müller** *encyclop. Handbuch des Kirchenrechts.* I. B. p. 221.

1109.

Exhortatio **Leonis XII. ad Gallos Anticoncordatistas,** in qua Summus Pontifex enunciat: in Concordato, quod Pius VII. cum Gallis inierat, nil contineri, sive quod Romani Pontificis potestatem excedat, sive quod principiis aut spiritui Religionis Catholicae adversetur. A. 1826.

MON. Pastoris aeterni errantes ac deperditas oves quaerentis caritate excitati, et admoniti exemplo, pastoralis nostri muneris esse dignoscimus, ut quemadmodum cunctis Christifidelibus Catholicae Ecclesiae ac Sanctae huius Sedis communionem habentibus indicto anni sancti universali Iubilaeo, sacros aperuimus Indulgentiarum thesauros: ita et in eos quoque omnem sollicitudinem impendamus, quos in communionis separatione non effrons obsistentis animi pervicacia, sed fraudulentium magistrorum Catholicos *orthodoxos* se iactitantium mendacia detinent, et imperium; quatenus nempe nostris cohortationibus commonefacti eorum tandem derelinquentes castra ad debitam nobis ac S. Sedis obedientiam redeant, sicque digni efficiantur, qui recurrente tam optato tamque acceptabili expiationis et veniae, reconciliationis et gratiae tempore, tantae divinae misericordiae munera consequi et ipsi valeant. Quapropter ad vos praesertim sermo hic noster dirigitur, qui cum Catholica quidem Ecclesia communicare arbitramini, sed fraude circumventi auctorum infandi schismatis, sub nuncupatione *Parvae Ecclesiae* praetextu Conventionum Pium VII. inter et Gubernium Gallicanum annis 1801. et 1817. initarum nostram ac S. Romanae Ecsiae refugitis communionem. Ad vos scilicet nunc verba pacis convertimus, quos olim fortes in praeliando praelio Domini contra furentes altaris ac solii eversores iam pene totus celebrabat,

nunc autem mutata rerum facie contra Ecclesiam ipsam certantes stupens ac indignans demiratur Catholicus orbis; vobisque paternae caritatis nostrae sinum toto cordis affectu ducimus aperiendum. Licet enim inobedientes ac devios, adhuc tamen ut filios carissimos in Domino habemus, atque complectimur; quippe non ex animi pravitate rebelles, sed perversis insanientium pseudomagistrorum vestrorum Catholicae ipsius Ecclesiae nomine et auctoritate abutentium svasionibus et mendaciis deceptos vos novimus ac dolemus. Cavete igitur dilectissimi a nefariis iis ducibus eorumque declinate consilia, pestiferis obsistite instigationibus. Vos enim de Catholicae Ecclesiae gremio rapere, hinc et omnino perdere pertentant, dum vos a nostra et S. Sedis Episcoporumque cum ea communicantium communione adnituntur arcere. Falso namque sibi blandiuntur de commentitia communione cum Apost. Sede, dum cum Romano Pontifice ac Episcopis cum eo communicantibus non communicant. Ne sinatis itaque vobis illudi. Id sedulo percipite ac mementote: ibi esse Ecclesiam, ubi est Petrus, nec habere Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt, atque antichristi esse, non Christi, quicunque Cathedrae Petri communione renuit consociari (Ambros. Hieron.); nec illud vos praetereat Cypriani: Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo. Quae quidem si ad Crucifixi pedes fideique lumen unusquisque vestrum pacato animo secum recolat, facile cognoscet, eo tandem tendere talium praeceptorum insinuationes, ut recedentes a Romano Pontifice et ab Episcopis eidem communione coniunctis a tota recedatis Catholica Ecclesia, eamque proinde Matrem habere desinatis. Nam quomodo erit vobis Ecclesia Mater, si patres non habetis Ecclesiae pastores, nempe Episcopos? et unde de catholico potestis nomine gloriari, si a Catholicitatis centro, sancta hac nimirum Apostolica Sede et Summo Pontifice, in quo disposuit Deus unitatis originem, segregati, catholicam scinditis unitatem? Catholica Ecclesia una est, non est scissa, neque divisa: *parva* igitur vestra *Ecclesia* ad Catholicam nullatenus pertinere potest. Ipsis enim fatentibus magistris seu deceptoribus vestris, nullus superest ex Episcopis Gallicanis, qui vestras suscipiat ac tueatur partes, omnes imo Catholici orbis Episcopi, ad quos iidem appellarunt, quibusque suas inscripserunt typis vulgatas schismaticas reclamationes,

memoratas Conventiones et inde secuta Pii VII. acta approbare dignoscuntur, eisque iam tota favet Ecclesia Catholica. Quid ergo? nonne ipsi Catholicae Ecclesiae apertum inferunt bellum, eamque iam defecisse adstruunt, qui eam vel simulationis, vel ignorantiae, vel erroris hinc audent accusare? Atqui adeo desipiunt reclamationum auctores, ut id imprudentissime audeant. Ecclesiam enim, quae contra ipsos est, ac Sanctae huius Sedis communionem servat, ut simulatricem, vel deceptam, et errantem habendam esse conclamant, in eamque idcirco ut schismaticam furenter invehuntur. Quod perinde est, ac si ut Donatistae de eorum factione contendebant, sic et ipsi de propria contenderent, nimirum in ea tantum veram consistere Ecclesiam. Cum autem eorum fictitia *parva Ecclesia* nedum nullam habeat Catholicae Ecclesiae notam, sed omnes e contra praeseferat schismaticae sectae characteres, restat ut dicant, quod prono alveo consequeretur, scilicet Catholicam Ecclesiam iam periisse. Verum qui id tenet, eo ipso in Ecclesia Catholica se non esse ostendit. En igitur religio, quam vobis tradunt, seu potius en barathrum, in quod vos praecipitant, qui vestrae dominantur religioni, quibusque tam incaute fiditis animas vestras. Divellunt quippe vos ab Ecclesia Matre, sicque a vobis quodammodo auferunt Patrem Deum: non enim, inquit Cyprianus, potest habere Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.

Profecto summo angore conficimur, nec possumus nisi in humilitate cordis nostri imperscrutabilia Dei iudicia silentio venerari, dum mentem subit, eos, qui talia nunc vobis comminiscuntur, illos ipsos esse sacerdotes, qui olim se suaque tuendae Catholicae Ecclesiae dedidere; dum nimirum consideramus, parcentibus iam, ut Augustini phrasi utamur, persecutoribus tunicae Christi, eos ipsos nunc Ecclesiam Christi conscindere, qui persecutoribus saevientibus se pro Christi tunica, id est, pro Catholica Ecclesiae unitate servanda, ut fortes Israel opposuerunt. Deflendus sane acerbis lacrymis eorum casus, atque dicendum: quos apertus hostis vincere non potuit, ut eos in proprium schisma traheret, illos de sua fortitudine inde gloriantes animi tandem elationem vicisse, ut fierent ipsi peculiaris schismatis auctores. Et quidem quis ferat temerariam ac detestandam eorum audaciam, qua se solos illuminatos, solos inter Gallicanos sacerdotes se *orthodoxos*, solos se in Ecclesia, Ecclesiae defensores iactitantes,

praesumunt se in tribunal erigere, de quo in toto, ac de toto terrarum orbe sententiam dicant, Catholicamque damnent Ecclesiam cum Apost. Sede, id est cum Romano Pontifice communicantem? Quis praeterea Catholicorum non videat et non detestetur schismaticam eorumdem contumaciam, qua post solemnem eorum opusculorum in propriam causam typis Londinensibus editorum damnationem ac proscriptionem die 6. Sept. 1822. promulgatam; post tot paternas suorum Episcoporum preces ac monitiones; postque sacrorum interdictionem eis factam tum a Vicario Apostolico Districtus Londinensis iis, qui in Anglia morantur, tum a propriis Episcopis iis, qui istis in regionibus degunt; qua nempe post et contra Ecclesiae iudicium adhuc insolentissime audent, imo et pugnacius eorum errorem atque schisma defendere, et ardentius vulgatis etiam scriptis in contrasentientes ac praesertim in eorum Episcopos debacchari, et scandalosius ac impiissime quacumque spreta Sedis Apostolicae eorumdemque Episcoporum auctoritate, seditionem in Ecclesia concitare, ac sine missione, conculcatisque omnibus sacris Ecclesiae canonibus, interdicto sibi ministerio in tot millium animarum perniciem nulliter fungi? Ecquis superbientium haereticorum et schismaticorum de se suaque secta altius tumuit ac sensit, et iniquiora vomuit, egitque contra Romanos Pontifices, eisque communicantes Episcopos, scilicet contra Catholicam Romanam Ecclesiam? Horrent profecto Catholicae aures audientes ab his sacerdotibus doceri, nihil Catholicorum interesse debere, utrum Ecclesiae Catholicae Caput sit Catholicum? Id solum, dilectissimi, satis esset, ut vestrorum pseudomagistrorum agnoscatis insidias ac deliramenta, utque proinde debeatis eorum placita ac consilia execrari, et sacrilegum declinare magisterium, ac schisma relinquere, hinc et ab eis omnino desciscere, atque ad Ecclesiae redire unitatem. Sed et praeclarum vos moveat exemplum, et auctoritas eorummet Episcoporum, quos olim deerrantes hi sacerdotes ut patronos suspiciebant, et venerabantur, nunc autem ut sibi adversarios desperanter insultant, dum imo magis eos venerari deberent. Serio enim iidem Episcopi perpendentes Augustini monita, scilicet „Episcopos ordinari propter christianos populos, ideoque de eorum Episcopatu facere eos debere, quod christianis populis ad christianam pacem prodest, Episcopalemque dignitatem fructuosiorem eis fieri

magis si gregem Christi deposita collegerit, quam si retenta disperserit, nec sibi sperandum esse in futuro seculo promissum a Christo honorem, si eorum in hoc seculo honor christianam impedit unitatem," atque hinc cernentes in huiusmodi ad amussim se versari circumstantiis, id tandem consilii ipsi coeperunt, sancteque id praestitere, quod faciendum monebat, et ipsemet fecisset Augustinus. Quorum Episcoporum, ut iam probe nostis, exemplo et auctoritate quamplures ex schismaticis sacerdotibus, hinc et non exigua factionis vestrae pars, relicto schismate ad Catholicam redierunt unitatem. Quid igitur vos moratur, ne idipsum similiter faciatis? Itane forsan ad hoc perducta est apud vos rerum existimatio, quemadmodum apud Donatistas, ut contendatis, factum eorum, qui de vestra praecisione praecisi sunt, nil valere adversus vos, quia vobis — quod tamen falsissimum — comparati pauci sunt, vestram autem sectam valere debere adversus Catholicam Ecclesiam, idest adversus gentes haereditatem Christi, et possessionem eius terminos terrae? Miror, inquiebat Augustinus de Donatistis loquens, si habet in corpore sangvinem, qui de hac re non erubescit.

Rerum ecclesiasticarum causamini mutationem initis Conventionibus, et Pii 7. concessionibus peractam, ac si quod principia mutata esset Catholica Religio? Utique id somniant, proclamant, vobisque falso, temere, et inique nugantur, qui vos in schismate detinere satagunt. Verum commenta haec sunt, et calumniae Pontificiam spernentium ac blasphoemantium auctoritatem; qui hoc ipso Religionem mutare convincuntur, dum Apost. Sedem audent de Religionis mutatione criminari. Ceterum nihil contra Catholicam Religionem egit vel indulsit Pius 7. Firma semper remanent et intacta Religionis Catholicae dogmata atque statuta; una est eademque Pii 6. et Pii 7. fides; nihilque in pactis conventis reperire est, quod Summi Pontificis potestatem excedat, quodque defectu auctoritatis irritum haberi possit ac nullum; siquidem nihil reperitur quod contra spiritum, imo quod actum non fuerit iuxta spiritum piae Matris Ecclesiae, ex prudenti ac sapienti dispensationis oeconomia, qua pro circumstantiarum varietate uti semper consveverunt Romani Pontifices. Quandoquidem sciebat idem Pius VII. ac prae oculis habebat illud S. Leonis monitum: „Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa esse, quae aut pro ratione

aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari;“ quemadmodum et illud S. Augustini: „ubi per graves dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum esse aliquid severitati (ecclesiasticae videlicet disciplinae), ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat.“ Quapropter hisce principiis prudentissime ut sapiens Ecclesiae gubernator insistens, ac Gelasii I. regulam sequens, necessaria rerum dispensatione constrictus, atque libratis ex Apost. Sedis moderatione Canonum paternorum decretis, mensisque praedecessorum suorum praeceptis, ea, quae suorum necessitas temporum restituendae in Gallia Religioni, restaurandisque Ecclesiis relaxanda deposcebat, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potuit, temperavit, intacta prorsus ac in suo robore ea relinquens, quae nulla poterant ratione convelli, impositaque iis, qui contra haec egerant, schismatis reatu pollutis debita Ecclesiae satisfactione, ut in eius communionem reciperentur, quin eum tamen illud praeteriret Augustini, nimirum cognitos malos bonis non obesse in Ecclesia, si eos a communione prohibendi aut potestas desit, aut aliqua ratio conservandae pacis impediat. Quid ergo sanctissimum hunc Pontificem, qui totius orbis sibi conciliavit venerationem, in aevum profecto duraturam, calumniantur sacerdotes vestri, ac sacrilego et haereticali ore blasphoemant tamquam sacrorum canonum conculcatorem, Episcopalium iurium usurpatorem, Catholicae Religionis hostem et persecutorem, adeo ut asserere non erubescant, quod a seculo est inauditum, quodque omnium seculorum fidem evertit, videlicet separationem a Pio VII. esse catholicitatis characterem necessarium?

Haec delibasse sufficiat. Recensenda autem ea duximus, ut vos detecta vestrorum magistrorum vesania, qui dum ore se venerari simulant Catholicam Ecclesiam, eam in Summo Pontifice et Episcopis insultare, et eiurare convincuntur, ab eis penitus recedatis; utque simul et ipsi videant se non habere omnino quod dicant contra veritatem, nec eis remanere nisi solam animositatis infirmitatem, quae tanto est langvidior, quanto se maiores vires habere existimat; hincque id videntes, tandem resipiscant, atque ad Catholicam revertantur unitatem. Tanto quippe magis eorum debebamus commemorare vanitatem, quanto magis eorum quaerimus salutem; non secus enim ac pro

vobis, ita et pro ipsis quoque medullas caritatis nostrae incessanter Deo fundimus, ut det illis sobrium sensum, roboretque virtute ex alto ad proprias animas coecitatis et schismatis, in quo versantur, abysso redimendas. Hortamur ergo vos, dilectissimi, et obsecramus, ne velitis a veritate auditum avertere. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; ad cor redite. Deterrimum schisma, certam perditionis viam, magno ac forti animo relinquite, atque ad Ecclesiam, extra quam ut oves errantes absque pastore vagamini, omni abiecta cunctatione revertite, serio considerantes, quod quisquis a Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate seiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. (August.) Iam vestri, quorum studium datis etiam ad eos literis commendavimus, et iterum commendamus, Episcopi id vobis pro pastolari eorum officio denunciare, atque in omni patientia, et doctrina, ac in spiritu lenitatis vos instruere, id est caliginosas, quae vos tenent, illusiones discutere non destiterunt. Ecce ipsamet nunc pia Mater Ecclesia, contra quam murmuratis, imo Christus ipse, quem in Ecclesiae Pastoribus spernitis, per os nostrum ad vos loquitur, vos ad se advocat, pacisque munera vobis offert. Obtestamur igitur vos per viscera misericordiae Dei nostri, nolite obdurare corda vestra. Errare hominis est, sed quasi peccatum ariolandi esset monenti Ecclesiae ac vocanti Christo repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.

Verum dum super vestra ab Ecclesia discessione, vestrisque, in quibus decepti hactenus ambulastis, erroribus graviter dolemus: de vestra tamen plurimum confidimus docilitate, quod nempe paternae caritatis nostrae verba religiosis auribus suscepturi sitis, ac monita facturi. Speramus siquidem eum nos adhortationis huius nostrae uberem fructum in vobis divina opitulante gratia habituros, quem elapsis mensibus magna cum cordis nostri laetitia habuimus in quibusdam alterius regionis incolis, qui pariter vicissitudinum politicarum occasione et obtentu veluti agmine facto contra proprium Episcopum sacerdotesque omnes ab eo missionem habentes, continuis gravibusque anxietatibus lacerati ab eorum iampridem se separaverant communione. Nostram enim ut audierunt vocem, ad debitam eisdem Episcopo et sacerdotibus obedientiam eos revocantem, nobis in

omnibus filiali submissione ac nulla interposita mora obsequentes obtemperarunt, sicque Ecclesiae reconciliati ad Iubilaei admissi sunt participationem; quod quidem cum non dubiis internae pacis significationibus atque in gaudio spiritus celebrarunt. Enixis interim precibus Patrem luminum Deum exoramus, ut det nunc similiter voci nostrae vocem virtutis pro vestra etiam exhortatione et salute, atque ut vos pro sua misericordia confortet adversus animarum vestrarum proditores, quatenus fractis teterrimi schismatis, quae vos constringunt, catenis, ad sinum confugiatis amantissimae Matris Ecclesiae, et sic amplissimam Iubilaei veniam consequi et ipsi possitis. Sed ne pluribus vos detineamus, paternam hanc nostram exhortationem concludimus verbis S. Augustini: „Si paci Christi, et unitati consenseritis, de vestra correctione gaudebimus, et Sacramenta Christi, quae in sacrilegio schismatis ad iudicium habetis, utilia et salubria vobis erunt, cum in Catholica pace habueritis Caput Christum, ubi caritas cooperit multitudinem peccatorum.“ Sic ergo agite, dilectissimi, et Deus totius consolationis et pacis erit vobiscum. Datum Romae apud S. Petrum die 2. Iulii 1826. — **Besnard** *Literaturzeitung für die kath. Geistlichkeit.* Landshut. 1827. Int. Bl. n. 3.

1110.

Reflexiones **S. Sedis Apostolicae** quoad **Catechismum Herbipolensem,** in quantum de Ecclesia et R. Pontifice agit, A. 1827. factae.

INTR. Catechismus Herbipolensis A. 1825. in Indicem librorum prohibitorum relatus fuit: sed cum hoc comperto Eppus ipse Catechismum denuo S. Sedis iudicio subiecisset, S. Congregatio A. 1827. declaravit: Catechismum, si reflexionibus his (quas in Monumento exhibemus) satisfactum fuerit, absque ulla ulteriore offensione tradi posse. Cuiusmodi reflexiones Eppus ipse per literas Circulares dd. 7 Maii 1827. ad notitiam Cleri pertulit.

MON. — Pag. 55. (Katechismus der christkath. Religion,

Würzburg. 1823.) ubi agitur de Ecclesia, deest huius definitio, quae consequenter addenda foret, prout sequitur: ‚Quid est Ecclesia? Rss. Ecclesia est coetus hominum unius et eiusdem fidei christianae professione et eorumdem sacramentorum communione adunatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis.‘

Pag. 57. qu. 163. quaeritur: ‚In quo potissimum consistit munus Romani Pontificis?‘ respondetur: ‚Debet invigilare, ut in christiana Ecclesia unitas fidei conservetur.‘ Haec responsio, non obstante voce *potissimum* in quaestione posita, non est sufficiens, propterea, quod ea, quae ad primatum spectant, clarius et expressius exponi circumstantiae exigant; unde addendum est: ‚et universalem Ecclesiam regere et gubernare. Vid. def. C. Flor.‘

Pag. 58. qu. 166. quaeritur: ‚Quare nostri Episcopi hodiedum adhuc eandem omnino potestatem habent, quam Apostoli (habuerunt)?‘ respondetur: ‚Quia illis ab Apostolis, in quorum munus legitime successerunt, tradita fuit. Exempl. S. Matthias Act. 1, 26.‘ Dici non potest, Eppos eandem omnino habere potestatem, quam habuerunt Apostoli, qui in regimine Ecclesiae etiam extraordinaria instructi erant, haec vero, si Petrum et eius successores excipias, ad successores non erat transmittenda. Ergo *eandem omnino* omittendum est, et quaestio sic proponi posset: ‚An Apostolorum potestas ad eorum legitimos successores Eppos transmissa fuit?‘ tunc enim quaestio tantum intelligitur de potestate ordinaria. Quod pertinet ad responsionem, in ea non assignatur ratio adaequata, nec primaria, sed potius modus transmissionis, qui tamen multis difficultatibus subiacet; unde ita respondendum esset: ‚Affirmative; cum enim Ecclesia ad finem mundi duratura erat, et Apostoli non semper erant victuri, Christus voluit, ut eorum potestas ad legitimos eorum successores transiret.‘

Pag. 58. qu. 167: ‚In quo consistit munus Epporum? Rss.— 3. generatim omne id ordinandi, quod ad promovendam salutem animarum necessarium vel utile esse possit. Attendite vobis et universo gregi etc. Act. 20, 28.‘ Eppi iure proprio non possunt ea, quae spectant ad ius commune et nonnulla alia; quae autem possunt iure proprio, possunt iure non supremo sed subordinato; et ad bonum cuiusque dioecesis statum spectant quoque 1.

illa regiminis unitas, quam Christus in Ecclesia sua instituit; 2. ordinationes a Superiore hierarchico, praesertim Pontificia potestate profectae. Unde in responsione delendum esset *omne id*, et dicendum: ‚3. generatim ea ordinandi etc.‘ et in fine addendum: ‚sed iuxta canonicas sanctiones et cum subordinatione ad Rom. Pontificem.‘

Pag. 60. qu. 174: ‚Quid significat: Ecclesia Catholica una est? Rss. Omnibus temporibus et locis unam Christi doctrinam tradidit,‘ addendum esset: ‚2. Una est unitate Capitis seu regiminis sub uno capite. 3. Una eorumdem sacramentorum participatione.‘ — **Kerz,** *kathol. Literaturzeitung. XIX. Jahrg. 1828.* München. II. B. Int. Bl. p. 48.

1111.

Concilii Baltimorensis A. 1829. celebrati acta iudicio Pii VIII S. Pontificis submittunt Americani Praesules.

MON. Inter gratulationes, quas ob Sanctitatis Vestrae ad supremam Petri Cathedram assumtionem Christianus orbis Romam laetus undique mittit, haud ingratas communi fidelium Patri futuras speramus, quas ex Septemtrionalis nostrae Americae adhuc infantibus Ecclesiis Beatitudo Vestra recipiet. Periucundum quidem nobis exultantis animi sensus ob tantum Pastorem perdifficilibus hisce temporibus provido Dei miserantis consilio Ecclesiae datum his literis communi testimonio patefacere, atque simul illius, quam Christi in terris Vicario debent omnes Ecclesiarum Pastores, venerationis, reverentiae et obedientiae argumentum aliquod proferre. Id autem nos sincere praestituros arbitramur, nostri *Baltimorensis Provincialis Concilii decreta Beatitudinis Vestrae supremo iudicio subiiciendo*, ut quae Ecclesiarum nostrae curae commissarum bona decernenda censuimus, apostolica adprobatione, si quam merentur, donata necessaria sanctione roborentur. *Ea igitur Romam transnavigare volumus, ea ante Sanctitatis Vestrae tribunal sistere iubemus, ut ad trutinam revocata, ex illis, quae Petro probata fuerint,*

tantum approbemus, et quae ab illo reiicienda vel condemnanda iudicabuntur, reiiciamus atque damnemus. — Datum Baltimori die 24 Oct. 1829. — **Concilia Provincialia Baltimori** *habita ab a. 1829—1840. Baltimori. 1842. p. 50.*

1112.

Eppus Leodiensis (Van Bommel) de Primatu Romanae Ecclesiae, A. 1830. (ex gall.)

MON. *Prima epist. pastoralis ad Clerum et fideles.* — Ihr wisset wohl, theuerste Gläubigen, bei welcher Gelegenheit der *h. Petrus die Fülle der apostolischen Macht* erhielt. Er bekannte laut im Namen aller seiner Mitgenossen, die Gottheit seines Meisters: Du bist Christus, der Sohn des lebendigen Gottes. Und von dieser Stunde an stellte Jesus Christus, der wahre Eckstein, um ihn auch für seinen laut bekannten Glauben zu lohnen, ihn auf als einen Felsen, auf dem seine Kirche erbaut werden sollte: ‚Selig bist du etc. Matth. XVI. *So ward nun der h. Petrus die sichtbare Grundlage der Kirche, so ward Petrus bekleidet mit der Fülle*, mit der Gewalt, die ihm für alle Zeiten gegeben ward, *als sichtbares Oberhaupt im lehrenden Körper der Apostel und ihrer Nachfolger;* denn die göttlichen Verheissungen bürgen uns dafür, dass kein Zweifel mehr bleibt weder über die Dauerhaftigkeit des Fundamentes, noch über die des Gebäudes selbst, weder über das Fortbestehen des Oberhauptes, noch über die ewige Dauer des Körpers, und dieselbe Wahrheit ist es, welche verspricht bei Petrus und der Versammlung der Apostel zu bleiben bis an's Ende der Welt, welche feierlich versichert, dass ihr Oberhaupt der Fels, der unerschütterliche Grundstein ist, der ihre Kirche tragen wird, und an welchem stets die Mächte der Hölle scheitern werden. *Petrus, der Statthalter Jesu Christi und das sichtbare Fundament seiner Kirche, lebt noch unversehrt in seinen Nachfolgern, den römischen Päpsten*, ebenso wie die Apostel noch in ihren Nachfolgern den Bischöfen leben. Urtheilet daher selbst, wie gross ist doch euer Glück, einem Bischofe zu

gehorchen, der dem obersten der Bischöfe gehorcht und durch diesen Jesus Christus selbst! Mit welcher Leichtigkeit könnet ihr nun durch euch selbst die Reinheit des Glaubens, den ihr bekennet, und die Quellen des Heils, woraus ihr schöpfet, erkennen? Dazu habt ihr weder schwerverständliche Beweggründe, noch mühevolle Untersuchungen nothwendig; eine einzige Thatsache ist euch genügend, und diese Thatsache spricht für den Armen wie für den Reichen, für den Ungelehrten wie für den Gelehrten; nämlich: ich stehe durch den Pfarrer, der mir von meinem Bischofe gesendet ist, in Verbindung mit diesem Bischofe, mein Bischof stehet mit dem Papste, dem hochverehrtesten Oberhaupte der ganzen Kirche in Verbindung; durch diesen gelangen wir durch eine ununterbrochene Stufenfolge zum heil. Petrus, durch Petrus kommen wir zu Dem, der ihm gesagt hat: auf dich, auf diesen Felsen will ich meine Kirche bauen, und der Hölle Pforten sollen sie nicht überwältigen, und der sowohl zu ihm, als zu den Übrigen gesprochen hat: ich bin bei euch etc. Dies war jederzeit das unerschütterliche Fundament des Glaubens und des süssesten Trostes, der vollkommensten Ruhe der Gläubigen, so wie es auch das unfehlbare Mittel war, sie von den ungerathenen Kindern zu unterscheiden. Im dritten Jahrhunderte, wo der gelehrte Tertullian mit den Neuerern seiner Zeit sich nicht in unabsehbare Streitigkeiten über den Sinn der heil. Schriften einlassen wollte, stellte er ihnen, um sie zum Schweigen zu bringen, blos eine Thatsache entgegen, und bekämpfte so den Beweis für ihre Aufnahme in die Gemeinschaft der Apostel und Jesu Christi. Sie sollen nur einmal, sagte er, genau den Ursprung ihrer Kirche bestimmen, sie sollen nur einmal den Stuhl ihrer Bischöfe zeigen, der vom ersten Ringe eine ununterbrochene Reihenfolge einhalte, sey es an Einem der Apostel oder an Einem ihrer Gesandten, ob dieser mit ihnen in Verbindung geblieben. Wir aber, setzte er hinzu, wir stehen mit der apostolischen Kirche in Verbindung, wir haben nur Eine und dieselbe Lehre mit ihr, diess beweist, dass wir in Wahrheit wandeln. — Und wollet ihr vernehmen, wie ein anderer Gelehrter und grosser Mann aus den ersten Zeiten euch diese Wahrheit noch auf eine bestimmtere Weise erklärt? Höret den heil. Irenaeus, das Licht der Gallier, der mehr noch als Tertullian an die Zeit der Apostel gränzte: ‚Erklärt man

die Tradition, welche die sehr alte und hochberühmte heil. römische Kirche, vom h. Petrus und Paulus gegründet, von den Aposteln erhalten, und welche sie durch die Aufeinanderfolge ihrer Bischöfe bis auf uns bewahrt hat, so treibt man so alle Neuerer in die Enge, weil mit dieser Kirche alle andern Kirchen in Verbindung stehen müssen wegen ihres ursprünglichen Vorzugs, und weil in ihr die auf der ganzen Erde zerstreuten Gläubigen die Überlieferung, welche von den Aposteln herkommt, erhalten haben.' Darum geliebteste Gläubige, bleibet im innigsten Verbande mit eurem Bischofe, denn auch er hat geschworen, stets in Einigkeit zu bleiben mit dem heil. Stuhle, wo Petrus spricht durch den Mund Pius VIII., des so würdigen Papstes, der jetzt mit so vieler Weisheit und mit so vielem Ruhme die Kirche regiert. — O! auf diese unsterbliche Stadt (Rom) richtet unverwandt euern Blick, von welcher alle Katholiken des ganzen Königreichs mit Freude sprechen und wieder sprechen werden, weil ihnen diese schönen Worte des berühmten Bischofs von Meaux tief in das Herz gegraben sind: Heilige römische Kirche, Mutter der Kirchen und Mutter der Gläubigen, Kirche von Gott auserkoren, seine Kinder in demselben Glauben, in derselben Liebe zu vereinen; stets werden wir vom ganzen Herzen an deine Einheit halten. Könnte ich doch mich selbst vergessen, römische Kirche, wenn ich dich vergessen sollte! Meine Zunge soll austrocknen und unbeweglich in meinem Munde kleben, wenn du nicht immer in meinem Andenken als die Erste lebest etc. — **Benkert** *Athanasia.* 1830. VIII. 155.

1113—1115.

Eppi Galliae censuram suam de erroneis doctrinis **Lamenneii** iudicio Summi Pontificis **Gregorii XVI** substernunt. A. 1832.

INTR. Eximii zeli sui in tuendo fidei deposito insigne specimen praebuerunt Gallicani Antistites, dum a. 1832. opera famosi Scriptoris Lamenneii eiusque sociorum ac discipulorum censurae suae subiiciendo, ex iis 56 extraxerant proscripserant-

que propositiones. Harum aliquot ipsam Ecclesiae, ac signanter Romani Pontificis impetunt auctoritatem. Iidem porro Praesules censuram hanc iudicio S. Sedis Ap. proni subiecerunt: praeclara praedecessorum suorum sequuti exempla, qui gloriae sibi duxere, decisiones doctrinales Summae Sedis supremo iudicio substernere. Epistolam Praesulum, cum iudicio de propositionibus auctoritatem Ecclesiae ac Rom. Pontificis attinentibus, item responsum Summi Pontificis inter Monumenta referimus.

1113. MON. *Epistola Praesulum ad Papam.* Cum in repellendis hominum impiorum assultibns versarentur Galliarum Episcopi, sacerdos, qui multa cum laude Religionem defendendam primo susceperat, non multo post ipse sibi hanc laudem detrahere visus est, errores edocendo singulares et periculosos, quos acriter propugnare non destitit, adhaerescentibus plurimis et in verba magistri sui iurantibus discipulis. Nos quidem, Beatissime Pater, non praeterit hoc esse praecipuum pastoralis nostri officii munus, custodire depositum nobis creditum et reiicere profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae. Itaque cum in eo simus, ut haec damnanda systemata repellamus eaque ad iudicium Vestrae Sanctitatis deferamus, excusatione magis indigere videtur silentium, quo per annos duodecim usi fuimus, quam consilium nunc demum susceptum non tacendi diutius. *) Nobis enim id meminisse iam locus erat, quod e Vestris Antecessoribus scripsit unus ad Eppos Galliarum, de nonnullis presbyteris, qui dissensioni Ecclesiarum studebant, indisciplinatas quaestiones vocantes in medium et pertinaciter adversantia veritati praedicantes; nec iniuria fortasse nobis obiici possent haec verba eiusdem Summi Pontificis (Coelestini I): ‚Vestrae dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habeant copiam disputandi. Legimus super magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad iniuriam doctorum vindicare doctrinam. Timeo ne connivere sit hoc tacere. Merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem.‘ Dicendum tamen est, Beatissime Pater, nos nonnisi gravissimas ob causas hucusque temerariis novitatibus pro nostra auctoritate coercendis supersedisse. Siquidem in his Auctor, quem in-

*) Alludunt Eppi ad primum opus Lamennei ante 12 annos editum de indifferentia in religione.

tendimus, errasse primum visus est, quae, si summam operis spectes, ad philosophiam duntaxat pertinent. Agebant enim de quaestionibus, quas Deus tradidit disputationi hominum, quibus etsi nonnullas admiscuit propositiones rebus fidei affines non parum reprehendendas, eas tamen cum ipsius doctrina cohaerere neque satis apparebat, nec quisquam suspicari aliquid mali fas esse duxisset de scriptoris mente, qui summa diligentia, summo ingenio, in defendenda Religionis causa sibi famam ingentem nuper comparaverat. In hunc igitur si quis censura aliqua animadvertisset, moerore animos fidelium affecisset, aut etiam ipsos offendisset, ac certe de iis, quae in priori auctoris opere iam profuerant, detraxisset. Nemo denique non videt, quantopere cavendum fuerit; ne quo tempore ab innumeris hostibus fides impugnabatur, arma nostra verteremus in eos ipsos, qui sese fidei propugnatores declararent. Est etiam aliud, quod Praesulum animos permovit; videlicet scriptorem supra memoratum eiusque discipulos affectata diligentia defendisse doctrinam quae maxime favet auctoritati S. Sedis apostolicae: quorum scripta si damnavissemus, metus erat ne infirmius videretur obsequium nostrum erga illam auctoritatem, sanctissimam quidem et Eppis ceterisque Galliarum Catholicis semper carissimam. Cuius obsequii testimonium proferent in ultimas aetates, cum atrox hinc orta in eos insectatio, tum scripta eximia, quae prodierunt in Galliis ineuntibus calamitatis nostrae temporibus. Nuper etiam et ante novissimam publici status nostri commutationem nonne omnes Galliarum Episcopi non iubente sed indicante atque innuente Summo Pontifice prius susceptum de re gravissima consilium immutarunt? Praeterea nobis facile in animum induxeramus, auctorem in novum hoc systema, quippe quod perspicuam omnibus continet falsitatem, quodque inauditas antea exhibet assertiones, errore quodam humanae mentis esse delapsum, non autem eo consilio, quod excusari non posset, ut pravam doctrinam in Ecclesia spargeret. Hinc etiam spes erat istum errorem nec late diffundi posse, nec diu animis hominum illudere: aliter res successit, adeoque huiusce novitatis fautorum excrevit numerus, ut non immerito ab his cavendum esse videatur. Addendum novorum dogmatum auctores nedum intra philosophiae limites doctrinam suam cohibeant, erupisse in ipsam theologiae scientiam, imo in fidem

divinam, quibus utrisque non aliam basim dare contendunt quam suum systema, illamque adminus ut non sufficientem reiiciunt methodum qua certissime religionis divinitas adversus incredulos, quaque adversus haereticos infallibilis Ecclesiae auctoritas demonstrari solent: gloriantur enim se invenisse fundamentum aliud quo utriusque argumenta firmius innitantur. Ipsam etiam religionis historiam immutant. Iam Christus non is est, qui Patrem clarificavit, ubi venit hora, nomen eius manifestando hominibus ut cognoscerent eum solum verum Deum; quippe, ut isti aiunt, semper et ubique etiam ante Christum natum societas hominum pene universa Deum verum cognovit. Verum, Beatissime Pater, ab his commentis, quae velut inconcussas veritates obtrudunt, Ecclesiae paci minus timendum videtur, quam ab eiusmodi hominibus, quorum in imponendis orbi terrarum suis doctrinis eminet audax fiducia, et froeni impatiens libertas, suaeque opinionis propagandae studium indefessum. Nam initio conati sunt in Ordinem Ecclesiasticum grassari, iuniores allicere, eoque adducere, ut seniores contemnant, Episcopis scientiae tradendae magistris diffidant. Constituta ab illis est in urbe principe procuratio generalis, cuius negotium est propagare sua dogmata. Aliis procuratoribus commissa sunt literarum scriptorumque suorum per dioeceses Galliarum commercia, aliis diaria conscribenda, quae doctrinam novam evulgent, tueantur aut explanent. Nullum ex his diariis fama maius quam cui titulus: *L' Avenir*. Intermissa quidem est non ita pridem illius promulgatio, sed in eius locum suffecere nova diaria, quorum mens eadem est, idem scopus.

Quae vero iam Vestrae Sanctitati exposuimus cum de periculo novitatis istius, tum de consilio et mente auctorum, ea claris et invictis argumentis comprobata reperiuntur memorati diarii ‚*L' Avenir*' folio ultimo, (15. Nov. 1831.) cuius praecipuis omnibus articulis nomina sua subscripsere *D. de la Mennais*, septemque ex eius discipulis. Sua, ut ipsi gloriantur, opera „instituta est per Europam aperta pugna contra oppressionem, nec non defensio suis instructa organis, fortis ut iustitia, interrita ut lex." Dicunt ad suam vocem magna haec iam esse confecta in Hibernia, in Belgio, in Polonia. Proponunt „foedus omnibus, qui voluerint in libertatem orbis niti. Foedus hoc, ut aiunt, scopus est praeclarissimus, quem ostendat Deus Catho-

licis in tempus, si ipsi velint, non ita remotum. Signum hoc erit, quod portendet magnum aliquid in orbe terrarum. Ad hoc opus Catholici quemcunque vocant, qui velit quod ipsi volunt, et apertis ordinibus in suas partes recipiunt viros omnes probos, nulla religionis habita ratione. Societatis instauratio pendet ex hoc futuro bonorum civium consensu. Mox libertas aderit victoriae merces: illucescet dies tandem, ubi servatis cuique suis iuribus supererunt tantum e cruentis discordiis pacatissima illa mentis humanae certamina, quae dum parant triumphum veritatis in animos nulla vi sub legibus coactos, desinent in eam victoriam, quae sola victos nescit. Prima foederis lex est libertas omnimoda conscientiarum et religiosi cultus. Secunda libertas preli etc.“ Haec ita vaticinantes audire operae pretium est: „Annus est, inquiunt, ex quo inierunt Catholici ingens certamen, quod, si obnitantur, in triumphum desinet longe pulcherrimum nec viribus humanis antea concessum; parta scilicet orbi terrarum libertas ipsis referetur accepta; illa, illa, quae revera libertas est, munda ut coelum, sancta ut Deus. Tunc, tunc solummodo Christianismus discussa, qua obvolvitur, nube, denuo apparebit ad eoas partes societatis veluti sidus quo haec illustratur, incalescit, reficitur, conversisque ad hanc lucem oculis gentes magnifico splendore incedentem laetis carminibus et usque renascenti pietatis sensu prosequentur.“ In eodem folio diarii ‚*L'Avenir*‘ annumerantur dioeceses Galliae respective assignatae tribus praecipuis procuratoribus generalibus, quibus commissa sunt commercia literarum. Res sane in promtu est, quo tendant ea, quae tanto animi ardore instincti praedicanda susceperunt; nimirum ad concitandos, ut ipsi profitentur palam, omnes populos spe optimi status rerumpublicarum in orbe toto mox instaurandi. Urget igitur tempus nos iis malis, quae tam late patere possent, quantum quidem in nobis est, obsistere; eoque minus cunctari decet, quod e nostra mitiori ratione agendi Novatores praecipuum victoriae suae argumentum iam fuerint aucupati, perinde ac de tantis erroribus omnes Galliarum Eppi ad hanc diem omnino siluissent. „Obstupescent, aiebant illi anno proxime elapso, conviciatorum obstinatissimi, silente Roma illa, ubi Europaea diplomatia simul conspirante Gallicanismo damnari nos iampridem efflagitat; iamque interrogantes qui fit ut silentium hoc imi-

tentur primi Pastores nostri, mirantur. Nec immerito; quos enim veneramur, Praesules nostri nonne iudices nostri sunt et pastores? Nonne suo iure, imo et ex officio Christianum quemque, si erraverit, monent; si in errore perstiterit, prima et solemni sententia plectunt? Ubinam vero Praesulum ad nos monita? ubi iudicium de nobis latum? Quis ex tot tantisque Praesulibus ne unum quidem esse dicat, qui neque iure in nos suo usus fuisset, neque officium explesset suum, fortasse sacratissimum, ni fides nostra ab omni suspicionis labe prorsus esset immunis?" (Avenir. 3. Sept. 1831.)

His adducti momentis censura feriendas esse plurimas propositiones ex illorum scriptis excerptas censuimus, inusta, prout visum est, sua singulis nota. Sed ut nostro iudicio felix contingat exitus nobis optatissimus, Beatissime Pater, postulare a Vestra Sanctitate decrevimus, ut rem inchoatam sua auctoritate perficere dignetur, exemplum secuti, quod antecessores nostri Galliarum Praesules nobis reliquerunt; praesertim a. 1791. ubi actum est de damnanda civili constitutione Cleri Gallicani, et antea a. 1650. de deferendis Summo Pontifici Innocentio PP. X. quinque propos. Iprensis Eppi, et multo ante, cum a. 529. D. Cesarius Arelatensis confirmandas a S. Sede postulavit decisiones Conc. Arausicani II. Quapropter ad Vestram Sanctitatem deferimus nostrum de his doctrinis iudicium, ut quatenus et quomodo videbitur, illud auctoritate apostolica sua confirmet; spem non sine certa ratione habentes, ipsos propositionum auctores iudicio vestro facile obtemperaturos esse, data praesertim solemni fide, qua, si vel una ipsorum sententia procul sit a vestris sententiis, eam respuunt et abiurant. (Avenir. fol. ult.) Sin minus, quod absit, verbis suis stare nec vestrae auctoritati parere voluerint, tum demum detrectata ab illis fides vestrumque iudicium nova quasi luce omnium oculos ita perstringet, ut ab erroris semita revocentur iam antea decepti, et in posterum etiam minus prudentes deterreantur. Quod autem attinet ad declarationem, quam scriptores diarii ‚l'Avenir' misisse se dixerunt ad S. Sedem, ut suum de doctrina, quam profitentur, ferat iudicium: quoniam doctrina illa alioquin incompleta, quam in praefata declaratione exhibent, in eo sensu intelligenda est, qui cohaeret cum doctrina fusius in ceteris eorum scriptis exposita, nos rem integram iudicio Vestrae San-

ctitatis reservantes, vestrae tamen voluntati obsequi arbitrantes, hanc duntaxat cohaerentiam indicare voluimus, unde verus declarationis sensus eliciendus sit. Nunc demum, quod unum superest, Beatissime Pater, a Deo omnipotente supplices flagitamus, cum tantis tamque luctuosis casibus Ecclesia iactetur, saltem sit hoc solatium, ut quia incolumitas vestra exultatio et salus nostra est, memorem coronam vestram humilitatis nostrae Christus Dominus longaeva aetate conservet, Domine Sancte, Beatissime Pater, apostolica Sede dignissime Papa. Quae semper erunt vota eorum, qui se cum singulari veneratione profitentur devotissimos et addictissimos filios: Carolus, AEppus Albiensis. — P. T. D. AEppus Tolosanus. — M. N. Eppus Monspeliensis. — Lud. Guil. Eppus Montalbanensis. — Cl. Fr. Maria, Eppus Nemausensis. — Alexander, Eppus Petrocorensis. — St. M. B. Eppus Bayonensis. — I. Franciscus, Eppus Elnensis. — Ios. Iul. Eppus Carcassonensis. — Prosper, Eppus Lemovicensis. — D. Maria, Eppus Adurensis. — Paulus, Eppus Cadurcensis. — Petrus, Eppus Ruthenensis. Die 23. April. 1832.

1114. *Iudicium doctrinale Epp. de erroneis propositionibus ex Diario. ‚L. Avenir' excerptis, quatenus Potestati Ecclesiasticae sunt adversae. Prop. 42:* Doctrina hac propositione contenta quatenus innuit, Auctorem eiusque sequaces nolle a Pastoribus seu Episcopis a Gubernio nominatis et a Summo Pontifice iuxta Concordatum, quod adhuc vim legis retinet, canonice institutis in spiritualibus regi ac gubernari, est schismatica. In eo, quod etiam innuit, ab iisdem Eppis in spiritualibus non gubernari ius fasque esse auctori et ipsius sectatoribus, eosque adversus praefatos Eppos sine Pastorum Ecclesiae concursu protestaturos, ut suae conscientiae et conciliis obsequantur, falsa est, temeraria, scandalosa, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, inducens in schisma, erronea. Et sic intellecta, ut iidem Eppi non forent legitimi et veri Eppi, quibus omnes dioecesani sese subiicere, ipsisque reverentiam et obedientiam in spiritualibus praestare tenerentur, est haeretica. — *Prop. 44:* Doctrina, quae statuit, libertatem, et inprimis libertatem omnimodam et illimitatam prelo subiiciendi scripta quaelibet aut ipsa typis impressa evulgandi cribrum esse, quo fides fuit conservata, ita, ut qui aliud expetit praeter libertatem

istiusmodi, Ecclesiae oppressionem fideique eversionem exoptet: falsa est, temeraria, scandalosa, sensui Ecclesiae per Conciliorum et Summorum Pontificum decreta manifestato contraria, et in Ecclesiam iniuriosa. — *Prop. 45:* Propositio, qua parte affirmat censuram librorum scriptorumve non posse ab Ecclesia exerceri, est scandalosa, auctoritatis Ecclesiae constanti perpetuaque praxi firmatae eversiva, ipsique iniuriosa, erronea. Quatenus asserit conflictum omnino liberum erroris contra veritatem ordinem esse primigenium et universalem, quasi Ecclesia libero huic conflictui erroris adversus veritatem censuris obsistendo violaverit ordinem primigenium a Deo constitutum: est erronea, in Ecclesiam eiusque Pastores contumeliosa. — *Prop. 47:* Propositiones, quatenus redarguunt Clerum et praesertim Praesules Gallicanos, quod ita Conciliorum Generalium definitiones retulerint, ut de eorum infallibilitate dubium iniicerent, sensum catholicum corruperint; quatenus insuper eundem Clerum traducunt, quasi omnes sanxerit iniurias, illum a Catholicis secernunt, imo notam schismatis ipsi inurunt, eumque vocant hostem Sanctae Sedi magis infestum quam Protestantes et Pseudophilosophos; ac demum cum istis et Anglicanis et Iosephistis in eodem collocant ordine, simulque adversus S. Sedem ipsum quodammodo conspirasse affirmant: falsae sunt, temerariae, scandalosae, in Ecclesiam Gallicanam fide integerrima et erga S. Sedem devotissimo obsequio praestantissimam contumeliosae, ad schismata et dissensiones excitanda et fovenda inducunt. Quatenus vero schismaticam declarant Ecclesiam Gallicanam, quam Ecclesia Romana in sinu suo et sua communione semper retinuit, Ecclesiae unitatis destructivae. — *Prop. 51:* Doctrina, quae statuit Concordatum initum inter Summum Pontificem fel. rec. Pium 7. et Gubernium Gallicum facto consummato rescissum esse, atque impotentis iudicii illos arguit, qui necessitatem completae ac totalis separationis Status et Ecclesiae non agnoscerent, extremaeque coecitatis vel ignavae incuriae ipsos insimulat, imo et velut desertores notat causae omnium sacratissimae, qui ad hanc separationem concurrere detrectarent: falsa est, temeraria, in Ecclesiae Praesules, et in Summum Pontificem — cuius est de causis maioribus iudicare et de iis, quae ad bonum Ecclesiae regimen spectant, decernere — iniuriosa illorumque auctoritatis laesiva. — *Prop.*

52: Doctrina, quatenus affirmat Ecclesiae Ministros spiritualia pro temporalibus commutare, cum sacrae alicuius functionis occasione stipendium seu honorarium a fidelibus oblatum recipiunt, atque huiusmodi consvetudinem notat veluti despicatas traditiones et nostrorum infortuniorum originem, quasi simoniaca labe inficerentur, et despicatas sequerentur traditiones Ecclesiae Ministri, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab iis, quibus spiritualia ministrant (I Cor. 9, 7. ss.), talisque eiusdem iuris usus esset causa nostrarum infelicitatum: falsa est, temeraria, scandalosa, ecclesiastici et pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa, errorem in Wiccleffo praedamnatum renovat. Quatenus vero insinuat, nullam dotationem, nullumque temporalem reditum sacerdotibus ac levitis antiqui foederis fuisse a Deo assignata in tribuum possessiones, aut nullum ipsis stipendium pro eorum ministerio iuxta Dei mandata ab Israelitis fuisse persolvendum: verbo Dei, Mosaicae constitutioni aperte contradicit. (Num. 18, 8. ss. 35, 2. ss. Josue 21.) — *Prop. 53:* Propositiones, in quibus asseritur, Clerum Gallicanum fidei servandae causa et salutis fidelium procurandae teneri ad abdicandam suae Ecclesiae dotationem sancitam Concordato Pii 7. fel. rec. et eius Constitutione ‚Ecclesia Christi,' novum hac dotatione induci rerum ordinem omnibus antiquis traditionibus contrarium, eamque conscientiarum libertatis, Ecclesiae eversionis pretium esse, et formidandum exemplum posteris derelictum: falsae sunt, temerariae, scandalosae, ecclesiastici iuris et pastoralis laesivae, Summo Pontifici, Ecclesiae, eiusque ministris iniuriosae. — *Prop. 55:* Propositiones, quatenus exhibent praesentia tempora veluti solemni signata charactere, quem ipsis imprimit humana societas in sui regenerationem enitens; quatenus insuper privati gloriantur se adversus oppressionem pugnam apertam in regnis plurimis concitasse, populosque commovisse ut Potestatibus vehementer resisterent, ad vindicandam libertatem in eo sitam, quod quisque frui possit omnibus iuribus, inter quae istud potissimum annumeratur, omnimoda scilicet libertas scripta quaelibet typis mandandi et evulgandi: seditiosae sunt, rebelles, Evangelicae et apostolicae doctrinae, dictis et exemplis SS. Patrum et Christianorum praesertim pri-

orum seculorum firmatae adversantur; Status politici fundamenta convellunt, pacem publicam perturbant. Quatenus vero generatim statuunt libertatem omnimodam conscientiae et cultus religiosi cuilibet publico iure competere, quasi Principibus secularibus non inesset potestas falsas religiones in suis regnis non admittendi et eas quae legi naturali adversarentur prohibendi: scandalosae sunt, unum ex iuribus Principum nemini dubium pessumdant, erroribus religiosae societati maxime perniciosis latissimam aperiunt viam, eoque spectant, ut vera religio et fides subvertantur, sunt impiae. Et in eo, quod asserunt, Principes seculares a suo iure suaque auctoritate excidere statim ac rebellant in Deum, ordinem violant ab ipso constitutum vel etiam illius legi subiici desinunt: iisdem notis subiacent, quibus propositiones primae partis huius censurae, et praeterea errorem renovant in Wiccleffo et Ioanne Huss praedamnatum. — *Prop. 56:* Doctrina, qua affirmant Catholicum quemque teneri ad credendum auctorum doctrinas esse catholice irreprehensibiles eo quod S. Sedes eas non damnaverit, et hoc ipso silentium Sedis Apost. pro approbatione statuit: falsa est, scandalosa, saluti animarum noxia, praefavet pessimis novitatibus quae temere spargerentur, ad Evangelicam doctrinam iniquis praeiudiciis opprimendam viam sternit, effatum S. Augustini perperam allegat, ipsique est iniuriosa, praedamnata a Clero Gallicano a. 1700. — Ceterum declarant AEppi et Eppi infrascripti, dum excerptas 56 Propositiones ex praefatis operibus censura notant, non ideo suae mentis esse alia probare, quae in iisdem operibus continentur.

1115. *Responsum Summi Pontificis dd. 8. Maii 1833. ad AEppum Tolosanum in merito censurarum, quas Eppi Galliae contra opera Lamennei depromserunt.* Literas, quas una cum nonnullis ex Ven. Fratribus istius Regni Eppis die 22. April. anno superiori dedisti, ac per Ven. Fratrem nostrum Emmanuelem Cardinalem Eppum Tusculanum Poenitentiarium Maiorem nobis adferendas curasti, animo perlegimus benevolo. Novum quippe ibidem et illustre testimonium nacti sumus pastoralis zeli et fidei atque observantiae in hanc Apost. Sedem, quibus Te collegasque Tuos mirifice affectos apprime iam noveramus. Illae porro traditae fuerunt nobis in eam curam cogitationemque iam diu incumbentibus, ut ex more institutoque Sanctae huius Sedis illo

habito iuxta Zosimi Pontificis verba pondere examinis, quod ipsa rei natura desiderabat, omnes Ecclesiae filios opportune edoceremus, quidnam de tristissimo illo argumento, de quo et in eadem epistola agebatur, sit ex SS. Scripturarum sanctiorisque Traditionis disciplina praedicandum. Memores enim ex praedecessoris nostri Leonis M. monito tenuitatem nostram Ecclesiae praesidere sub illius nomine, cuius fides errores quoslibet impugnat, probe intelligimus id nobis speciatim commissum esse, ut omnes conatus nostros causis impendamus, in quibus universalis Ecclesiae salus possit infestari. Id nos Deo bene iuvante atque auspice inprimis Virgine Sanctissima fidenter peregimus, datis solemni Assumtionis ipsius die ad Catholici orbis Antistites Encyclicis literis, quibus sanam, et quam sequi unice fas sit, doctrinam pro nostri officii munere protulimus. Dedit voci nostrae vocem virtutis Pater luminum, in quem spem omnem conieceramus, easque alacriter religiose studioseque ubique receptas fuisse gratulabundi testati sunt et Sacrorum Antistites, et Viri ex universis ordinibus commendatiores. Imo auctores ipsi fautoresque consiliorum, de quibus praecipue querebamur, ad quos mittendas eas literas curavimus, publice denunciarunt, se ab incoeptis illico cessasse, ne voluntati nostrae obsisterent. Quae quidem declaratio eam illico nobis spem indidit, sincere ipsos, plene, absolute, omnique depulsa ambiguitate iudicio nostro paruisse, idque luculentioribus quoque monumentis fore in posterum testaturos ea fide, qua se erga Christi Vicarium incensos toties disertissime professi sunt. Haec sane periucunda spes animum nostrum in summa temporum difficultate pro rei sacrae incolumitate sollicitum erexerat; at dolorem adhuc iniiciunt, quae etiam nunc perferuntur in vulgus. Humilibus proinde precibus oculos manusque ad Auctorem et consummatorem fidei Iesum attollimus, ut praebente ipso omnibus cor docile ortos in Ecclesia strepitus, ut verbis S. Coelestini Pontificis utamur, compressos tandem pacatissima ratione fuisse gratulemur. Communia in tantum finem vota, consilia et studia ingeminet cum aliis istius Regni spectatissimis religionis zelo Eppis, quos singulari benevolentiae affectu complectimur, Fraternitas Tua, cui dum hanc rescribimus epistolam nostrae in Te voluntatis testem, coelestia quaeque dona adprecamur, atque apostolicam benedictionem

peramanter impertimur. Datum Romae die 8. Maii 1833. — *Censure de 56 Propositions extraites de divers ecrits de ‚M. de la Mennais' et de ses disciples, par plusieurs Eveques de France.* Toulouse. 1835.

1116.

Gregorius XVI PP. in prima sua ad Eppos orbis Encyclica plures Ecclesiae doctrinas in memoriam revocat et signanter errores **Lamenneii** reprobat. A. 1832.

MON. Mirari vos arbitramur, quod ab imposita nostrae humilitati Ecclesiae universae procuratione nondum literas ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus invecta, et benevolentia in vos nostra postulasset. Erat id quidem nobis maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos alloqueremur voce, qua confirmare fratres in persona b. Petri iussi fuimus. Verum probe nostis, quanam malorum aerumnarumque procella primis Pontificatus nostri momentis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; Patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui disiectis perduellibus praesenti nos eripuit periculo; atque turbulentissima sedata tempestate, dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel: sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc nostrae huic obiecit voluntati. Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effroenatus furor impunitate diuturna, impensaeque nostrae benignitatis indulgentia non deliniri sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem, ingenti licet cum moerore, ex collata nobis divinitus auctoritate virga compescere: ex quo, prout iam probe coniicere potestis,

operosior in dies instantia nostra quotidiana facta est. Ast cum, quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, iam possessionem Pontificatus in Lateranensi Basilica ex more institutoque maiorum adiverimus, omni demum abiecta cunctatione ad vos properamus, Ven. fratres, testemque nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimae in Coelum assumtae triumpho solemnia festa peragimus, ut quam Patronam ac Sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, Ipsa et scribentibus ad vos nobis adstet propitia, mentemque nostram coelesti afflatu suo in sua inducat consilia, quae Christiano gregi futura sint quam maxime salutaria. Moerentes quidem, animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in Religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos sicut triticum filios electionis. Vere luxit et defluxit terra, infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.

Loquimur, Ven. fratres, quae vestris ipsi oculis conspicitis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim magnamque necessitatem possidet, divini cultus maiestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina, erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non iura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec nostra beatissimi Petri sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque iuribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam iniuriam odio populorum subiicitur, in turpem redacta servitutem. Debita Episcopis obedientia infringitur, eorumque iura conculcantur. Personant horrendum in modum Academiae ac Gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur Catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte iam et propalam infertur. Institutis enim exemploque Praece-

ptorum corruptis adolescentium animis ingens Religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro froeno Religionis sanctissimae proiecto, per quam unam regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum inprimis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum, ac blasphoemum est, quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit. Haec, Ven. fratres, et alia complura, et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset, ac vos probe nostis, in dolore esse nos iubent, acerbo sane ac diuturno, quos in Cathedra Principis Apostolorum constitutos zelus universae Domus Dei comedat prae ceteris, opus est. Verum cum eo nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare duntaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur: ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, Ven. fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat periucunda. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem; nostrum est, oves in ea duntaxat pabula compellere, quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit, Carissimi, absit ut quando tanta premant mala tanta impendeant discrimina, suo desint muneri Pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel abiecta cura gregis otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem nostram, seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio. Id porro apprime praestabitis, si quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis et doctrinae, illud assidue revolventes animo, universalem Ecclesiam quacunque novitate pulsari, atque ex S. Agathonis Pontificis monitu nihil de iis, quae sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adiici, sed ea et verbis, et sensibus illibate esse custodienda. Immota inde consistet firmitas unitatis, quae hac b. Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde

in Ecclesias omnes venerandae communionis iura dimanant, ibi universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium. Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel iura sanctae huius Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsa coniunctionem, qua una eaedem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sincerae studium inculcate, inclamantes cum S. Cypriano: falso confidere se esse in Ecclesia, qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia. In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit, uti Patres Florentini Concilii diserte declararunt. Est autem singulorum Episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint, oportet, Episcopis, quos uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse monet Hieronymus; nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere sine sententia Episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur. Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porro esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et iurium Ecclesiae, Ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subiectam. Cum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet, Ecclesiam eruditam fuisse a Christo Iesu, eiusque Apostolis, atque a Spiritu S. illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri: absurdum plane est, ac maxime in eam iniuriosum, restaurationem ac regenerationem

quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia: quo quidem molimine eo spectant novatores, ut recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta, illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut quae divina res est, humana fiat Ecclesia. Perpendant vero, qui consilia idgenus machinantur, uni Romano Pontifici ex S. Leonis testimonio Canonum dispensationem esse creditam, ipsiusque duntaxat esse, non vero privati hominis, de paternarum regulis sanctionum quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit S. Gelasius, decreta Canonum librare, decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti temperentur. Hic autem vestram volumus excitatam pro Religione constantiam adversus foedissimam in Clericalem Coelibatum coniurationem, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis nostri aevi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, defendi, ex ss. canonum praescripto omni ope contendatis. Honorabile deinde Christianorum connubium, quod sacramentum magnum nuncupavit Paulus in Christo et Ecclesia, communes nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili eiusdem vinculo minus recte sentiatur, vel tentetur induci. Impense id iam commendarat suis ad vos literis fel. rec. praedecessor noster Pius VIII. adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indidisse perpetuam vitae societatem, nodumque necessitudinis, qui exolvi, nisi morte, non possit. Memores sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiae proinde subiici, praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte, accurateque, ex

quarum executione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur, ac iusta consociatio. Caveant, ne quod ss. canonum placitis, Conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse coniugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iungantur, quin de sacramento ac de mysteriis, quae illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, Indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua, planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente enim Apostolo, unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma, extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt, seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt, ideoque absque dubio aeternum esse perituros, nisi teneant catholicam fidem, eamque integram, inviolatamque servaverint. Hieronymum audiant, qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est. Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus: opportune enim responderet Augustinus: ipsam formam habet etiam sarmentum, quod praecisum est de vite, sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice? Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in Religionem promanare. At quae peior mors animae, quam libertas erroris? inquiebat Augustinus. Froeno quippe omni ademto, quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente iam in

praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus puteum abyssi, e quo vidit Ioannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque ac legum sanctissimarum contemtus, inde uno verbo pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate. Huc spectat deterrima illa, ac numquam satis execranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, ven. fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique iure improbatum, patrari data opera malum certum ac maius, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi, comportarique, imo et obbibi debere sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat? Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse. Satis sit, leges in Conc. Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quae deinceps a Leone X. fel. rec. fuit edita, ne id, quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christifidelium saluti detrimentum pariat. Id quidem et Tridentinis Patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo Decreto de indice librorum, quibus impura doctrina continetur, conficiendo. Pugnandum est acriter, inquit Clemens XIII. fel. rec.

in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis literis, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies; numquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine, qua semper sancta haec Apost. Sedes suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque Apost. Sedi iniuriosa, et foecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, non esse, iuxta Apostoli monitum, potestatem nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur. Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres Christiani, saevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de Imperatoribus, ac de Imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur, Religioni non contraria, accurate promteque perficiendis, sed et constantia, et effuso etiam in proeliis sangvine luculentissime comprobasse. Milites Christiani, ait S. Augustinus, servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelis erat; distingvebant Dominum aeternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali. Haec quidem sibi ob oculos proposuerat Mauritius Martyr invictus, Legionis Thebanae primicerius, quando, uti S. Eucherius refert, hoc respondit Imperatori: milites sumus, Imperator, tui, sed tamen

servi, quod libere confitemur, Dei: et nunc non nos haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit; tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori quam occidere satius volumus. Quae quidem veterum Christianorum in Principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano, tunc temporis Christianis non defuisse vim numerorum et copiarum, si hostes exertos agere voluissent; hesterni sumus, inquit ipse, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; cui bello non idonei, non promti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore dominationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, imo et ipsa destitutione punisset; procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram; quaesissetis, quibus imperaretis, plures hostes quam cives vobis remansissent, nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum. Praeclara haec immobilis subiectionis in Principes exempla, quae ex sanctissimis Religionis Christianae praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam, et improbitatem condemnant, qui proiecta effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes toti in eo sunt, ut iura quaeque Principatuum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorumque huiusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, liberos se esse ab omnibus; quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosiora quaelibet audacissime aggrediuntur. — Neque laetiora et Religioni et Principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a Regno separari, mutuamque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris. At ad ceteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in com-

muni discrimine dolore quodam angimur praecipuo, accessere consociationes quaedam, statique coetus, quibus quasi agmine facto cum cuiuscunque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis, seditionumque ubique promovendarum cupidine libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, Ven. fratres, ut induti scutum fidei contendatis proeliari strenue proelia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro muro contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt iustitiam. Adsciti, ut sitis cultores gnavi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos inprimis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas, et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores, auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse sapientiae ducem, emendatoremque sapientium, ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum. Superbi, seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est, et infirma. Ceterum communibus hisce votis pro rei et sacrae, et publicae incolumitate carissimi in Christo filii nostri viri Principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi svadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona. Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit Religio et pietas in Deum, qui

habet scriptum in femore: Rex Regum, et Dominus Dominantium. Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad SS. Virginem Mariam, quae sola universas haereses interemit, nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei nostrae. Suo ipsa patrocinio in tanta dominici gregis necessitate studiis, actionibusque nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum Principe Petro, et ab eius Coapostolo Paulo humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est. Hac iucunda spe freti confidimus, auctorem consummatoremque fidei Iesum Christum consolaturum tandem esse nos omnes in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis; coelestisque auxilii auspicem apost. Benedictionem vobis, Ven. fratres, et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam M. 18. Cal. Septembris die solemni Assumtionis eiusdem B. V. Mariae a. 1832. — **Bullarii R.** *continuatio, T. XIX. Romae 1857.* p. 126.

1117.

Breve **Gregorii XVI.** ad Eppum **Curiensem et Sangalensem,** A. 1833. datum: in quo perstringuntur errores in Helvetia, cumprimis a sacerdote ‚Aloysio Fuchs' sparsi.

MON. Quo ex Tuis literis die 4. proximi mensis Iunii ad nos datis fuerimus dolore affecti, satis verbis complecti non possumus. Siquidem nos omnino non latebant tum novitates, quas in istis regionibus incauti quidam deceptique tuae dioecesis ecclesiastici Viri contra vigentem disciplinam sunt moliti, et conventus eum in finem te licet interdicente ab ipsis celebrati; tum erroneae pravaeque doctrinae a Parocho *Aloysio Fuchs* in suo sermone, quem primum ad populum habuit, deinde auctum typis edidit, traditae propugnataeque; tum demum patrocinium praefati parochi ac pessimae eius causae a capitulo rurali Utznacensi, cuius ille est membrum, palam impudenterque susceptum. Haec omnia acerbissima quidem nobis alia iam ex parte innotuerant.

At ea opinione, quam de tuae pastoralis sollicitudinis vi et efficacia semel mente concepimus, quaeque maxima est, iure optimo freti ac simul pro certo habentes, nihil studii nihilque industriae in re tam gravi pro tua voluntate omissum iri, facile te consecuturum fore speravimus, ut infelix parochus eiusque fautores et asseclae ad saniora consilia adducti errores suos prorsus reprobarent, omnem perniciosae novitatis spiritum exuerent, seque tuae legitimae auctoritati subiicerent. Verum frustratam fuisse spem nostram persvasum iam inviti summopere ac plane moerentes habemus. Tuis enim supra memoratis literis aperte nobis declaratum est, non modo parochum Al. Fuchs paternis tuis admonitionibus, quibus in rectam viam revocare illum studuisti, haudquaquam paruisse, teque pro gravissimo officii tui munere adductum fuisse, sive ad eius falsam perversamque doctrinam lato decreto damnandam, sive ad eum ordinaria tua auctoritate ea, quam sacri canones praescribunt, ratione coërcendum, verum etiam tam parochum ipsum quam Utznacense capitulum a tua sententia ad tribunal illegitimum omnino et improprium ausos fuisse provocare, ac tandem qua factis qua novis evulgatis libellis eo rem perduxisse, ut tu cunctandum amplius non esse existimans gliscenti iam in dies adversus fidei puritatem disciplinaeque sanctitatem malo evertendo sedulo intentus universum negotium ad nos deferendum, deque eo supremum apostolicae nostrae auctoritatis iudicium expostulandum censueris. Hoc tu V. F. consilium capiens illud profecto egisti, quod et ratio Primatus honoris ac iurisdictionis RR. PP. divinitus concessi exigit, et universalis Ecclesiae disciplina ac perpetua praxis statuit. Sane maiores causas, ceu illae maxime sunt, quae ad fidem, disciplinam rectamque gubernationem et statum universae Ecclesiae pertinent, a primis usque seculis ad Apost. Sedem deferri consvevisse omnis qua late patet eccles. historia demonstrat. Atque ut antiquiora eaque certissima hanc in rem monumenta praetermittamus, praeclarissimum certe est testimonium, quod S. huic Sedi inferioribus temporibus dedit Clerus Gallicanus. Is namque ad Innocentium X praedecessorem nostrum scribens ita literas suas est exorsus: ‚Maiores causas ad Sedem Apost. referri solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulat. Aequissimae huic legi obsequentes de gravissimo religionis ne-

gotio Sanctitati tuae scribendum esse censuimus.' Nos itaque, qui Deo volente in hac Petri Cathedra meritis omnino imparibus constituti centrumque unitatis effecti alacriter ad salutem Dominici gregis vigilemus atque in id omni ope ac studio contendamus oportet, ut sacrum fidei depositum ab omni religionis hostium nefario ausu sartum intemeratumque sit, utque nihil universali Ecclesiae disciplinae eiusque divinae constitutioni adversum inducatur, nedum pastoralem sollicitudinem animique constantiam, qua Tu V. F. temerariis parochi Fuchs atque ipsius fautorum machinationibus obstitisti, vehementer commendamus, omnemque tuam in eiusmodi negotio rationem ratam habemus ac probamus, sed etiam iis, quae a te ad eiusdem parochi cohibendam puniendamque in errore pertinaciam acta sancitaque sunt, robur nostrae apostolicae auctoritatis adiungimus. Ceterum absoluto libelli a Fuchsio editi aliorumque nonnullorum eiusdem generis examine peritis in theologicis disciplinis viris demandato et per nos ipsos instituendo, supremum de eius doctrina iudicium, quod a nobis expectas, aliorumque similium proferendum reservamus. Quamquam cum ea falsitatem pravitatemque suam sponte prodat, longiori non sit opus disquisitione, ut nostra etiam huiusque S. Sedis solemni sententia damnetur. Interea quo ardentiori zelo in religionis commissique tibi gregis bonum polles, et quo maior est tua erga nos atque hanc Apost. Sedem observantia, eo te fidentius adhortamur, ut optime coeptis inhaerens proelium Domini fortiter proeliari adversus miseros istos Ecclesiae Cath. filios non desinas, quos ab amantissimae matris utero errare et falsa in eam ipsam loqui non pudet. Nos quidem homines hos infeliciter deceptos dolemus; futurum tamen non desperamus, ut conscientiae stimulis vexati, divinaque voce, quae in eorum cordibus clamare haud cessat, perculsi ad bonam frugem revertantur, damnaque exempli perversitate populo ac reliquo tuae dioecesis clero illata quantocius satagant reparare. Atque in id te quoque V. F. omnem operam industriamque tuam collaturum confidimus. Hic autem non possumus, quin te moneamus, ut horum hominum considerata pervicacia pravaque voluntate nullis ipsorum conatibus ad dioecesanam synodum cogendam flecti Fraternitatem tuam sinas, eamque ad aliud tempus consulto differas. Quod enim ecclesiastica lege sancte sapienterque constitutum est, id ob praesen-

tem istarum rerum ac personarum conditionem posset in perniciem et in gravioris seditionis occasionem converti. Nec dissimili ratione haud expedire putamus, ut in his circumstantiis eorum votis de novo Rituali libro omnibus istis Ecclesiis concedendo facilem te praebeas. Si quid hac in re optimum factu existimamus, ac vehementer cupimus, illud profecto est, ut eum ordinem eumque ritualem librum inducendum isthuc cures, quem Romana haec Ecclesia ceterarum omnium magistra adhibet. At si hoc opportunum non esse arbitreris, eum librum eumque ordinem servari volumus, quo tua hactenus dioecesis usa est, nihilque novi nobis saltem inconsultis statui. Fiducia iure freti studii tui in his nostris monitis svasionibusque perficiendis, apost. bened. tibi V. F. gregique tuo peramanter impertimur. Datum Romae die 24. Iul. 1833. — (Breve hoc, nullibi vulgatum, Card. Pro-Nuntius Viennensis ‚Viale Prela' nobiscum benevole communicavit.)

1118.

Gregorius XVI PP. reprobat et damnat plures libellos contra constitutionem divinam Ecclesiae, in Germania vulgatos, A. 1833.

MON. Cum in Ecclesia, Paulo Apostolo monente, oporteat haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant: ab eius usque primordiis surrexerunt viri loquentes perversa, qui se e Christianis haud esse inde demonstrantes, quod cum iis non permanserint, ac in id omnino intenti, ut abducerent discipulos post se, falsas doctrinas evulgare, sanctorum dogmatum veritatem imminuere, fidei integritatem corrumpere non dubitarunt. Atque adeo infensum fuit bellum tum a primis iis, tum a novis, qui semper in dies eruperunt, hostibus eidem Ecclesiae illatum, ut nisi dexter ille adfuisset, qui adversus eam superbas inferorum portas minime praevalituras promisit, supremum prope exitium ipsa pertimescere debuisset. Verum quod omni aetate ab Ecclesia condita, et longe lateque inter nefarios adversariorum

impetus diffusa, id maxime factum est nostra, quae miserrimum illud tempus esse videtur, quo plures sanam doctrinam non sustinentes, et a veritate auditum avertentes, ad fabulas turpiter se fore conversuros laudatus Apostolus Timotheo discipulo suo iam pridem praedixit. Profecto quibus errorum commentis, quibus opinionum monstris, quibus perversae philosophiae institutionibus non unum vel alterum dogma, sed integram fere catholicam fidem vaferrimi homines oppugnent, et quo pacto, qua virium contentione, qua impudentia palam aperteque in eam signa conferant, nemo est, qui ignoret. Et quoniam falsarum omnium, quas ipsi temere tuendas suscipiunt, propositionum putidissimi rivuli possent, uti inquiebat Hieronymus, uno Ecclesiae sole siccari: hinc tanto lumini rebelles effecti, infallibilem eiusdem Ecclesiae auctoritatem quaquaversus aggrediuntur, ac huius praecipue Apostolicae Cathedrae, qua venerandae ecclesiasticae unitatis firmitas viget, divina iura infringere omni ope ac studio adnituntur.

Ex horum numero permulti sunt maxime in vastissimis Germaniae regionibus, qui in quamdam veluti Societatem coacti, et conventus agere, consultationes habere, deque Ecclesia pro temporum ratione, ut ipsi aiunt, reformanda pertractare haud veriti, ex eo etiam perniciosiores existunt, quod religionis zelum simulantes pietatis studium praeseferentes, Ecclesiae regenerationem restaurationemque confingentes, incautis illudant. Ea autem est coeca huiuscemodi hominum temeritas, ut pravissimis suarum opinionum documentis errores, tot Rom. Pontificum Conciliorumque notissimis decretis iam ante damnatos instaurare non reformident. Sane ii non clanculum et occulte, neque per multas ambages, sed manifeste omnino, qua voce, qua scriptis, atque etiam e suggestu passim tradunt, audacterque defendunt: Omnes Episcopos, utpote Apostolorum successores, parem ac supremam Ecclesiae regendae potestatem a Christo accepisse, eamque non in solo Romano Pontifice, sed in toto Episcopatu residere, voluisse imo Christum Ecclesiam Reipublicae more administrari, ita ut omnes, nedum inferioris ordinis clerici, sed etiam laici iure gaudeant suffragii; omnem ideo potestatem universo fidelium coetui, in Episcopos atque in ipsum Romanum Pontificem derivandam, immediate fuisse concessam; in praesenti Ecclesiae disciplina multa esse tum inutilia, tum periculosa et noxia,

quae pro temporum indole oportet immutari; Indulgentias nil aliud esse, nisi partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti, remissionem; eas ad poenas temporarias divinae Iustitiae debitas et in hac vel altera vita luendas referri posse aut defunctis prodesse neque ex scriptura neque ex Traditione demonstrari; illarum usum veram poenitentiam retardare, et evertere, ac spiritualibus fidelium commodis prorsus adversari; thesaurum ex Christi meritis, Sanctorumque satisfactionibus conflatum antiquis incognitum, nuperis temporibus fuisse invectum; hodiernam Ecclesiae in Sacramento Poenitentiae administrando disciplinam nedum frustraneam; sed et perniciosam esse, tamque salutaris instituti virtuti et efficaciae detrahere; legem Coelibatus in ignominiam, dedecus, et detrimentum Cleri vergere, ipsique naturae esse contrariam; characterem, qui in Ordinatione imprimitur, inter Scholasticorum placita esse adnumerandum; atque eum, qui semel fuit sacerdos rursus laicum fieri posse saltem auctoritate Ecclesiae, cuius nomine peculiares Episcopos intelligunt; alia demum multa de stipendiis Missarum, de quotidiana earum celebratione, de pluribus pro uno eodemque defuncto sacrificiis, de privata Synaxi, de sacris ritibus, de cultu B. M. V. de piis sodalitatibus, de publicis supplicationibus asserunt, quae singillatim pudet percensere.

Porro impios hosce adversus sanam doctrinam hostium conatus nihili omnino facit Catholica Christi Ecclesia, nequidquam sibi obesse posse iure optimo rata. Ea quippe, ut ait Augustinus, contra omnes haereses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest, tamque firmum habet robur, tam inexpugnabili muro circumdatur, ut quisquis contra illam arietet, ipse confringatur, quemadmodum penes hunc murum Ecclesiae ictibus perculsi veteres recentesque haeretici fractis viribus ceciderunt. Atque haec nobis fuit causa cur a falsis hodiernorum reformatorum doctrinis, quas mox indicavimus, merita censura notandis hactenus abstinuerimus; praesertim cum nil novi afferrent, errores-que iamdiu protritos ac pluries proscriptos obtruderent, atque adeo earum pravitas esset manifesta, ut sponte sua se prodens cuiusquam catholici hominis contemtum subire, et vel ipsam indignationem concitare deberet. Ast cum novatores seditionis materiam summo studio quaerentes in id omnes fraudis fallaciaeque nervos intendere accepimus, ut editis evulgatisque undique libellis, qui ipsa

molis levitate et procaci, qua conscripti sunt, licentia ad legendum alliciunt, imperitos incautosque decipiant, et in pravas suas opiniones abducant; cumque perniciosos eos libellos late per universam Germaniam circumferri, eorumque numerum in dies succrescere noverimus; nos, quorum proprium officium est, vineam Domini ab infestis huiusmodi vepribus in ea nascentibus purgare, fideique unitatem et integritatem, quantum in nobis est, Deo semper opitulante, tueri ac servare, cunctandum amplius non esse censentes, eoque spectantes, ut fideles curae nostrae concrediti profanas novitates devitent, et huic Cathedrae, in qua Christus, ut S. Augustinus loquitur, doctrinam posuit veritatis, firmius adhaereant, nonnullos ex praedictis libellis, qui communiores sunt, et prae indoctorum manibus facilius possunt versari, primum accuratissimo examini subiiciendos, dein apostolica censura perstringendos, damnandosque decrevimus.

Ii vero sunt, qui sequuntur:

I. ‚Ohne Christus kein Heil für die Menschheit in Kirche und Staat. Eine Rede, gehalten zu Rappertswill den dritten Sonntag nach Ostern. 1832. Von Professor Alois Fuchs. Mit Beilagen und dem Suspensionsact. St. Gallen, 1833. Gedruckt und zu haben im Bureau des Freimüthigen.‘

II. ‚Sind Reformen in der kath. Kirche nothwendig? Auf welchem Wege sind dieselben zu bewirken und welche Hindernisse stehen etwa entgegen? Beantwortet in der Pastoralconferenz zu Offenburg am 24. Iuli 1832. Offenburg, in der Friedrich-Braunschen Buchhandlung. 1832.‘ — ‚Zweite Auflage vermehrt durch eine bescheidene aber freimüthige Beleuchtung etc. und einige Beilagen. Herausgegeben von F. L. Mersy. Offenburg, bei Friedrich Braun, 1833.‘

III. ‚Die katholische Kirche im XIX. Jahrhunderte und die zeitgemässe Umgestaltung ihrer äusseren Verfassung etc. Herausgegeben von G. L. C. Kopp. Mainz, bei Florian Kupferberg. 1830.‘

IV. Der Kampf zwischen Pabstthum und Katholicismus im XV. Jahrhundert. Zürich, gedruckt bei David Bürkli, 1832. *Dissertatio iam inde a. 1816. inserta libro, cui titulus:* ‚Schweizerisches Museum. Jahrg. 1816. Erstes Heft. Aarau, bei Heinr. Remigius Sauerländer. Pag. 75—125.‘

V. ‚Die Stellung des römischen Stuhls gegenüber dem Gei-

ste des XIX. Jahrhunderts, oder Betrachtungen über seine neuesten Hirtenbriefe. Dum Caput aegrotat, cetera membra dolent. Zürich, bei Orell etc. 1833. Erste und zweite Auflage.'

Auditis itaque consultationibus acceptisque suffragiis plurium in Facultate Theologica Magistrorum, deque consilio et sententia Ven. Fr. nostr. S. R. E. Cardinalium ex Congregatione ecclesiasticis negotiis curandis praeposita, nec non re omni per nos ipsos serio et mature perpensa, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictos omnes libellos tamquam continentes propositiones ‚respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, ecclesiasticum regimen ac divinam Ecclesiae constitutionem evertentes, schismati faventes, in haeresim inducentes, schismaticas, haereticas, iamdiu in Luthero, Bajo, Richerio, Eybelio, Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia damnatas,' reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis perpetuo haberi volumus et mandamus. — Datum Romae die 17 Sept. 1833. — **Bullarii R.** *continuatio.* XIX. 270.

1119.

Idem Papa per Breve ad Eppos provinciae Sup. Rheni reprobat principia reformandae Ecclesiae in libris nonnullis Germanicis sparsa, A. 1833.

MON. Quo graviora ex nefariis adversariorum machinationibus Catholicae Ecclesiae imminent mala, eo alacriorem in iis propulsandis operam impendere debent Romani Pontifices, quibus in beati Petri cathedra constitutis suprema eiusdem Ecclesiae pascendae, regendae, et gubernandae potestas divinitus est demandata. Id sane intelligens fel. rec. Pius VIII Praedecessor noster vix summo cum moerore novit, multa in istis Ecclesiasticae Provinciae Rhenanae regionibus contra ipsius Ecclesiae doctrinam, divinamque auctoritatem et constitutionem audacter, neque irrito conatu fuisse tentata, literis ad vos datis anno 1830 mense Iunio exeunte pastoralem vestram sollicitudi-

nem, siquidem opus esset, excitavit ad iura Ecclesiae omni studio asserenda, sanamque doctrinam tuendam, ita, ut minime dubitaretis iis, apud quos agere necesse foret, ostendere, quam rationi et iustitiae adversarentur, quae vel suscepta iam fuerant, vel in eo erat, ut susciperentur perniciosa in Ecclesiam consilia, eaque illico revocanda omni ope et industria curaretis. De istarum autem Ecclesiarum conditione ex ingenti rerum novarum scandalo summopere sollicitus responsum a vobis quam citissimum exegit, sive illud votis suis consentaneum, ut consolaretur dolorem suum, sive, quod non suspicabatur, adversum, ut ea capere consilia posset, quae apostolici officii munus exquireret. Hae porro tanti Pontificis in tam gravi re adhortationes svasionesque ita vos, vener. fratres, incitare atque inflammare debuissent, quemadmodum eos omnino decebat, quos utpote in partem procurationis Ecclesiae advocatos acriter ad eam defendendam oportet vigilare. At quod laudatus decessor noster nec excogitasset unquam, quodque eum, si sospes fuisset, procul dubio vehementissime perturbasset, id nobis, qui paulo post superius commemorata in eius locum meritis longe imparibus suffecti fuimus, dolendum reservatum. Inviti ac pene repugnantes dicimus, sed tamen non possumus quin dicamus, rem adeo contra huius S. Sedis votum cessisse, ut ea, quaenam fuerint vestra pro Catholicae Religionis incolumitate apud istos Principes studia, quemque illorum exitum nacti fueritis, plerumque ignoret, ac lapsis licet tribus annis accuratiores saltem, quas immortalis mem. Pius 8 tantopere vobis commendavit, relationes adhuc praestoletur. Nec vero vos vestro muneri haud defuisse ex eo possumus coniicere, quod vulneribus Catholicae Ecclesiae istic inflictis aliquod ab eo tempore allatum fuerit salutare remedium : cum e contrario inde nobis acerbioris suppetat doloris occasio. Non modo enim quae in perniciem Ecclesiae adversus initas inter sanctam hanc Sedem et Foederatos Principes Conventiones iamdiu sancita fuerunt, vigent plenissime, ipsaque Ecclesia libertate, qua Christus eam donavit, violenter spoliata indignae servituti subiicitur; verum etiam novis ex causis deteriorem undequaque evasisse eius in istis regionibus conditionem, nos non latet, vosque venerabiles fratres vestris oculis intuemini. Ex ipso Clericorum coetu surrexerunt viri loquentes perversa, qui somniatam illam, quam vocant, regene-

rationem et restaurationem, novatorum more, impudentissime conclamantes, huic Apostolicae Sedi temere succensentes, in id etiam tendunt, ut abducant discipulos post se, incautosque decipiant. Idcirco in quamdam veluti societatem coaluerunt, et conventus agere, consultationes habere, deque Ecclesia Catholica pro temporum ratione, ut ipsi aiunt, reformanda pertractare haudquaquam dubitant.

Pravissimum huiusce temeritatis exemplum non ita pridem, ut nobis nunciatum est, palam exhibuerunt plures ex Civitate Offenburgensi Clerici, *F. L. Mersy*, ipsorum Decano auctore, et duce eo usque pervenerunt, ut nedum varia reformationum capita in suis conventiculis excogitata Friburgensi AEppo probanda proposuerint, et singulis ruralibus Capitulis eorum in eandem improbitatem conspirationem excitantes patefecerint; sed insuper libellum multis additis adornare, et semel atque iterum hac procaci inscriptione *Suntne reformationes necessariae in Ecclesia Catholica?* typis edere ausi fuerint. Atque utinam quod Offenburgenses Clerici publice aperteque in Religionem signa conferentes effecerunt, alii etiam tum ex Friburgensi, tum ex reliquis istius Provinciae Eccles. Dioecesibus moliti non fuissent! Utinam pessima reformatorum seditio intra illius Civitatis fines sese continuisset! Verum universas fere istas regiones ac maxime Rottenburgensem Dioecesim pervasisse atque extra Rhenanam etiam Eccles. Provinciam patuisse iamdudum accepimus, moerentesque nimis commemoramus. Quibus erroneis principiis praefati homines eorumque asseclae innitantur, et unde quae ipsos movet rerum in Ecclesia novandarum libido originem habeat, vos Ven. fratres minime ignoratis. Nonnulla autem ex iis penitus detegere atque hic enucleate explicare supervacaneum omnino non existimamus. Invaluit iamdiu lateque per istas regiones pervagata est falsissima et ab impio absurdoque de religionum indifferentia systemate dimanans opinio, quae Christianam Religionem perfici in dies posse asserit. Cumque commentitiae eiusmodi opinionis patroni iactatam perfectionis possibilitatem fidei veritatibus aptare vereantur, eam in Ecclesiae externa administratione et disciplina constituunt. Atque ut suo errori fidem concilient, perperam et certe doli non expertes auctoritatem usurpant Catholicorum Theologorum, qui hoc passim tradunt inter Ecclesiae doctrinam et disciplinam adesse discri-

men, quod haec mutationi subiaceat, illa constans perpetuo sit, nullique vicissitudini obnoxia. Hoc vero semel posito multa in hodierna eiusdem Ecclesiae disciplina, gubernatione, et externi cultus forma esse indubitanter affirmant, quae nostrae aetatis indoli non sint accomodata, quaeque tamquam Religionis Catholicae incremento et prosperitati noxia immutari oporteat, quin fidei morumque doctrina aliquod exinde detrimentum patiatur. Itaque zelum religionis ostentantes, pietatis speciem praeseferentes, novitates obtrudunt, reformationes meditantur, regenerationem Ecclesiae confingunt. Huiusmodi revera Novatores istos uti principiis praeterquam quod ex pluribus opusculis maxime in Germania evulgatis, in quibus ea identidem evolvuntur ac propugnantur, satis innotuerat, liquet nunc apertissime ex libello Offenburgi typis impresso, atque ex iis praecipue, quae praedictus F. L. Mersy seditiosi conventus illic habiti caput eundem librum iterum edens impudenter congessit. At dum in cogitationibus suis turpiter evanescentes ea secum ipsi statuunt, in errores ab Ecclesia in Constitutione *Auctorem fidei* a Pio VI. Praed. nostro edita die 28. Aug. 1794. propos. 78. damnatos incidere, sanamque doctrinam, quam sartam tectam velle dicunt, omnino impetere aut non intelligunt, aut non intelligere callide simulant. Sane cum omnem Ecclesiae exteriorem formam immutari indiscriminatim posse contendunt, nonne etiam ea disciplinae capita mutationi subiiciunt, quae in divino ipso iure fundamentum habent, quaeque cum doctrina fidei arcto vinculo coniuncta sunt, ut lex credendi legem faciat agendi? Nonne insuper humanam conantur facere Ecclesiam, eiusque infallibili auctoritati ac divino, quo regitur, numini manifeste detrahunt, cum praesentem eius disciplinam defectui, obscurationi, aliisque huiusmodi incommodis obnoxiam putant, multaque nedum inutilia, sed ipsius Cath. Religionis incolumitati adversa continere comminiscuntur? Quid vero est, quod privati homines ius sibi vindicent solius Romani Pontificis peculiare ac proprium? Licet enim de iis disciplinae capitibus agatur, quae in universa quidem Ecclesia vim habent, sed quoniam liberae sunt ecclesiasticae institutionis, mutationi possunt subesse: unius tamen Romani Pontificis, quem Christus toti Ecclesiae praeposuit, esse debet de immutationis necessitate pro diversa circumstantiarum ratione iudicare, atque ita, ceu S. Gelasius scribit, decreta ca-

nonum librare, decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti temperentur.

His de principiorum, quibus reformatores innituntur, falsitate delibatis, taedet, Ven. fratres, longo vos sermone distinere impias persequendo criminationes, queis errori audaciam adiungentes consveta huiusmodi hominibus conviciandi licentia, in S. hanc Sedem invehuntur, quasi ea nimium antiquitatis tenax, nostri aevi indolem penitus non introspiciens, in media novarum cognitionum luce coecutiens, ea, quae substantiam Religionis attingunt, ab his, quae externam formam tantummodo spectant, haud satis distingvens, superstitionem alat, abusus foveat, atque ita demum se habeat, ut numquam Ecclesiae Cath. commodis pro varietate temporum sit consultura. Quorsum enim haec? profecto ut sanctissima Petri Cathedra, in qua Christus Ecclesiae suae posuit fundamentum, in invidiam rapiatur, divina eius auctoritas odio populorum subiiciatur, et ceterarum cum ipsa Ecclesiarum coniunctio abrumpatur. Hinc quod ab eadem Apost. Sede consecuturos se fore desperant, ab Fraternitatum Vestrarum potestate quaerentes, unamquamque *patriam*, ut ipsi vocant, Ecclesiam propriis legibus regi oportere asserunt, et eo etiam progrediuntur, ut singulis particularium Ecclesiarum Pastoribus universalis Ecclesiae leges tollendi, abrogandique, siquidem id suarum dioecesium utilitas expostulet, liberam tribuant facultatem. Quid tandem? Cum neque apud vos aliquid se proficere posse sentiant, ipsos Presbyteros a debita Episcopis subiectione conantur emancipare eisque ius administrandae dioeceseos concedere non verentur. Porro his omnibus Ecclesiasticam Hierarchiam divina ordinatione constitutam contra fidei veritatem a Patribus Tridentinis definitam susdeque verti, et errores in propositionibus 6—9 a praedicta dogmatica Constitutione *Auctorem fidei* proscriptis expressos revocari, manifestissimum est. Atqui eo etiam Offenburgenses Clericos spectare, easque damnatas doctrinas praesertim in additionibus libello iterum edito insertis contineri prima veluti fronte ita apparet, ut nullus subsit dubitationi locus.

Sed praestat iam ex aliis bene multis erroribus, quibus illud idem opusculum undique scatet, nonnullos singillatim percensere. Atque hic primo occurrunt ea, quae fautores foedissi-

mae coniurationis in Clericalem Coelibatum, cuius legem criminari aperte licet non audeant, sicut alii faciunt, audacter tamen non minus quam false effutiunt. Sane quod volunt Clericos Coelibatui servando impares, et quorum adeo corrupti depravatique sint mores, ut nulla spes emendationis affulgeat, ad statum laicalem esse deiiciendos, ita ut validas etiam coram Ecclesia nuptias possint conciliare: id menti Tridentinorum Patrum in Sess. 7. can. 9. de Sacr. in gen. atque in Sess. 23. cap. 4. et can. 4. explicatae haud certe est consentaneum. Equidem Vos non fugit, quibus artibus Oecumenici Concilii doctrinam in pravum sensum conentur detorquere. Contendunt itaque iuxta Tridentini sententiam eum, qui semel fuit sacerdos, laicum rursus fieri non posse auctoritate propria, posse autem auctoritate Ecclesiae, nomine Ecclesiae singulos Episcopos intelligendo, quibus Clericos ad laicalem eum statum redigendi faciunt potestatem; characterem autem, qui in Ordine imprimitur, inde a Concilio indelebilem dici affirmant, quod Sacramentum Ordinis iterari nequeat, non quod Sacerdos praedicto modo fieri minime possit laicus; ipsum denique characterem inter nupera Scholasticorum placita adnumerare haud horrent. At talia comminiscentes quid aliud reapse efficiunt, nisi ut per se patet, turpiter cavillando, et contra germanum praedictorum Tridentini decretorum, universaeque de eis Ecclesiae sensum obnitendo, errores erroribus cumulare? Nec minus a sana doctrina abhorrent, quae de Indulgentiarum virtute et usu audacissime proferunt. Sane ii vel indubitanter statuunt, vel per multas ambages insinuant: Indulgentias haudquaquam referri posse ad poenas temporales, quae sive in hac vita, sive in altera luendae pro peccatis supersunt; ad seculum usque undecimum nihil aliud fuisse nisi poenae canonicae coram Ecclesia solvendae remissionem; occasione sacrorum bellorum primum subiectas fuisse clavium potestati poenas, quae a Deo peccatori irrogantur; inde ingentem exstitisse ecclesiasticae disciplinae depravationem; thesaurum ex Christi meritis, Sanctorumque satisfactionibus conflatum, antiquis seculis incognitum, a Rom. Pontifice Clemente 5. fuisse invectum; tandem, ut cetera omittamus, indulgentias eo tantum fine adhiberi in praesens ab Ecclesia, ut antiquae poenae canonicae in mentem revocentur, atque ita peccatores ad poenitentiam adducantur. Quid porro id est, nisi propositiones 17. et 19. Lutheri

6. Petri de Osma, 60. Baii, ac demum 40—42. a citata Constitutione *Auctorem fidei* proscriptas excitare, erroresque in iis adsertos impudentissime instaurare? Quo vero magis deploranda cocca hominum temeritas, qui sanctissimum Sacramentalis Poenitentiae institutum reformandum radicitus esse volunt, et Ecclesiam contumeliose carpunt, ac veluti erroris insimulant, quasi nempe annuam Confessionem praecipiens, indulgentias confessionis peragendae adiecta conditione concedens, privatam synaxim, et quotidiana Sacra permittens, illud ipsum tam salutare institutum enervarit, eiusque virtuti et efficaciae detraxerit. Ergone Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, quamque omnem veritatem a Spiritu S. in dies edoceri constat, ea poterit praecipere, concedere, permittere, quae in salutis animarum perniciem, et in dedecus ac detrimentum Sacramenti a Christo instituti vergant? Nonne potius insolentissimae insaniae erit, ut inquiebat Augustinus, si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare? Mittimus Novatores istos, qui tantum verae pietatis in populo fovendae studium ostentant, eo tandem spectare, ut imminuta vel potius sublata penitus Sacramentorum frequentia languescat paulatim ac postremo concidat prorsus Religio. Longum nimis esset, Ven. fratres, quamplures alias persequi erroneas Novatorum opiniones sive de Missarum stipendio, quod abolendum statuunt; sive de praxi, plura pro eodem defuncto sacrificia offerendi, quam tamquam Ecclesiae doctrinae de infinita eiusdem Novae Legis Sacrificii virtute contrariam traducunt; sive de novo Rituali libro vernacula lingva conscripto, quem nostrae aetatis indoli magis accomodatum volunt; sive demum de piis sodalitatibus, de publicis supplicationibus, de sacris peregrinationibus, quas diversimode improbant. Satis sit innuere, eiusmodi opiniones non ex aliis principiis dimanare, nisi ab illis, quae iamdiu in memorata pluries Constitutione *Auctorem fidei* propositionibus praecipue 30. 33. 66. 78. solemni fuerunt Ecclesiae iudicio damnata.

Haec quidem, Ven. fratres, Praedecessorum Nostrorum similibus in causis exempla secuti paulo latius, ut Apostolici muneris ratio videbatur postulare, exponenda censuimus, in id praecipue intenti, ut istorum hominum patefactis erroribus, quo prava novitates in Ecclesiam inducendi cupiditas adducat, reipsa innotescat. Ceterum quibus ex tanta, in qua Catholica Re-

ligio versatur, temporum acerbitate cor nostrum prematur angustiis, satis vobis coniicere licet. Intemeratam sponsam immaculati Agni Christi Iesu externorum internorumque hostium impetu divexatam ingemiscimus, et malis, quibus ipsa in probrosam istic redacta captivitatem iamdiu opprimebatur, ea accessisse, quae a filiis turpiter ab amantissimae Matris sinu errantibus, atque in eam falsa loquentibus patitur, iugibus lacrymis deploramus. Absit tamen, ut animo concidamus; absit, ut in tam gravi rei Catholicae necessitate apostolicam vocem contineamus; absit, ut fortitudinem, iudicium, virtutem Spiritus Domini exuentes et tamquam canes muti non valentes latrare, dominicum gregem in rapinam, et oves Christi in devorationem omnium bestiarum agri fieri sinamus. Itaque illud vobis, Ven. fratres, persvasum esse volumus, ita nos animo esse comparatos, ut nihil, quod nostrum erit, intentatum simus relicturi, donec Catholica Ecclesia pristinae, quae ad divinam ipsius constitutionem omnino pertinet, libertati restituatur, et os obstruatur loquentium iniqua. Verum non possumus, quin vestram, Ven. fratres, cum zelo religionis constantiam et virtutem excitemus, atque ut in communione Spiritus Dei et Ecclesiae causam agatis, vehementissime cohortemur. Ad vos enim, qui in partem sollicitudinis, cuius plenitudo nobis commissa fuit, adsciti estis, maxime pertinet, sanctissimum fidei sacraeque doctrinae depositum custodire, profanam omnem novitatem longe ab Ecclesia propulsare, atque adversus eos toto animo eniti, qui iura Sanctae huius Sedis conantur infringere. Exerite igitur gladium Spiritus, quod est Verbum Dei; praedicate, ut in persona Timothei discipuli sui tantopere vobis inculcat Apost. Paulus, instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina. Neque Vos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, pro Ecclesiae tutela, pro animarum curae vestrae commissarum salute ad omnes Vosmetipsos dimicationes obiiciatis. Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quodsi nequissimorum timeatis audaciam, actum iam est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate. Ne plura: illud unice superest, ut Vos gravissima officii vestri munera, durissimumque iudicium, quod omnibus quidem, qui praesunt, sed maxime speculatoribus Domus Israel imminet, paulisper ad pedes Domini

meditando recolatis. Tali enim exinde Religionis Catholicae pro viribus iuvandae, eiusque ab impiis hostium insidiis protuendae zelo incendendos Vos fore confidimus, quo ad maiora etiam iis, quae scripsimus, praestanda adducamini. Hac spe erecti admodum et recreati, Apostolicam benedictionem bonorum omnium auspicem vobis vestraeque fidei concreditis populis peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam M. die 4. Octobris a. 1833. — **Der Katholik**. *Eine religiöse Zeitschrift.* 1843. August. p. 131.

1120.

Gregorius XVI PP. nova ad Eppos Encyclica errores **Lamennei** in novo libro ab ipso vulgato sparsos proscribit. A. 1834.

INTR. Tametsi opus Lamennei ‚Paroles d' un Croyant, potissimum circa relationem ad Civile Imperium versetur, Encyclicaque haec pontificia a nobis iam in nostris ‚Monumentis Catholicis pro independentia Pot. Eccl. ab Imp. Civili' velut eo stricte pertinens, contineatur: existimavimus tamen, eam hic quoque inserendam venire, tum, quod ad priorem Encyclicam a. 1832. editam, et superius occurrentem, se referat, tum quod egregium sit documentum Apostolicae sollicitudinis Gregorii XVI Papae in proscribendis pravis doctrinis, id quod e praecipuis iuribus et officiis Primatus unum est. Exhibemus autem cum Encyclica Papae simul epistolare eiusdem Pontificis tam cum Eppo Rhedonensi et AEppo Parisiensi, quam cum ipso Lamenneio commercium.

MON. Singulari nos affecerant gaudio illustria fidei, obedientiae ac religionis testimonia, quae de exceptis ubique alacriter encyclicis nostris literis datis die 15. Augusti a. 1832, perferebantur, quibus sanam, et quam sequi unice fas sit, doctrinam de propositis ibidem capitibus pro nostri officii munere Catholico gregi universo denunciavimus. Nostrum hoc gaudium auxerunt editae in eam rem declarationes a nonnullis ex iis, qui consilia illa, opinionumque commenta, de quibus querebamur,

probaverant, et eorum fautores defensoresque incaute se gesserant. Agnoscebamus quidem nondum sublatum malum illud, quod adversus rem et sacram et civilem adhuc conflari, impudentissimi libelli in vulgus dispersi, et tenebricosae quaedam machinationes manifesto portendebant, quas idcirco missis mense Octobri ad Ven. fratrem Episcopum Rhedonensem literis, graviter improbavimus. *) At anxiis nobis maximeque ea de re

*) Breve ad *Eppum Rhedonensem* sequentis erat tenoris: „Literas accepimus tuae in nos singularis observantiae testes, quibus epistolam misisti datam ad nos a dilecto filio Lamenneio. Hanc legimus animo sane percupido, iucunda spe illecti, illa ibidem nacturos nos esse luculentiora monumenta, quae ab ipso de sincera fide operiebamur, qua nostro iudicio plene absoluteque paruerit. Id quidem ipse satis iam se probasse autumabat primo illo actu, quo illico post acceptas encyclicas nostras literas ab sua Ephemeride edenda, atque a *Catholica*, quam nuncupabant, *Procuratione* cessatum prorsus fuisse, publice denunciavit. Hinc gravate admodum se ex nostra ad Ven. fratrem AEppum Tolosatium epistola accepisse scribit, metu adhuc nos affici ob ea, quae perferuntur in vulgus, quasi pristinis molitionibus instet ipse cum suis, animoque adversus nostra iudicia obfirmato amaritudinem nobis amarissimam inferre connitatur. Miramur profecto haec ipsum protulisse. Recte quippe ac merito commovebamur, deceptam conspicientes exspectationem, quam primus ille actus concitarat, quem praenuncium ducebamus declarationum, quibus Catholico orbi manifestum fieret, ipsum firme et graviter tenere, ac profiteri sanam illam doctrinam, quam nostris ad universos Ecclesiae Antistites literis proposuimus. Dum enim haec properabamus votis, evulgatae per Ephemerides advenerunt (Journal de la Hage, 22. Fevr. 1833. n. 16.) eiusdem Lamenneii literae, quae cum ipsum eadem plane ac antea principia (quae improbaturum illum esse confidebamus) fovere adhuc ac tueri commonstrent, susceptum moerorem nostrum necessario cumularunt. Id porro lamentantibus nobis, altera subito accessit ratio doloris commentariolum de *Polonico peregrinatore* (le Pélerin polonais) plenum temeritatis ac malitiae, in quo haud ipsum latet; quidnam longo ac vehementi sermone praefatus fuerit alter ex praecipuis eius alumnis, quem anno superiore una cum eodem ipso benigne fueramus allocuti. Taedet vero alia idgenus plura percensere, quae ubique circumferuntur, nosque admonent collaborari etiam nunc ad priora consilia, institutaque confirmanda, quin aliquid a Lamenncio ipso scriptum editumque typis sit, quo certe evincatur, falso prorsus ac per calumniam tot tantaque de eodem propalam obtrudi. Ceterum id insuper grave admodum extitit nobis, quod cum idem Lamenneius agnoverit, nostrum esse de iis pronunciare, quae catholicae rei expediant, se deinceps *extraneum* fore iisdem ad nos literis asseruerit, ubi de Ecclesia deque religionis causa quaestio sit. Quo enim haec tendunt, Ven. frater, nisi ut se quidem supremam nostram auctoritatem revereri, iudicio autem hac in re nostro, doctrinisque per nos

sollicitis pergratum sane, ac iucundum extitit, illum ipsum, a quo praecipue id nobis moeroris inferebatur, missa ad nos declaratione die 11 Decembris anni superioris diserte confirmasse, se doctrinam nostris encyclicis literis traditam unice et absolute sequi, nihilque ab illa alienum aut scripturum se esse aut probaturum. Dilatavimus illico viscera paternae caritatis ad filium,

---

traditis nondum obsecutum fuisse patefaciat? Quae quidem omnia, ut alia multa praetereamus, molestas nobis, universam, ad haec usque tempora, tristissimi huius negotii rationem perpendentibus, suspiciones iniecere, causasque ingeminarunt, quibus illa nos cura vehementer sollicitat. Verum fatemur cum gaudio: animos nunc addunt nobis, nutantesque in bonam nos spem erigunt, quae Lamenneius iisdem literis promittit et spondet, se scilicet paratum esse omnia illa libenter sancteque profiteri, quibus de filiali sua obedientia certissime convincamur. Flagitat idcirco, ut de verbis edoceatur, quibus propositum hoc suum possit apprime declarare. Cui quidem postulationi id unum rescribimus, ut scilicet doctrinam nostris encyclicis literis traditam, quibus certe non nova praecepta imperantur (dicimus cum Innocentio I. ssmo praedecessore nostro), sed ea, quae apostolica et Patrum traditione sunt constituta, se unice et absolute sequi confirmet, nihilque ab illa alienum se aut scripturum esse aut probaturum. Haec si testetur ipse, praestetque factis, plenum certe erit gaudium nostrum. Ita enim fore confidimus, ut ademtum tandem videamus a domo Israel lapidem offensionis, omnesque sapere unanimes secundum scientiam, quae ex Deo est, aliquando laetemur. Tuam igitur religionem, pietatem, fidem compellamus, Ven. frater, ut qua vales prudentia, doctrina, gratia, auctoritate, in tantum finem contendas, quo studia votaque haec nostra exitus nanciscantur secundissimos. Nostrae erga dilectum illum filium voluntatis interpretem te adsciscimus; affectu illum paterno complexuri hanc ab ipso consolationem omnium gratissimam praestolamur, ut Patris amantissimi vocem alacriter secutus, sit ipse ceteris etiam auctor ad ea duntaxat magno animo et forti credenda, quibus Catholica fides, sanctitas morum, et publici ordinis incolumitas serventur, augeanturque in dies felicius. Summe gloriosum sibi futurum meminerit viros imitari tum sanctitate, tum doctrina, tum dignitate praestantes, qui, si quidpiam a vero rectoque absonum se protulisse agnoverunt, Petri Damiani monitum secuti ad Petri magisterium libenter corrigendi accesserunt, probe gnari, teste S. Leone M. Romanos Pontifices gratiam sibi paternae caritatis impensuros, dilectionemque non negare, ut manifestationem catholicae veritatis exspectent. Humili interim assiduaque prece a Patre luminum postulamus, patrocinio Virginis sanctissimae implorato, quae omnium mater est, domina, dux et magistra, ut voce sua virtutem assecuta ex alto, tantum et nobis et Ecclesiae illatum fuisse gaudium gratulemur. Quae ut e sententia prospere ac feliciter eveniant, coelestis praesidii auspicem Apost. Benedictionem tibi, Ven. frater, peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam M. die 5. Octobr. 1833.“

quem nostris monitis permotum luculentiora in dies documenta daturum fore confidere debueramus, quibus certius constaret, nostro ipsum iudicio et voce et re paruisse *). Verum quod vix

*) Tenor Brevis ad *Lamenneium:* „Quod de tua in nos et apost. sedem fide pollicebamur nobis, id demum te peregisse laeti conspeximus humili simplicique declaratione, quam per Ven. fratrem nostrum Bartholomaeum Card. Ep. Ostiensem ad nos perferendam curasti. Benediximus quidem Patri luminum, a quo est tanta haec consolatio, quam vere dicimus cum Psalmista secundum multitudinem dolorum lactificasse animam nostram. Paternae hinc caritatis viscera affectu quo possumus maximo dilatamus ad te, dilecte fili, ovantesque in Domino gratulamur tibi veram nunc et plenam pacem indepto, ex illius liberalitate, qui salvat humiles spiritu, et eos repellit, qui secundum elementa mundi sapiunt, non secundum scientiam, quae ex ipso est. Haec quippe illustrior, haec vera victoria est, quae vincit mundum perennemque tuo nomini gloriam pariet, nullis te humanis rationibus abductum, nullaque insidiantium hostium machinatione detentum, eo duntaxat contendisse, quo parentis amantissimi voces, ex veri honestique praescripto, arcesserunt. Perge igitur, dilecte fili, hisce virtutis, docilitatis, fideique itineribus laeta idgenus Ecclesiae exhibere; eaque ipsa, qua praestas, ingenii ac scientiae laude connitere, ut ceteri etiam ex tradita nostris encyclicis literis doctrina idem sentiant ac testentur unanimes. Magnus quidem gaudio nostro iam ex eo cumulus accessit, quod illico curaveris, ut declarationem, quam accepimus, ederet de ea re probatissimam dilectus filius Gerbetus, alter ex tuis alumnis, quem idcirco nostra hac epistola volumus praecipue commendatum. At dissimulare haud fas est, inimicum hominem superseminaturum adhuc esse zizania. Attamen macte animo, fili, sanctique propositi tenax, eo fidenter te recipias, ubi universis murus est, inclamat S. Innocentius Pontifex, ubi securitas, ubi portus expers fluctuum, ubi bonorum thesaurus innumerabilium. Ibi siquidem ad petram consistens, quae Christus est, praeliaberis strenue ac tuto praelia Domini, ut sana ubique doctrina floreat, nullisque novitatum commentis honestissimo quovis praetextu convectis catholica pax perturbetur. Finem hic facimus epistolae, quam nostrae erga te voluntatis testem mittimus; id porro unum ab omnium bonorum largitore Deo impensissime efflagitamus, ut exorante Virgine sanctissima, quae in teterrima temporum asperitate spes nostra est, dux et magistra, confirmet ipse opus, quod operatus est, tantique praesidii auspicem apostolicam tibi benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 28. Decembris 1833.

Dedit eadem occasione Summus Pontifex ad *Archiepiscopum Parisiensem,* et ad *Episcopum Rhedonensem* Brevia super eodem merito. Prioris tenor est: „Superabundavimus gaudio, Deumque totius consolationis magnificavimus, ubi declarationem perlegimus, qua dilectus filius F. Lamenneius sacerdos unice et absolute se doctrinam nostris encyclicis literis traditam sequi diserte professus est, susceptamque ex optimo hoc eius proposito laetitiam illico per adiunctam epistolam testari

credibile videbatur, quem tantae benignitatis affectu excepera-
mus, immemor ipse nostrae indulgentiae cito a proposito defe-

---

eidem properavimus, quam alacri gestientique animo te ipsi traditurum certo confidimus. Complecti siquidem oratione non possumus, quonam coelesti gaudio — verbis utimur S. Petri Chrysologi — gaudere nos faciat sacerdotum concordia ac tranquillitas plebis, ubi praesertim de fraterna dissensione occurreret causa suspicandi. Cum vero pro impensa, qua incenderis erga rem sacram, sollicitudine in tantum operis maxime connisus fueris, gratulandum tibi censuimus de exitu hoc plane secundissimo, quo tua haec studia, consilia, votaque feliciter cumulata conspeximus. Accessit hoc sane ad tot tantaque pastoralium curarum monumenta, quibus id urges assidue, ut in commisso tibi agro Dominico laeta duntaxat convalescat seges virtutum, eaque ibidem in diebus messis colligantur, quae condenda sint horreis non quae urenda sint flammis. Exaltemus itaque invicem, Ven. frater, opus, quod dextera Domini operata est, qui nostram commiseratus exiguitatem, ingenti, qua conficiebamur, anxietate diutius nos affligi non permisit. Certa enim spe erigimur, ceteros etiam insigne hoc docilitatis ac fidei exemplum secuturos, quod iam per dilectos filios Gerbetium et Lacorderium peractum laetamur, qui luculenter in eadem verba professi sunt, adeo ut vere cum S. Leone M. denunciemus ex divinae dispensatione pietatis, ubi metuebantur adversa ibi et prospera fuisse donata. Laeti porro animadvertimus, eo etiam instantiam tuam quotidianam contendisse, ut inter Ven. fratrem Carolum Ludovicum Eppum Rhedonensem, quem tot tantisque nominibus carum acceptumque habemus, et sacerdotem Lamenneium quodlibet offensionis germen praecideretur. Rem fauste et e sententia confectam nacti sumus, ac de ea idcirco quae nobis etiam cura erat, ad eundem Episcopum literas damus. Id unum nunc restat, ut quae communibus studiis in Ecclesiae bonum praestamus, augeat ope praesenti fortunetque Pater coelestis, cuius est corda hominum dilatare, industriam acuere, segnitiem excutere, sapientiam docere, timidis animos, firmis consilium, diligentibus studium addere, ut floreat ubique in dies religio, indeque omnia quae bene de ipsa sunt statuta, immota consistant, et vera eius pax in his, quae sunt turbata, feliciter reddita convalescat. Hac spe freti, divini praesidii auspicem tibi, Ven. frater, ac gregi tuae curae concredito apost. bened. amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 28. Dec. 1833.“ — Brevis autem ad Eppum Rhedonensem tenor est: „Editam nuper a dilecto filio Lamenneio declarationem, qua doctrinam encyclicis nostris literis traditam se unice et absolute sequi testatus est, innotuisse Fraternitati tuae certo scimus, menteque concipimus, quonam inde gaudio exultaveris, praefocata subito conspiciens tot gliscentium germina amaritudinum. Eodem nos plane affectu, sensu animi eam accepimus, tibique illico de auspicatissimo hoc eventu scribere decrevimus, ut quem pristini moeroris interpretem arcesseramus, eum et laetitiae socium ac participem advocemus. Patri itaque omnis consolationis, a quo est certe subita haec mutatio, benedicamus insimul, ven. frater, illiusque miserationes enarremus, cuius pro-

cit bonaque illa spes, quae de praeceptionis nostrae fructu nos tenuerat, in irritum cessit, ubi primum celato quidem nomine sed publicis patefacto monumentis nuper traditum ab eodem typis atque ubique pervulgatum novimus libellum Gallico idiomate mole quidem exiguum, gravitate tamen ingentem, cui titulus: „Paroles d' un Croyant."

Horruimus sane, Ven. fratres, vel ex primo oculorum obtutu, auctorisque coecitatem miserati intelleximus, quonam scientia prorumpat, quae non secundum Deum sit, sed secundum mundi elementa. Enimvero contra fidem sua illa declaratione solemniter datam, captiosissimis ipse ut plurimum verborum fictionumque involucris oppugnandam evertendamque suscepit catholicam doctrinam, quam memoratis nostris literis tum de debita erga Potestates subiectione, tum de arcenda a populis exitiosa Indifferentismi contagione, deque froenis iniiciendis evaganti opinionum, sermonumque licentiae, tum demum de damnanda omnimoda conscientiae libertate, teterrimaque societatum vel ex cuiuscunque falsae religionis cultoribus in sacrae et publicae rei perniciem conflatarum conspiratione, pro auctoritate humilitati nostrae tradita definivimus. Refugit sane animus ea perlegere, quibus ibidem Auctor vinculum quodlibet fidelitatis subiectionisque erga Principes disrumpere conatur, face undequaque perduellionis immissa, qua publici ordinis clades, Magistratuum contemtus, legum infractio grassetur, omniaque et sacrae et civilis potestatis elementa convellantur. Hinc novo et iniquo commento potestatem Principum veluti divinae

---

videntiam numquam in sua dispositione falli conspeximus. Cessabunt Deo bene iuvante strepitus concertationum, ovesque voci pastoris obsecutae iam pabula agnoverunt, quae amplectantur, sibique ducant salutaria; uti et de iis edoctae sunt, quae noxia sibi existiment ac pestifera, quin ulla se sinant specie fraudeque perverti. Haud vero ambigimus, quin eundem Lamennaium in gratiam iam receperis, quem datis ad te literis id postulasse persensimus. Cepimus et ex hoc nuncio incredibilem voluptatem, cum maxime id nobis esset in votis, ne grave quidpiam ac triste communi gaudio infestum perstaret, quod fortasse editis deinceps in vulgus aliis commentationibus esset adhuc pertimescendum. Haec in communicatione spiritus adloqui tecum per epistolam censuimus; tua interim in salebroso hoc negotio erga nos fides, diligentia, sedulitas grato semper ac benevolo insidebit animo; nostraeque huius affectionis testem tibi, Ven. frater, gregique tuae Curae concredito apost. bened. amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 28. Dec. 1833."

legi infestam, imo opus peccati, et satanae potestatem in calumniae portentum traducit, Praesidibusque sacrorum easdem ac Imperantibus turpitudinis notas inurit ob criminum molitionumque foedus, quo eos somniat inter se adversus populorum iura coniunctos. Neque tanto hoc ausu contentus omnigenam insuper opinionum, sermonum, conscientiaeque libertatem obtrudit, militibusque eam a tyrannide, ut ait, liberandam dimicaturis fausta omnia ac felicia comprecatur, coetus ac consociationes furiali aestu ex universo qua patet orbe advocat, et in tam nefaria consilia urgens atque instans compellit, ut eo etiam ex capite monita praescriptaque nostra proculcata ab ipso sentiamus. Piget cuncta hic recensere, quae pessimo hoc impietatis et audaciae foetu ad divina humanaque omnia perturbanda congeruntur. Sed illud praesertim indignationem excitat, religionique plane intolerandum est, divinas praescriptiones tantis erroribus asserendis ab auctore afferri, et incautis venditari, eumque ad populos lege obedientiae solvendos perinde ac si a Deo missus et inspiratus esset, postquam in sacratissimo Trinitatis Augustae nomine praefatus est, SS. Scripturas ubique obtendere, ipsarumque verba, quae verba Dei sunt, ad prava huiuscemodi deliramenta inculcanda callide audacterque detorquere, quo fidentius, uti inquiebat S. Bernardus, pro luce tenebras offundat, et pro melle vel potius in melle venenum propinet, novum cudens populis evangelium, aliudque ponens fundamentum praeter id, quod positum est.

Verum tantam hanc sanae doctrinae illatam perniciem silentio dissimulare ab eo vetamur, qui speculatores nos posuit in Israel, ut de errore illos moneamus, quos auctor et consummator fidei Iesus nostrae curae concredidit. Quare auditis nonnullis ex Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratum librum, cui titulus: „Paroles d' un Croyant", quo per impium Verbi Dei abusum populi corrumpuntur ad omnis ordinis publici vincula dissolvenda, ad utramque auctoritatem labefactandam, ad seditiones in imperiis, tumultus, rebellionesque excitandas, fovendas, roborandas, librum ideo propositiones respective falsas, calumniosas, temerarias, inducentes in anarchiam, contrarias Verbo Dei, impias, scandalosas, erroneas, iam ab Ecclesia praesertim in Waldensibus, Wicclefitis, Hussitis,

aliisque id generis haereticis damnatas continentem reprobamus, damnamus, ac pro reprobato et damnato in perpetuum haberi volumus.

Vestrum nunc erit, Ven. fratres, nostris hisce mandatis, quae rei et sacrae et civilis salus et incolumitas necessario efflagitat, omni contentione obsecundare, ne scriptum istiusmodi e latebris ad exitium emissum eo fiat perniciosius, quo magis vesanae novitatis libidini velificatur, et late ut cancer serpit in populis. Muneris vestri sit, urgere sanam de tanto hoc negotio doctrinam, vafritiemque novatorum patefacere, acriusque pro christiani gregis custodia vigilare, ut studium religionis, pietas actionum, pax publica floreant, et augeantur feliciter. Id sane a vestra fide, et ab impensa vestra pro communi bono instantia fidenter operimur, ut eo iuvante, qui Pater est luminum, gratulemur — dicimus cum S. Cypriano — fuisse intellectum errorem, et retusum, et ideo prostratum, quia agnitum atque detectum. Ceterum lugendum valde est, quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere, quam oporteat sapere, sibique nimium praefidens veritatem quaerendam autumet extra Cath. Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur, quaeque idcirco columna ac firmamentum veritatis appellatur et est. Probe autem intelligitis, Ven. fratres; nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto Philosophiae systemate plane, improbando, quo ex proiecta et effroenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles, incertaeque, nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri, ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur. Dum vero pro delata divinitus nobis sanae doctrinae cognoscendae, decernendae, custodiendaeque cura ac sollicitudine haec scribimus, peracerbum ex filii errore vulnus cordi nostro inflictum ingemiscimus, neque in summo, quo inde conficimur, moerore spes ulla est consolationis, nisi idem in vias revocetur iustitiae. Levemus idcirco simul oculos et manus ad eum, qui sapientiae dux est, et emendator sapientium, ipsumque multa prece rogemus, ut dato illi corde docili et animo magno, quo vocem audiat Patris amantissimi et moerentissimi, laeta ab ipso Ecclesiae, laeta Ordini vestro, laeta

Sanctae huic Sedi, laeta humilitati nostrae properentur. Nos certe faustum ac felicem illum ducemus diem, quo filium hunc in se reversum paterno sinu complecti nobis contingat, cuius exemplo magna in spe sumus, fore ut resipiscant ceteri, qui eo auctore in errorem induci potuerant, adeo, ut una apud omnes sit pro publicae et sacrae rei incolumitate contensio doctrinarum, una consiliorum ratio, una actionum studiorumque concordia. Quod tantum bonum ut supplicibus votis nobiscum a Domino exoretis, abs vestra pastorali sollicitudine requirimus et exspectamus. In id autem operis divinum praesidium adprecantes, auspicem ipsius apost. bened. vobis, gregibusque vestris peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum 7. Cal. Iul. a. 1834. — **Bullarii R.** *continuatio XIX. 379.* et: *Censure de 56 propositions etc.* Toulouse. 1835. p. 174. ss.

1121—1124.

Brevia **Gregorii XVI.** ad Capitula Helvetica: Sangallense et Curiense, item ad Eppum Basileensem, partim ad tuenda Potestatis Ecclesiasticae iura, partim ad doctrinam Ecclesiae pure ac sincere, absque ulla admixtione erroris proponendam exhortantia. A. 1834. 1835.

1121. MON. *Breve ad Capitulum Sangallense.* Magnas inter angustias, quibus fuimus affecti ex recentibus istius Ecclesiae perturbationibus, praesertim cum aliquos ex vestro ipso Capitulo eis connivere comperissemus, non mediocrem sane consolationem invenimus in literis, quas a vobis, dilecti filii, die postrema mensis Ianuarii datas accepimus. Hae siquidem dum illa ipsa commemorant, quae per id tempus gesta isthic tentataque sunt, nullam in his Vos habuisse partem confirmant, quin imo et deliberatum Vobis fixumque esse regulas tenere a maioribus traditas, atque in omnibus sequi Apostolicam Sedem eiusque iura forti animo tueri. Quod quidem praeclarum religionis

studium et singulare in supremam hanc Petri sedem obsequium amplissimis, ut par est, prosequimur laudibus, et Vestrum singulis, dilecti filii, impensissime gratulamur. Macti igitur este virtute, et quotiescunque opus fuerit, firmiter pro virili vestrae Ecclesiae causam agere pergite. Adsit vobis per gratiam suam Omnipotens et misericors Dominus, idemque benedicat propitius sollicitudini nostrae, qua in salutem istius gregis advigilare non desistimus. Denique vos tamquam filios bene de Ecclesia merentes effuso paternae caritatis affectu complectimur, et propensae nostrae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam vobis ipsis, dilecti filii, intimo cordis sensu impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 8. Martii 1834.

1122. *Breve ad Capitulum Curiense.* Inter molestias illas, quas ex morte Ven. Fr. Caroli Rudolphi Eppi Curiensis et S. Galli, atque ex iis, quae mortem ipsam consecuta sunt, gravissimas coepimus, haud levem nostro animo consolationem attulerunt, quae de vobis, dilecti filii, vestroque universo ordine nunciata sunt. Accepimus enim Vos hac occasione nihil habuisse potius, quam ut sanctissima tueremini Ecclesiae iura, eiusque canones ac Tridentini praesertim Concilii praescripta custodiretis, eoque ipso vestrum probaretis in supremam hanc Petri sedem obsequium. Quare voluimus hasce ad vos literas dare, ut praeclarum huiusmodi vestrae fidei et constantiae documentum debitis prosequamur laudibus, nostramque in Vos caritatem multa inde accessione cumulatam testificemur. Quamvis autem necesse non sit, ea tamen, quae nobis divinitus imposita est, Ecclesiarum omnium sollicitudine impulsi vos ipsos enixe adhortamur, ut in posterum quoque, ubi opus fuerit, eadem consentientium in Domino animorum firmitate Ecclesiae causam agatis. Ad nos quod attinet, haud sane praetermittimus curas cogitationesque nostras in partem istam Dominici gregis conferre, atque ipsius prospicere indigentiis Deo bene iuvante properabimus. Nunc eidem misericordiarum Patri humillime supplicamus, ut vestrum pro Ecclesia studium uberrima coelestium donorum copia remuneret. Horum denique auspicem nostraeque in vos propensae voluntatis pignus apostolicam benedictionem vobis ipsis, dilecti filii, toto paterni animi affectu impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 8. Mart. 1834.

1123. *Breve ad Eppum Basileensem.* Ad ceteras angustias

molestiasque, quibus ob afflictas longe lateque Ecclesiae res toto nostri Pontificatus tempore affecti fuimus, non levis nuper accessio facta est ex iis, quae in coniunctis Dioecesibus Curiae et S. Galli post Episcopi mortem contigerunt, atque ex aliis subinde, quae tentata gestaque accepimus in Basileensi ista Dioecesi, quaeque non secus ac alia illa ad Pontificiae et Eppalis auctoritatis laesionem, imo et ad fidei sanaeque doctrinae detrimentum pertinent. Scilicet relatum ad nos est, dil. filium Parochum Uffikonensem a pastorali suo munere vi exturbatum atque in coenobium fratrum Minorum S. Francisci, quod est Lucernae, non aliam ob causam fuisse detrusum, nisi quod literas in doctrinarum quarumdam et librorum damnationem die 17. mensis Septembris a nobis editas populo e suggestu nunciaverat; atque insuper rescivimus, munus S. Theologiae in Lucerino Collegio tradendae destinatum fuisse Christophoro Fuchs, qui frater est Aloysii illius, cuius nos librum inter alios nominatim proscripsimus in memoratis literis idemque ipse reprobatarum fratris sui opinionum sectator. Sed benedictus Deus! qui consolatus est nos in Te, Ven. Frater, quem omni sedulitate anniti cognovimus, tum ut Parochum Uffikonensem ab iniusta illa vexatione tucaris, tum ut Christophorum Fuchs a docendi munere arceas, tum ut ceteris obsistas, quae in Ecclesiae iniuriam attentantur. Haec itaque praeclarissima tua in religionem promerita tibi Ven. Frater, impensissime gratulamur, ac novos bene licet currenti stimulos adiecturi hortamur in Domino vehementer, ut in eundem finem tota tui animi firmitate adlaborare pergas; speciatim vero ad theologicam scholam quod attinet, tuum profecto erit, nihil intentatum relinquere, ad praedictum Christ. Fuchs ab illa prohibendum, atque etiam districte interdicere clericis universis, ne ipsius praelectionibus adsint, si nimirum (quod Deus avertat) eas te incassum repugnante habere praesumat. Non enim ignoras, quantum religionis intersit, ut iuvenes, atque ii praesertim, qui in sacri ministerii spem educantur, aures suas diligentissime avertant a quovis vel suspectae doctrinae magistro. Nihil deinde est, quod tibi addamus circa causam dil. filii Parochi Uffikonensis, nisi quod nos quidem haud praetermittimus hominem pro suo in sanam doctrinam atque in Sanctam hanc Sedem studio afflictum omni qua possumus ratione tueri. Sed unum praeterea est, de quo abstinere non possumus,

quin sermonem hic inseramus, Ven. Fr. etsi ceteroquin persvasum omnino habeamus, tuam circa illud sententiam nihil iam nunc a nostra differre. Novimus dudum quosdam novarum rerum amatores cogitare de Dioecesi S. Galli adiungenda Ecclesiae tuae Basileensi, deque hac deinceps vel metropolitano iuri Friburgensis in Brisgovia AEppi subiicienda, vel elevanda ad gradum Ecclesiae metropolitanae cum iurisdictione scilicet super ceteras Helvetiorum Ecclesias. Ac nobis quidem deliberatum fixumque est, istiusmodi consilia repellere, cum praesertim non alio illa spectent, quam ut pro ampliore ovium in locis valde dissitis degentium numero deminuta Basileensis Eppi vigilantia, simulque debilitato arctiore illo vinculo, quo sacri Helvetiorum pastores cum suprema hac Petri Cathedra coniuncti nunc sunt, decrescat isthic salutaris disciplinae vigor, et perversa novarum opinionum libertas faciliorem proinde cursum inveniat. Expectamus autem a fide prudentiaque tua, Ven. Fr. ut non modo nihil unquam faveas hominibus Ecclesiae tuae statum immutare cupientibus, sed etiam ut illorum machinationibus toto animo constantissime resistas. Profecto ad haec, atque alia hominum res novas optantium consilia dissipanda vix quidquam validius esse potest, quam firmissima Fraternitatis tuae cum S. hac Sede in eadem ratione concordia. Hanc itaque iugiter teneas, V. F. et in mediis tribulationibus, quibus te nosque ipsos defungi oporteat, coronam recogitemus ab aeterno Pastorum Principe perseverantibus repromissam. Nos interea eidem Clementissimo Domino enixe supplicamus, ut tuum eppalem animum maiore in dies gratiae suae robore confirmet, atque a te invicem similes pro nostra infirmitate preces exposcimus. Denique praecipuae in te benevolentiae propensique ad tua studia animi nostri pignus esse volumus apostolicam benedictionem, quam tibi ipsi V. F. cum tuo etiam grege communicandam peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 8. Mart. 1834.

1124. *Breve ad eundem Eppum dd. 6. Iunii 1835.* Ad gravissimas, quibus angimur, curas ob afflictas ubique Catholicae Ecclesiae res quidam veluti cumulus accessit ex iis, quae adversus illius doctrinam divinamque auctoritatem et constitutionem non ita pridem in istis regionibus ac praesertim in *Badensi Conventu* tentata audacissime sunt. Nos quidem pro vigilantia illa, quam apostolici ministerii nostri esse sentimus, editis vix in lu-

cem articulis in eo Conventu elucubratis constituimus eam sequi consilii rationem, quae religionis integritati tuendae, iuribus Ecclesiae vindicandis, servandoque ab erroris periculo fideli gregi apprime conduceret. Atque id reipsa praestitimus per datam XVI Cal. Iunias Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Capitula, Parochos, ceterumque Clerum Helvetiae, cuius exemplar ad te V. Fr. iam pervenisse minime dubitamus. Hoc autem nostrum et Apost. Sedis iudicium non aliis de causis hucusque distulimus, nisi quia nondum integra memorati Conventus acta ad nos fuerant perlata, et spes quaedam nobis inerat, improbatum iri nefarios articulos ab iis, qui civilibus rebus isthic praesunt; praecipue vero quia fidebamus magnopere zelo sacrorum pastorum, et maxime tui, cuius prae ceteris erat peculiarem in hoc negotio curam capessere, propterea, quod Conventus ipse non modo intra dioeceseos tuae fines fuerat celebratus, verum etiam ex Pagis coaluerat pastorali tuae procurationi subiectis. Quam sane de te fiduciam augebant testimonia praeclari in religionem studii, et eximiae in Apost. hanc Sedem observantiae, quae cum saepe alias, tum potissimum in gerendis olim illius partibus praebuisti. At cum ita in tua sollicitudine merito conquiescere nobis videbamur, talia ad nostras aures pervenerunt, quae nosmetipsos vehementer perturbassent, si fidem ipsis adhibendam putavissemus. Nuntiatum namque fuit, te rogatum licet a pluribus istarum regionum viris sive ecclesiasticis sive laicis, ut adversus Badenses articulos vocem tolleres pastoralem, diu siluisse, atque ita in universo hoc negotio non prava quidem voluntate, at infirmitate certe animi te ipsum gessisse, ut apud saniorem cleri et populi partem non parum offenderis: cui profecto offensioni delendae impar fuisset epistola, quam postremis hisce diebus ad Magistratus Pagi Argoviensis misisti, cum non satis validae appareant, quae in ipsa afferuntur diuturni tui silentii rationes; atque illud praesertim permolestum occurrat, quod magis malorum hominum impetus lenire, quam Dei et Ecclesiae causam viriliter agere videaris. His praeterea rumor adiungebat alia, quae ad istius, cui praepositus es, Ecclesiae administrationem propius attinent: te scilicet nec debita vigilantia incedere ad quosdam a tua consvetudine removendos, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces,

nec satis rectae puerorum institutioni prospicere, ut eorum retundas conatus, qui in teneris animis inficiendis nervos omnes contendunt, nec demum sedulam conferre operam, ut eos probes, quos vel in Clerum adsciscas, vel mysteriis divinis tractandis deputes, vel sanctissimo animarum curationis muneri praeficias. Licet vero his omnibus, quae nobis delata sunt, fidem omnino adhibere nolimus ob eam, quam de te pridem cepimus, existimationem, pro caritate tamen qua te complectimur, et officii, quo fungimur, necessitate non possumus, quin te ipsum de adversis huiusmodi vocibus sedule admoneamus eo quidem consilio, ut adhortemur, ne quid eorum negligas, quae ad omnem a te suspicionem depellendam pertineant, simulque excitemus ad ea, quae pastoralis muneris sunt, summo studio adimplenda. Vides V. F. quantis undique Cath. Religio petatur insidiis, quantisque adversus illam conatibus inimici homines insurgant. Attende igitur tibi et universo gregi, in quo te Spiritus S. posuit Eppum regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo. Induere fortitudinem Spiritus Domini, iudicium et virtutem; certa bonum certamen fidei, neque ulla sit dimicatio, nullum tam praesens periculum, cui te pro Dei gloria, pro Ecclesiae Cath. incolumitate, pro animarum tibi creditarum salute obiicere reformides. Quod reliquum est, persvasum tibi esse volumus, nihil nobis optatius accidere posse, quam ut propensissimam in te voluntatem nostram ipsa re comprobemus, cuius interim pignus apost. bened. tibi V. F. gregique tuo peramanter impertimur. Datum Romae die 6. Iunii 1835. — *(Haec quoque documenta laudato iam identidem Pronuntio Viennensi ‚Viale Prela' debemus in acceptis.)*

1125.

Gregorius XVI PP. per Breve ad Clerum **Helvetiae** directum articulos **Conferentiae Badensis,** iuribus Primatus aeque ac doctrinis Ecclesiae infestos, reiicit et condemnat. A. 1835.

MON. Commissum divinitus humilitati nostrae Apostolici officii munus omnino postulat, ut assidue ad custodiam gregis Domini vigilantes illuc praesertim studia et cogitationes omnes intendamus, opem quoad possumus allaturi, ubi aeterna ovium salus ac ipsa Catholica Religio periclitari videatur. Multa autem inimicos homines callide, neque irrito conatu in istis regionibus moliri, quae in apertam christiani gregis perniciem, reique catholicae detrimentum vergant, nos minime ignoramus, atque adeo vehementissime dolemus. Quem quidem dolorem illud etiam exasperat, quod ii ad incautos decipiendos haudquaquam se fidei integritati detrahere velle profiteantur, idque unum propositum sibi esse simulent, ut scilicet iurium ad potestatem laicam pertinentium indemnitati consulant; hoc tamen fallacissimo rationis publicae obtentu erroneas ac pravas, quas sequuntur, doctrinas qua insinuare lateque propagare, qua constabilire et quodammodo sancire enitantur; hinc conventus indicere, consultationes habere, certamque normam audent conflare, qua secularis potestatis in ecclesiasticis negotiis partes temere declarentur ac definiantur. Intelligitis iam, Ven. fratres, dilecti filii, de iis nos loqui, quae mense Ianuario elapsi anni in urbe Bada Pagi Argoviensis nefarie gesta vel potius perpetrata sunt; quaeque vos ipsos acerbissimo confecerunt moerore, anxiosque adhuc et sollicitos habent. Dissimulare quidem non possumus, adduci nos initio nequivisse, ut crederemus, laicos homines non alia mente simul in statutum locum convenisse, nisi ut res, quae Religionem respiciunt, pertractarent, eoque progredi voluisse, ut non solum de pluribus Ecclesiasticae unius Potestatis

propriis iure veluti suo deliberarent, sed suscepta insuper consilia confirmanda et vi legis munienda iis offerrent, qui in foederatis istis ditionibus civilium rerum summam administrant. At rem certam nimis exploratamque nobis fecerunt ipsa memorati Conventus acta, quae nuper Gynopedii (Frauenfeld) typis edita sunt, quaeque tum nomina virorum, qui delecti Conventui adfuerunt, tum sermones a nonnullis ex iis in pluribus Sessionibus prolatos, tum demum confectos ibidem articulos integre exhibent. Perhorruimus vero sive sermones sive articulos hosce perlegentes, et eiusmodi in iis contineri principia, easque inde in Catholicam Ecclesiam induci novitates intelleximus, quae utpote illius doctrinae ac disciplinae repugnantes, aperteque ad perniciem animarum pertinentes, ferri nullo modo possunt. Profecto qui omnia sapientissime fecit, ac providentissima ordinatione disposuit, is voluit, ut multo magis in Ecclesia sua vigeret ordo, et alii quidem praeessent atque imperarent, alii subessent et parerent. Habet propterea Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem non magisterii solum, ut res fidei et morum doceat ac definiat, sacrasque literas absque ullo erroris periculo interpretetur, verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios, in tradita doctrina contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium ac Dei cultum attinent: quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum criminis faciat. Atque haec docendi iubendique potestas in iis, quae religionis sunt, a Christo sponsae suae tributa non modo ita eius Pastorum ac Praesulum propria est, ut ad civilis reipublicae magistratus nullo pacto possit pertinere, sed insuper libera omnino et terrenae cuidam dominationi minime obnoxia. Neque enim seculi Principibus, bene vero Apostolis eorumque in officio successoribus revelatae doctrinae depositum commisit Christus, hisque tantum dixit: ‚Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.‘ Neque ex placito laicae potestatis, sed ea etiam invita Evangelium annunciaverunt, Ecclesiam propagarunt, disciplinam statuerunt iidem Apostoli, quin imo cum Principes synagogae silentium ipsis ausi fuissent indicere, Petrus et Ioannes evangelica usi libertate responderunt: ‚si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate.‘ Nonnisi igitur laesa fide planeque perturbata divina Ecclesiae constitutione naturaque regiminis fieri

potest, ut ulla in eam seculi dominetur potestas aut eius doctrinam moderetur, vel impediat, quominus leges ad sacrum ministerium, divinum cultum et spirituale fidelium commodum spectantes ferat ac promulget. Firma haec sunt, immobilia, et veterum, quotquot fuerunt, Patrum auctoritate ac traditione suffulta. ‚Ne te rebus misceas ecclesiasticis, ad Imp. Constantium scribebat Osius Cordubensis Episcopus, nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui Tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne si ad te ecclesiastica petrahas, magni criminis reus fias.‘ Norunt id etiam ac palam fateri gloriosum sibi duxerunt christiani Principes, inter quos magnus ille Basilius Imperator ita in octava Synodo loquutus est: ‚De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere. Hoc investigare et quaerere Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.‘ Atqui tamen longe aliter in Badensi Conventu deliberatum est, quique inde prodierunt articuli, sanam de potestate ecclesiastica doctrinam labefactant, Ecclesiamque ipsam in probrosam adducunt iniustamque servitutem; ea siquidem vel in dogmaticis decretis evulgandis potestatis laicae arbitrio subiicitur, et quas de disciplina tulerit leges, omni vi effectuque carituras edicitur, nisi ex secularis auctoritatis consensu fuerint promulgatae, addito etiam proposito de poenis adversus eos, qui secus fecerint, statuendis. Quid? eidem civili potestati libera datur facultas synodorum, quas dioecesanas dicimus, celebrationi singulis vicibus vel annuendi vel adversandi, in ipsasque synodos inspiciendi; Seminariis praesidendi, rationemque interni eorum regiminis a sacris Praesulibus statutam confirmandi; clericos facto scientiae periculo ecclesiasticis muneribus deputandi; religiosam ac moralem populi institutionem regendi; omnia demum, quae externam, ut aiunt, Ecclesiae disciplinam respiciunt, quamquam spiritualis indolis ac naturae sint, atque ad Dei cultum et animarum salutem referantur, moderandi.

Nihil vero est, quod magis Ecclesiae proprium, eiusque Pastoribus arctius reservatum voluerit Christus, quam Sacramentorum ab se institutorum dispensatio, cuius quae sit ratio servanda, ad eos solummodo pertinet iudicare, quos ille operis sui administros in terris constituit. Nefas proinde, si in sanctissimo eo munere aliquid sibi civilis Potestas vindicet; nefas, si circa illud quidpiam statuat aut sacrorum ministris praecipiat; nefas, si quid legibus suis adnitatur adversus regulas de divinis mysteriis christiano populo impertiendis sive scripto consignatas, sive voce traditas, et ad nos usque ab Ecclesiae primordiis transmissas. „Nosti, inquiebat S. Gelasius praedecessor noster in sua ad Anastasium Imperatorem epistola, nosti fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen Praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis, inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam praecesse. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi potestatem.“ Attamen quod incredibile prorsus ac portenti loco esse videtur, eousque in Badensi Conventu progressum est, ut vel in ipsam Sacramenta dispensandi rationem seculari auctoritati ius et officium fuerit attributum. Huc sane spectant, qui ibidem de magno in Christo et Ecclesia Matrimonii Sacramento temerario ausu conscripti sunt articuli, huc favor apertissime decretus mixtis nuptiis contrahendis, huc necessitas parochis catholicis imposita iisdem nuptiis benedicendi, omni religionis inter coniuges discrimine prorsus neglecto, huc demum severae poenarum comminationes adversus eos adhibitae, qui id facere detrectaverint. Quae quidem omnia non ea tantum de causa sunt merito exprobranda, quod Civilis Potestas de Sacramenti divinitus instituti celebratione leges ferat, sacrisque pastoribus tanta in re audeat imperare: sed ex eo etiam acrius sunt reprehendenda, quod absurdissimam impiamque indifferentismi, ut vocant, opinionem foveant, imo illi necessario innitantur, ac praeterea catholicae veritati, doctrinaeque Ecclesiae manifestissime adversentur.

Quam autem Christus Ecclesiae suae contulit administrandae religionis, christianaeque societatis regendae summam et civili minime obnoxiam potestatem, eam, ut Apostolus ad Ephe-

sios scribens disertissime docet, in bonum unitatis instituit. At quae esset haec unitas, nisi unus toti Ecclesiae fuisset praepositus, qui illam tueretur et custodiret, quique omnia eiusdem Ecclesiae membra una fidei professione coniungeret, uno caritatis et communionis vinculo copularet? Illud omnino divini sapientia legislatoris postulabat, ut visibili corpori visibile caput praeficeret, quo scilicet constituto schismatis tolleretur occasio. Quamobrem licet Episcopis omnibus, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, communis sit dignitas, et in his, quae sunt ordinis, aequa potestas: non est tamen omnium unus in hierarchia gradus aut par iurisdictionis amplitudo. „Siquidem et inter beatissimos Apostolos, verbis utimur S. Leonis M. in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret, quia ita evangelici muneris sacramentum voluit Dominus ad Apostolorum officium pertinere, ut in beato Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocarit.“ Quod ergo uni ex omnibus Apostolis Petro concessit, cum claves regni coelorum illi promisit, et agnos ac oves pascendi confirmandique munus demandavit, id in commodum Ecclesiae suae usque ad consummationem seculi permansurae patere voluit ad successores Petri, quos aequali iure eidem Ecclesiae praeposuit. Haec semper fuit Catholicorum omnium concors et firma sententia: hoc fidei dogma est, Romanum Pontificem b. Petri Apost. Principis successorem Primatum non solum honoris sed auctoritatis etiam ac iurisdictionis in universa Ecclesia obtinere, atque adeo ipsos Episcopos illi esse subiectos. Sanctae idcirco Petri Sedi, Romanae nempe Ecclesiae, ut idem S. Leo pergit, ita omnem per orbem Ecclesiam necesse est consociari et tamquam ad catholicae unitatis et communionis ecclesiasticae centrum concurrere, ut exsortem se mysterii intelligat esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere. Quicunque, subdit S. Hieronymus, extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in hac Noë arca non fuerit, peribit regnante diluvio; et sicut qui cum Christo non colligit, ita quisquis non colligit cum eius Vicario, plane dispergit. Quomodo autem cum Christi Vicario colligat is, qui sacram illius auctoritatem pessumdet, iuraque infringat, quibus propterea ipse potitur, quod caput Ecclesiae centrumque unitatis est, quod primatum obtinet ordinis ac iurisdictionis,

quod plenam pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam divinitus traditam habet potestatem? At, illacrymantes quidem dicimus, id quoque ausum in Badensi Conventu est. Romanus Pontifex tantum, non quilibet Episcopus potest proprio ac nativo iure dies ab Ecclesia festis celebrandis servandisque ieiuniis constitutos transferre, Sacrique audiendi praeceptum abrogare, quemadmodum et in Constitutione *Auctorem fidei* a Pio VI. die 28. Aug. 1794. edita fuit adversus Pistorienses aperte definitum. Contraria tamen sunt, quae in Badensibus articulis continentur, quaeque ex eo etiam sunt perniciosiora, quod circa eiusmodi caput, utpote disciplinam attingens, ius civili potestati fuerit indiscriminatim assertum atque expresse reservatum. Nec minus Romanis Pontificibus peculiare ius inest Regulares Familias ab Episcoporum iurisdictione eximendi, sibique subiiciendi: quo iure ab antiquissimis temporibus usi illi certissime sunt. Atqui huic etiam iuri manifestissime detrahunt Badensis Conventus articuli. Sane nec facta mentione veniae ab Ap. Sede necessario implorandae et obtinendae, statutum est, ut ab seculari potestate ea suscipiantur consilia, quibus abolita coenobiorum, quae sunt in Helvetia, exemtione, ordinariae Episcoporum auctoritati Regulares Familiae subdantur. Quibus et illa sunt adiungenda, quae de iuribus Episcoporum, qua latissime patent, exercendis sancita sunt, quaeque si penitius considerentur, et ad principia referantur, ex quibus confecti in eodem Conventu articuli dimanant, innuere videntur, Episcoporum iurisdictionem iustis licet de causis non posse aut non debere suprema Romani Pontificis auctoritate coërceri, ac quibusdam limitibus quandoque circumscribi. Nec praetereunda, quae sive de Metropolitanae Sedis erectione, sive de nonnullis ex istis Dioecesibus alteri Cathedrali Ecclesiae extra fines Helveticos positae coniungendis, tractata ac proposita sunt. Quamquam enim ea in re Apost. Sedis iurium aliqua fuerit habita ratio, non ea tamen haec esse intelligitur, quam vis et natura divini Primatus postulabat; ibi namque perinde actum est, ac si liberum omnino esset civili Potestati de gravissimis iis capitibus ea iure suo constituere, quae spiritualibus populi necessitatibus censeat expedire. Mittimus alia multa, quae taedet singillatim recensere, quae tamen non leviorem inferunt sanctae huic Petri Cathedrae iniuriam, eiusque dignitatem auctoritatemque imminuunt, violant, contemnunt.

— — — Haec cum ita sint, in tanta et tam aperta sanae doctrinae iurisque ecclesiastici perturbatione, in tanto et tam gravi rei catholicae in istis regionibus discrimine, nostrarum partium fuisset, habito vix Badensi Conventu vocem de monte hoc sancto tollere, quique in illo concinnati sunt, articulos palam arguere, reprehendere, damnare. Nec alia profecto de causa Nostrum de ipsorum pravitate iudicium hactenus distulimus, nisi quod futurum sperabamus, ut non modo rati non haberentur, sed reiicerentur prorsus ac improbarentur ab iis, qui civilibus administrandis negotiis isthic praesunt. At cum res maxima ex parte ad votum non successerit, quin imo dolentes summopere acceperimus, latas alicubi fuisse leges, quibus iidem articuli confirmantur ac publica sanctione muniuntur; cumque magistri et Doctoris universalis personam, meritis licet imparibus, gerentes illud sedulo cavere debeamus, ne quis ex ratione nostra in errorem misere inducatur, saepiusque memoratus Badensis conventus articulos Ecclesiae doctrinae ac disciplinae minime repugnantes existimet: cunctari et silere diutius non posse probe intelleximus. Ut autem ex Sanctae huius sedis instituto res gravissimi momenti quam consultissime ageretur, eos ipsos articulos accuratissimo examini subiici voluimus. Auditis itaque consiliis acceptisque suffragiis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ex congregatione Ecclesiasticis negotiis curandis praeposita, nec non re omni per Nos serio ac mature perpensa, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictos Badensis conventus articulos ceu continentes assertiones attenta praesertim sententiarum complexione falsas, temerarias, erroneas, sanctae Sedis iuribus derogantes, Ecclesiae regimen ac divinam eius constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium seculari dominationi subiicientes, ex damnatis principiis dimanantes, haeresim sapientes, schismaticas, reprobamus, damnamus, et tamquam reprobatos ac damnatos perpetuo habendos decernimus.

Quod quidem dum pro apostolici officii munere palam ducimus significandum, id reliquum esse videtur, ut Vos paterno affectu alloquamur, qui in partem illius procurationis estis adsciti, cuius plenitudinem Nobis omnino immerentibus Pastorum Princeps tradidit. Quantis, Ven. Fratres, tot inter mala, quibus Catholica Ecclesia miserrimis hisce temporibus fere ubique op-

pressa ingemiscit, cor nostrum prematur angustiis; quantamque potissimum ex iis quae recens istic in eius perniciem tentata audacissime sunt, ceperimus tristitiam, satis Vobis coniicere licet, nec adeo necesse est, ut pluribus explicemus. Haud sane dissimulamus, dolori nostro non exiguum levamen attulisse, quae de vestra in catholica re tuenda, gregisque fidei vestrae concrediti salute curanda nunciata identidem fuerunt. Idcirco Patri misericordiarum et Deo totius consolationis, qui nos eiusmodi tribulationi obnoxios consolatur in vobis, benedicimus ex animo. Verum non quod opus esse arbitremur, sed quod periculi gravitas id exposcit, non possumus, quin vestri in Religionem zeli constantiam excitemus, atque ut quo acriores sunt hostium impetus, eo impensiori studio Dei et Ecclesiae causam agatis, vehementissime adhortemur. Ad vos maxime pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur, praeter id, quod positum est, sanctissimumque fidei depositum intemeratum custodire ac tueri. Sed est et aliud depositum, quod firmissime defendere ac integrum servare debeatis, sacrarum scilicet Ecclesiae legum, quibus disciplinam suam ipsa constituit, eiusque praeterea ac huius Apostolicae Sedis iurium, quibus Christi sponsa terribilis ut castrorum acies ordinata consurgit. Agite ergo, V. F. pro loco, quem tenetis, pro dignate, qua insigniti estis, pro potestate quam accepistis, pro sacramento, quo in solemni inauguratione Vos ipsos obligastis. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina, atque ita demum pro Catholica Religione, pro divina Ecclesiae potestate, ac legibus, pro Petri cathedra, eiusque dignitate ac iuribus laborate atque contendite, ut non solum qui recti sunt incolumes perseverent, sed etiam ut qui seductione decepti sunt, ab errore revocentur.

Atque ut huiusmodi curis ac laboribus per Ven. Fratres Nostros suscipiendis optatissimus exitus respondeat, Vos etiam compellamus, quotquot sub illis estis sacrorum ministri, animarum curatores, verbi divini praecones. Vestrum omnino est, una cum iis voluntate coniungi, uno eodemque studio inflammari, una animorum consensione in id conspirare, ut fidelis populus ab omni ingruentium malorum contagione errorisque periculo sit prorsus immunis. Satagite, dilecti filii, ut omnes unum et idem sentiant, doctrinis variis et peregrinis nullo modo se sinant

abduci, profanas novitates devitent, fidem catholicam quam cautissime teneant, Ecclesiae potestati et auctoritati perpetuo subsint, atque huic cathedrae, quam Redemtor fortis Jacob posuit in columnam ferream et in murum aeneum adversus Religionis hostes, firmius in dies adhaereant et consocientur. Quos autem in Christi et Ecclesiae lege erudiendos susceperitis, illo simul gravissimo praecepto imbuendos curate, seculi etiam potestati esse parendum latisque ab ipsa legibus de his, quae ad civilis reipublicae bonum spectant, non solum propter iram sed et propter conscientiam esse obsequendum, nec licere unquam a fide illi debita turpiter deficere. Cum ita populorum animi fuerint opera vestra instituti, tum optime et civium tranquillitati et Ecclesiae utilitati, quae separari invicem nequeunt, consuletis. — Romae, apud S. Petrum XVI. cal. Iunias, 1835. Pontificatus Nostri anno quinto. — **Rheinwald,** *Acta historico-ecclesiastica Sec. XIX.* Hamburg. 1835.

1126.

Gregorius XVI damnat Synodum Antiochenam **Melchitarum Graecorum** 1806. habitam, quod auctoritati Sedis Apost. praeiudicantem doctrinam proposuerit, A. 1835.

MON. *Melchitarum* Catholicorum *Synodus Antiochena* nuncupata, quae apud monasterium Carcaphae in dioecesi Berytensi a. 1806. *inconsulta hac Apostolica Romana Sede* arabicis typis impressa fuit, iamdiu in hominum de puritate catholici dogmatis sollicitorum reprehensiones varias incurrit. Nam et nonnulli Orientales Eppi, et minores alii animarum pastores doctrinam praedictae Synodi suspectam sibi in multis ingratamque nunciabant; nos vero in suprema Ecclesiae specula constituti cum has querelas in dies augeri audiremus, simulque Synodi usum in Oriente propagari, et lapsu temporis stabiliri quodammodo videremus, rem gravioris momenti existimantes dedimus operam, ut Synodi exemplar in italicam lingvam diligenter conversum, et manu ven. fr. Maximi Mazlum subscriptum et tamquam fidele, id est cum

arabico originali concordans ab eo recognitum a peritis theologis et a consilio ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium corrigendis Ecclesiae Orientalis libris praepositorum in examen accuratum vocaretur. Interim vero antequam nostrum ea super re oraculum proferremus, ven. fr. Maximum Mazlum Melchitarum Catholicorum electum eo tempore Patriarcham scriptis mandato nostro a Congregatione de Propaganda fide literis admonendum censuimus de sinistro Romanae censurae circa hunc librum suffragio, simulque dicti Patriarchae electi hac ipsa de re sententiam exquisivimus, quid nempe ipsi de Synodi supradictae doctrina videretur. Is autem ad Congr. de Prop. fide rescripsit literas, quae apud nos manu eius exaratae extant, quibus suum erga Romanam Ecclesiam eiusque iudicia obsequium plenamque obedientiam adeo disertis verbis testatus est, ut de eius sinceritate dubitandi nulla causa suppeteret. Nominatim autem de synodo Carcaphensi ait, se quidquid a S. Sede Romana decretum fuerit, ratum habiturum, eique pronam obedientiam firmamque fidem fore praestiturum : interim vero pendente iudicio se neque libri exemplaria distributurum, neque eius decretis usurum, neque ullam eidem, prout sibi iussu nostro mandatum fuerat, auctoritatem attributurum. Quae obsequii et obedientiae clarissima significatio, simulque erronearum opinionum Germani Adami AEppi olim Hierapolitani improbatio (quibus numquam se adhaesisse affirmavit), aliis literis ad nos ipsos datis ab eodem ven. fr. Maximo Mazlum declarata adeo nobis placuit, ac tantopere nostrum animum exhilaravit, securumque reddidit, ut uno eodemque tempore et Synodum ex officii nostri debito condemnare, et ven. fr. Maximo Patriarchatum confirmare, ac Pallium de corpore beatissimi Petri sumtum mittere decreverimus. Quamquam igitur impressus Synodi liber quandam Aloysii Gandulphi Apostolici olim ad Libanum delegati approbationem in fronte iactat, quam S. Romana Sedes numquam agnovit, quaeque vel sermonis arabici ignorantiae vel fraudi aut falsitati alicui tribuenda est (praeterquam quod Synodorum approbatio non est in ordinariis delegatorum facultatibus); attamen complures errores tum in Synodo tum in instructionibus eidem adnexis comperiri certum est. Etenim primo Synodus haec in multis ex iamdiu damnata Pistoriensi Synodo tacite fraudulenterque hausta fuit, et aliquot propositiones eiusdem Pistoriensis a S. Ro-

mana Sede damnatas partim ad literam, partim ambigue insinuatas continet. Deinde definitiones interdum vel decisiones, veluti de sacramentis et de virtutibus parum rectas facit; Bajanismum, Iansenismum, atque huiusmodi pravas opiniones aliquando sapit; vim naturamque indulgentiarum infirmat, a quibus canonicam tantummodo poenam remitti docet, atque ita doctrinam iam in Luthero et Pistoriensi Synodo damnatam innovat; potestatem ecclesiasticam, nominatimque coactivam oppugnat; *appellationes ad S. Romanam Sedem oblique impedit;* Synodi provincialis peremtoriam fuisse antiquitus auctoritatem falso asserit; sacrae iurisdictionis originem distorquere videtur; praesertim Ecclesiae disciplinam importuno zelo identidem calumniatur; coelibatum sacerdotalem ut minus quandoque paroeciis administrandis idoneum traducit; epporum et cleri creationem nimiis iniustisque verborum rigoribus difficillimam reddit; controversias varias sub iudice adhuc positas praeter synodi provincialis auctoritatem audacius definit; fallaci denique reformationis praetextu non sine quadam pietatis zelique specie Ecclesiae statum perturbat. *Antiochenam* itaque praedictam *Synodum,* haec et alia plura contra sanam doctrinam et probatam Ecclesiae disciplinam vitia continentem, *nos auctoritate apostolica* tenore praesentium literarum *improbamus et condemnamus, ciusdem acta et decreta nulla et irrita declaramus,* totius denique libri usum — interdicimus, atque ut unquam in posterum typis imprimatur, vetamus. Ipsum vero Melchitarum Cath. Patriarcham ven. fr. Maximum Mazlum ceterosque variorum rituum gentiumque patriarchas et eppos graviter admonemus, ut dictae synodi librum ab usu suarum ecclesiarum excludant, doctrinam eius, quatenus a nobis improbata et damnata fuit, aversentur, et orthodoxas potius synodos praesertim veteres, quae tot in Ecclesia Dei feruntur, a sanctis doctisque patribus celebratas et a decessoribus nostris Romanis Pontificibus adprobatas amplectantur, atque ex iis regiminis sui doctrinaeque normam capiant. Datum Romae die 3 Iunii 1835. — **Bullarii R.** *continuatio.* XX. Romae. 1858. p. 27.

1127.

Gregorius XVI Eppum **Nuscanum** in regno utr. **Siciliae** a gubernio dioecesis removet, eique administratorem praeficit. A. 1835.

MON. Universi dominici gregis custodia ab aeterno animarum Pastore et Episcopo Christo Iesu humilitati nostrae concredita id nobis curae maxime imponit, ut illarum Ecclesiarum regimini, quae *ob diuturnam antistitum suorum absentiam,* aliasque causas plurimum caperent detrimenti, salubriter consulamus. Haec reputantes animo convertimus oculos ad Eppalem Ecclesiam *Nuscanam*, quam maxima cum ipsius pernicie longo iam tempore Pastoris praesentia fraudatam aliisque incommodis novimus obnoxiam. Licet enim A. 1820 Eppus eidem datus fuerit ven. fr. *Paschalis de Nicolais,* is tamen iam inde a canonicae institutionis exordiis *gregi suo parum acceptus et a dioecesi saepissime absens*, spirituali eius procurationi minus aptus est habitus. Accesserunt praeterea causae *adversae* eius *valetudinis*, de quibus nobis plane constat, quaeque eppali muneri obeundo ferme imparem eum effecerunt. Auctores proinde ei fuimus, ut privata quacunque ratione posthabita, ac de animarum bono duntaxat sollicitus, illud demum consilii caperet, quod in idgenus rerum adiunctis occurrit unice, ut scilicet eppalem illam sedem in manibus nostris libere *resignaret.* Verum paternis iteratisque monitis nostris dociles aures nullatenus praebuit, rationesque parvipendens, quibus dioecesi rite administrandae ac regendae non satis idoneus evaserat, sese paratum in illam reverti denunciavit. Aliarum interea causarum momenta a carissimo etiam in Christo filio Ferdinando II utriusque Siciliae Rege illustri nobis proposita accessere, quibus ad graviora illius dioecesis, ac fidelium ibidem degentium discrimina praecavenda necessitatem persensimus aptiori utilique eiusdem procurationi opportune prospiciendi. Quapropter re universa mature perpensa, audito consilio Congr. ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium negotiis eccles. praepositae, a nobis specialiter deputatae, Rom. Pontificum praed.

nostrorum vestigiis inhaerentes, qui ex locorum, temporum ac personarum natura pari remedio pro necessitate et utilitate Ecclesiae usi sunt, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine *supradicto Paschali de Nicolais Eppo exercitium eppalis iurisdictionis in memorata Ecclesia interdicimus, et, ne ultra regimini et administrationi sive spirituali sive temporali eiusdem Ecclesiae omnino se immisceat, apostolica auctoritate inhibemus.* Venerabili autem fratri *Marino AEppo Salernitano,* de cuius fide, doctrina ac prudentia plurimum in Domino confidimus, praedictae eppalis ecclesiae Nuscanae *administrationem in spiritualibus et temporalibus ad nostrum et Apost. Sedis beneplacitum* vigore praesentium *committimus* cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, praerogativis, honoribus et oneribus, quae ad huiusmodi officium de iure, usu, consvetudine, privilegio spectant, et pertinent; plenam idcirco eidem Marino AEppo Salernitano auctoritatem et facultatem tribuentes, ea omnia et singula gerendi, quae sunt ordinis, quaeque sunt iurisdictionis, facta etiam ipsi potestate, unum Vicarium Generalem deputandi iis facultatibus instructum, quas magis expedire censuerit. Praeterea ex speciali gratia memorato Administratori facultatem impertimur conferendi paroecias aliaque beneficia eccles. sive simplicia, sive residentiam personalem requirentia in dioec. Nuscana actu vacantia, vel in posterum administratoris officio durante vacatura, quorum collatio ad locorum Ordinarios spectat, et pertinet, salva tamen regula mensium atque affectionibus et reservationibus apostolicis. Mandamus autem in virtute sanctae obedientiae dil. filiis Capitulo et Canonicis Cathedr. Ecc. Nuscanae, Clero et populo illius civitatis et dioecesis, ut supradictum Marinum AEppum Salernitanum in Administratorem apostolica auctoritate deputatum recipiant, et admittant, atque plenam obedientiam et reverentiam exhibeant. Quo vero decenti sustentationi memorati Paschalis Eppi consultum sit, reservamus eius favore annuam pensionem 600 ducatorum monetae Neapolitanae de semestri in semestre incipiendo a die datae praesentium duabus aequalibus solutionibus eidem suppeditandam super fructibus mensae eppalis Nuscanae. Reliquos autem redditus, fructus et proventus praefatae mensae eppalis providae dispositioni praefati Administratoris committimus, ut et onera quaecunque eidem mensae inhaerentia supportare, et ministrorum stipendia

persolvere, et subsidia ad officium suum recte decenterque obeundum necessaria in promtu habere possit. — Datum Romae die 15 Maii 1835. — **Bullarii R.** *continuatio.* XX. 52.

1128.

Rescriptum **Cardinalis Secr. Status** ad Eppum **Melitensem** (Malta), quo eum dehortatur a capienda parte in Consilio Civili acatholico, A. 1835. (ex ital.)

MON. Mit wahrem Leidwesen habe ich mich bis jetzt genöthigt gesehen, die Antwort auf den Inhalt Ihres Schreibens bis auf diesen Augenblick aufzuschieben, namentlich was den Punct des *Eides* betrifft, welchen Sie als ein *Mitglied des Rathes*, den Seine Brittische Majestät der Regierung dieser Lande beizuordnen beabsichtete, zu leisten hätten. Sie haben Ihre Mitwirkung verweigert, und keinen Antheil an der Sache nehmen wollen, bis Sie die Meinung Seiner Heiligkeit hierüber eingeholt. Die heilige Congregation aber, der der heil. Vater diese schwierige Sache auseinanderzusetzen aufgetragen hatte, war bereits in der Berathung über andere nicht minder delikate und dringende Angelegenheiten verwickelt, die zur Entscheidung gebracht werden sollten; daher rührte der Verzug, und ich gehe nun nach dieser kurzen Entschuldigung desselben auf den Gegenstand Ihrer Berufung selbst über. Bevor noch die erwähnte heil. Congregation in eine Untersuchung über die Eidesformel einging, warf sie die Frage auf: *ob es statthaft wäre, dass Ew. Lordschaft den Ihnen angetragenen Posten in besagtem Conseil einnehmen?* Es liegt mir nicht ob, Ihnen die über diesen Punct im Allgemeinen gemachten Bemerkungen mitzutheilen, so geeignet sie an und für sich auch wären, Ew. Herrlichkeit von der Statthaftigkeit, sich gegen die Regierung hinsichtlich der Nichtannahme des fraglichen Postens zu entschuldigen; *ich beschränke mich hier blos auf eine Bemerkung, die sich insbesondere auf Ihren Charakter als Bischof im Gegensatze mit dem der übrigen die Majorität in diesem Rathe bildenden Personen bezieht, und*

die falsche Stellung, in die Sie durch Annahme jenes Postens gerathen würden, ins hellste Licht stellt. Es wurde bemerkt, dass den Berathungen des Conseils selbst Religionssachen, somit solche, die in das Bereich der kirchlichen Auctorität gehören, vorgelegt werden würden. In solchen Fällen könnte Ew. Herrlichkeit selbst ermessen, von welcher Beschaffenheit die in dergleichen Angelegenheiten von einer Versammlung gefassten Entschlüsse sein werden, deren Mehrheit aus Offizieren, gebornen brittischen Unterthanen besteht, und wahrscheinlich der anglicanischen Kirche zugewandt ist. In welche grosse Verlegenheit sähe sich aber Ew. Herrlichkeit versetzt, wenn Sie an Berathungen eines Conseils Theil genommen, wo antikatholische Beschlüsse gefasst werden, wenn dieselben nach der Hand bekannt gemacht und ins Werk gesetzt würden zum grössten Ärgerniss der Gläubigen, die ihren eigenen Bischof daran Theil nehmen sähen. Es steht wohl ausser allem Zweifel, dass Sie, wenn zugegen bei solchen Debatten, sich den in dem erwähnten Sinne zu fassenden Beschlüssen widersetzen würden; eben so unzweifelhaft ist es aber auch, dass Ihre Vorstellungen einer Majorität gegenüber unwirksam bleiben würden, deren Beschlüsse dem Publikum wohl bekannt werden müssen, keineswegs aber Ihre Opposition, um welche blos die Mitglieder des Rathes wissen. Wenn Sie sich aber auf der andern Seite dem Conseil fern halten, haben Sie grössere Freiheit, Beschlüssen, welche den Rechten der Kirche zuwiderlaufen, entgegenzutreten, indem Sie an die Regierung appelliren, um dort die nöthigen Schritte zu thun, um ihrer Vollziehung Einhalt zu thun. Ihre Missbilligung wird aber nicht nur Allen kundwerden, zur Erbauung der Gläubigen, sie wird auch viel grösseres Gewicht haben, als wenn Sie sie veröffentlichen, nachdem Sie selbst an einer Rathsversammlung Theil genommen, in welcher dergleichen Entschlüsse gefasst worden. Nach dieser Ansicht werden Ew. Herrlichkeit selbst die Hindernisse erkennen, ein Mitglied des besagten Rathes zu werden, und sonach *muss auch die Ablegung des zu solchem Behufe von Ihnen zu leistenden Eides Ihnen noch unstatthafter erscheinen.* Nachdem nun die mit Ihrem Schreiben vom 21 Mai d. J. übermachte Eidesformel untersucht und die erbetene Willensmeinung hierüber eingeholt worden, wurde gefunden, dass besagte Formel nicht von dem heil. Stuhle

statthaft gefunden worden, und niemals gestattet worden ist, wie gleicherweise die Entscheidung des Mons. Quarantotti, dessen als Vice-Präfekt der Propaganda unterm 16 Febr. 1814 in Abwesenheit des Papstes an Hrn. Poynter geschriebener Brief zur Rechtfertigung dieser Formel angeführt worden, nicht statthaft gefunden worden ist. — Rom am 19 Dec. 1835. I. C. Bernetti. — **Rheinwald** *acta hist. eccles. Sec. XIX.* 1836. p. 438.

1129—1133.

Rescripta Sedis Apostolicae de condemnata doctrina **Hermesii**, A. 1835—1838.

INTR. Multis, ut notum est, disputationibus ansam praebuit condemnatio operum Georgii Hermesii per Sedem Apost. facta, vulgatique fuere innumeri parte ex utraque libelli: Hermesianis scopo declinandi ictus Brevis Pontificii, Iansenianis prorsus analoga ratione, contendentibus, quod opera Hermesii non fuerint bene intellecta, quodve errores condemnati in libris Hermesii haud reperiantur; adversariis autem docte non minus quam vere ostendentibus, quod Hermesianum systema ipsa religionis catholicae fundamenta evertat, verique Rationalismi, Pelagianismi, aliorumve errorum placita recoquat. Ex Monumentis, quae ad condemnationem Hermesianismi pertinent, vulgamus tum decreta ipsa Sedis Apostolicae, tum aliquot epistolas, quae commercium literarium inter procuratores causae Hermesianae Romae commorantes ex una, et S. Sedis repraesentantes ex altera parte concernunt.

1129. MON. I. *Breve Apost. dd. 26. Sept. 1835.* Dum acerbissimas ingemiscimus Catholicae Religionis calamitates, et iacturas ex teterrimo diuturnoque bello, quo nefarii homines apertique Ecclesiae hostes coacto undique agmine totis viribus totisque artibus, tum armis, tum calumniis, tum contumeliis et maledictis, tum seditiosis denique sacrilegisque libellis eam, si fieri posset, prorsus exinanire, ac destruere adnituntur; dumque immanem eorum illacrymantes execramur barbariem, qui pro-

pterea in Regularium claustra religiososque viros diabolica furentes insania ad eos penitus rapinis, incendiis, caedibusque perdendos divina omnia et humana violare non desinunt: ad augendas, quibus diu noctuque ob id premimur, angustias illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro Religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter pro eadem videri volunt et ostentant se dimicare, ut retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam, seu per vanas eorum philosophicas commentationes, et inanem fallaciam incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere, fidentiusque inimicis palam saevientibus adiutrices porrigere manus. Quapropter ut nobis impiae et insidiosae quorumdam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus per nostras encyclicas, aliasque apostolicas literas callida eorum et prava denunciare consilia, erroresque damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam Ecclesiae constitutionem et eccles. disciplinam, imo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime contendunt. Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos deposito tandem simulationis velo perduellionis vexillum contra quamcunque a Deo constitutam potestatem alte iam extulisse. Verum non haec sola subest gravissima lugendi causa. Praeter enim eos, qui omnium catholicorum scandalo se perduellibus devoverunt, ad amaritudinum nostrarum cumulum in theologicum etiam stadium prodire videmus, qui novitatis cupidine et aestu semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes, magistri existunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia, et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod tueri se iactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter huiusmodi erroris magistros ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur *Georgius Hermes*, utpote qui audacter a regio, quem universa traditio et SS. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus stravere, tramite deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur *in dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis, et in principio, quod sta-*

tuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem. Quae cum ex plurium Germaniae theologorum, sacrorumque Ecclesiae Pastorum denunciationibus, reclamationibus et expostulationibus ad nostras pervenerunt aures, ne credito nobis Apostolatus officio ac sacrosancti fidei depositi custodiendi muneri deessemus, statim curavimus, ut Hermesii opera ad S. Sedem mitterentur examinanda: quod et factum est. Sunt autem sequentia: ‚I. Einleitung in die christkath. Theologie. Münster. 1819. Erster Theil. II. Einleitung etc. Zweiter Theil. Münster. 1829. III. Christkath. Dogmatik. Herausg. v. Achterfeldt. Erster Theil. Münster. 1834.' Hos igitur libros tradi iussimus Theologis Germanicae lingvae peritissimis omni ex parte diligentissime perscrutandos, qui praecipua ex eisdem notanda loca excerperent, longo etiam, si opus fuisset, orationis tractu, prout sensuum verborumque contextus exigere videretur, eaque in latinum versa accuratis notarent animadversionibus: quae omnia sedulo et consideratissime praestiterunt, atque cum iam vulgata fama inveniuntur omnino concordes. Praeterea eadem excerpta loca una cum censoriis memoratorum Theologorum notationibus tradita sunt aliis etiam S. Theologiae Magistris ad catholicam trutinam iterum revocanda: et omnes unanimi consensione convenerunt, illis in locis contineri doctrinas absonas a catholicarum veritatum principiis, plura reperiri perperam disputata, plura ex ambiguo dicta, plura flexiloqua, et obscura ad implicandam et vitiandam catholicorum dogmatum intelligentiam arte et apte concinnata, et utplurimum ex acatholicorum commentis erroribusque congesta. Tandem rem totam ex integro discutiendam et examinandam deferri voluimus ad ven. fr. nostros S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana Inquisitores Generales. Hi autem omni studio, prout rei gravitas postulabat, cuncta et singula expendentes post maturam discussionem in Congregatione coram nobis habita diiudicarunt: evanescere auctorem in cogitationibus suis, pluraque in dictis operibus contexere absurda, et a doctrina Cath. Ecclesiae aliena, praesertim vero circa naturam fidei, et credendorum regulam; circa S. Scripturam, Traditionem, Revelationem, et Ecclesiae Magisterium; circa motiva credibilitatis; circa argumenta, queis existentia Dei adstrui confirmarique consvevit; circa ipsius Dei essentiam, sanctitatem,

iustitiam, libertatem, eiusque finem in operibus, quae a theologis vocantur ‚ad extra'; nec non circa gratiae necessitatem, eiusdemque ac donorum distributionem, retributionem proemiorum, et poenarum inflictionem; circa protoparentum statum, peccatum originale, ac hominis lapsi vires; eosdemque libros tamquam continentes doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, captiosas, in Scepticismum et Indifferentismum inducentes, erroneas, scandalosas, in Catholicas Scholas iniuriosas, fidei divinae eversivas, haeresim sapientes, ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibendos et damnandos esse censuerunt. Nos itaque auditis praefatorum Cardinalium suffragiis, et omnibus plene perpensis, de eorum consilio, ac etiam motu proprio — praedictos libros — damnamus et reprobamus, ac in Indicem librorum prohibitorum referri mandamus, hortantes et obtestantes in Domino ven. fratres Patriarchas, etc. ut memores districti ac durissimi iudicii, quod eis a Pastorum Principe fiet de instructione, regimine, et custodia gregis ipsis commissi, nedum memoratos libros a scholis repellere, verum etiam proprias oves ab huiusmodi venenatis pascuis omni cura et sollicitudine avertere satagant. — Datum Romae die 26 Sept. 1835.

1130. II. *Decretum de damnatis voluminibus Hermesii, quae successive vulgata fuere, dd. 7. Ianuar. 1836.* Apostolicis literis datis die 26. Sept. anno superiori a SS. D. N. Gregorio PP. XVI. praeter primam et secundam partem ‚Introductionis in Theologiam Christ. Catholicam' a *Georgio Hermes* conscriptae, aliud ipsius Hermesii opus, cui titulus ‚Dogmatica Christ. Catholica', damnatum fuit. Universum hoc opus ‚Dogmaticae Christ. Catholicae', quod ad eam usque diem per D. Achterfeldt post Hermesii obitum pervulgatum fuerat, examinandum diligentissime adscitis etiam Theologis germanicae lingvae peritissimis apprime curaverat eadem Sanctitas Sua, antequam in Congregatione Emin. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum coram se habita damnandum illud decerneret, prout memoratis apost. literis Ecclesiae universae denunciatum est. Cum vero in exscribendo titulo illius operis ‚Dogmaticae Chr. Cath.' una cum prima parte recensitae non fuerint secunda et tertia, eodem titulo, iisdem typis, et eodem anno editae, licet et ipsae in examen deductae fuissent, uti facto constat ex doctrinarum in iisdem traditarum mentione, quae in

apost. literis facta perlegitur: idcirco idem SS. D. N. ad dubium quodlibet praecidendum de damnatione integri operis eo tempore editi, atque ea, qua par est, iudicii maturitate rite expensi, mandavit, hoc decreto speciatim declarari, edici, et denunciari: memoratis apost. literis diei 26 Sept. 1835. damnatum ac reprobatum fuisse atque in Indicem librorum prohibitorum esse referendum integrum opus etc. — Romae die 7. Ian. 1836. I. Card. Iustinianus, Praef.

1131. III. *Epistola Praepositi Generalis S. I. ad Doctores* Braun et Elvenich, *qui in negotio Hermesiano Romae morabantur, dd. 19. Iul. 1837. in qua declarat Pontificis nomine, iudicium de operibus Hermesii immutari haud posse.* — — Novum plane accidit nec parum displicet Sanctitati Suae, quod, cum versionem operum Hermesii a vobis vestrisque adornatam vos ipsos Romam allaturos existimaret (sic enim proposita res fuit, cum de vestro ad Urbem adventu ageretur), nunc demum intelligat, versionem illam pro maiori atque praecipua parte necdum confectam esse, et in plures menses istud qualecunque negotium vestrum protractum iri. Enimvero vestras tam diuturnas in Urbe moras illud habere incommodi gravissimi, quod in vobis ceterisque Hermesii sectatoribus inde spes ali videatur, fore, ut iudicium, quod de Hermesii doctrina Sancta Sedes iam protulit, aliquatenus immutetur. Quam quidem spem inanem omnino esse Sanctitas Sua diserte vobis denunciari iubet. Quod enim versionem a vobis ipsis conficiendam accipere non recusavit, eo unice id factum est, ut vobis, qui bonae voluntatis vos esse profitebamini, gratificaretur, minime vero, quod inde ipsam Hermesii doctrinam melius cognitum iri existimavit. Etenim in huiusmodi negotiis tractandis ea ratio tenetur a Sede Apostolica, tam lente tam caute, tam mature proceditur, ut praeter divinam assistentiam, quae Petro eiusque successoribus a Christo Domino promissa est, quamque nemo catholicus in dubium vocare potest, humana etiam media omnia adhibeantur, quibus omne periculum immaturae decisionis evitetur. Et vero in iudicio de Hermesii doctrina quod statutum fuit, iure meritoque statutum fuisse vel ex ipsis Hermesianorum apologiis, quas inter ‚Acta Hermesiana' latine edita et a S. Patre lecta et perpensa, novis rationibus Sanctitati Suae persvasum est. Quod autem notas a vobis parari, atque illustrationes ad obscuros vel ambiguos

Hermesii locos dicatis, Sanctitas Sua, qua est sapientia, observat, notis quibuscunque vel illustrationibus Hermesii doctrinam, quam eius ipsius verba praeseferunt, neque immutatum iri neque emendatum. Ac ne illud quidem Hermesii doctrinae profuturum, si forte quae in eius systemate male, minus orthodoxe ab eo dicta sunt, ea alibi rectius ab eodem dicta esse ostenderetur. Nam vel inter eos, qui plane incredulitatem professi sunt, non deesse, quorum errores ex illorum ipsorum libris planissime confutari possint. Hoc enim proprium esse eorum, qui errorem vel erroneum systema sectantur, ut ipsi sibi non cohaereant. Denique moras necti inutiles etiam inde Sanctitas Sua colligit, quod cum ratio postularet, ut versionis a vobis exhibendae initium ab illis Hermesii scriptis duceretur, in quibus proprium systema suum ipse auctor exposuit, ab Introductione scilicet eiusque praefatione, Vos contra inverso ordine a posthumis eius operibus inceperitis. Quapropter cum res ita se habeant, liberum vobis esse, ad propria reverti, nullam enim amplius existere causam, cur in Urbe moremini. Atque haec sunt, quae iussu Sanctitatis Suae ad literas vestras respondenda habebam. Restat, ut vos orem obtesterque, ut qua mente Romam vos venisse non semel professi estis, eam conservetis, et opere ipso et factis ostendatis, fidem vestram aliam non esse nisi Romanam, quemadmodum ipsos vos mihi dixisse memini, neque Lamennaisium, ut hoc recenti exemplo praetermissis antiquioribus utar, imitemini, qui suam erga S. Sedem obedientiam verbis amplissimis protestatus, factis denique ostendit, ad Urbem se tunc quidem venisse, non ut a Sede Apostolica doceretur, sed ut eam doceret, quod quidem quam luctuosum exitum habuerit, vos ipsi videtis. — Romae 19 Iul. 1837. Io. Roothaan, S. I. Praep. Gen.

1132. IV. *Epistola Cardinalis a Secretis Status, idem atque prior epistola, denuncians, dd. 5. Aug. 1837.* Accepi literas, quas ad me 24 Iul. dedistis, meumque duxi eas oculis SS. Patris subiicere, ut quid Sanctitas Sua circa ea, quae in iisdem continebantur, edicendum censeret, cognoscerem eiusque iussa efficerem. Grates inprimis mihi sunt vobis agendae, quod exemplaria literarum, quas vobis scripserat R. P. Praepositus Generalis S. I., ad me miseritis; illud autem mihi denunciandum vobis est, memoratas literas — et SS. Patris iussu scriptas fuisse, et Sanctitatis Suae sensa apprime continere. Ex vestris autem

literis gravissimo vos in errore versari dignovi, palam enim fecistis, vos eam fovere spem, fore, ut sententia de Hermesio, id est, de Hermesii scriptis, lata aliquatenus immutari possit. Inficiari non possum, non levi animi dolore id Sanctitatem Suam percepisse, nec parum fuisse miratam vos eam vestris in literis spem exprimere non dubitasse, licet eo adduci non possit, ut credat, vos id fecisse, ut Apost. Sedi iniuriam irrogaretis. Quibus rationibus fuerit adducta Sanctitas Sua, ut permitteret latinam Hermesii operum versionem a vobis exhiberi, quam integram vos Romam allaturos SS. Patri fuerat nunciatum, iam vobis expressit R. P. Praep. Generalis S. I. Si autem ex apostolicae caritatis studio id SS. Pater indulserat, eius tamen mens nec fuit nec est, ut vel levem vobis ingereret spem, futurum, ut aliqua induceretur immutatio in Hermesii operum damnatione, quae ita firma manet, quemadmodum inconcussa stat, a qua promanavit, auctoritas. Sanctitas Sua vult itaque, ut omnem hanc circa rem abiiciatis spem, quae inanis quidem est, et S. Sedi vel maxime iniuriosa. Scholae Hermesianae doctrinam ab Hermesii scriptis distingventes, vestris in literis declaratis, paratos vos esse professionem fidei a SS. Patre accipere. Sanctitas Sua non potest, quin de huiusmodi sensibus vel maxime laetetur gaudeatque, meritamque pro iis vobis tribuit laudem : prona autem vobis patet via, ut vos, qua catholicos decet viros, quod verbis expressistis, factis comprobetis. Enimvero Hermesii scripta a S. Sede iam damnata sunt : Apost. Sedis sententiam firmam per se esse inconcussamque manere vobis iam est declaratum, non nova igitur opus est fidei professione, quae a SS. Patre proponatur, sat erit, ut qua par est obedientia S. Sedis iudicio, quo Hermesii scripta fuerunt damnata, corde et animo vosmetipsos subiiciatis, ea reprobantes, quae a Petri Cathedra fuerunt reprobata, nihilque unquam praestetis, quo ab indubio hoc veritatis tramite deflectatis. Haec germana sunt Sanctitatis Suae sensa, quae dum vobis refero, non ingratum vobis sit, me S. Gregorii M. verbis vos alloqui : ‚Dignum est, ut de Ecclesia beati Petri apost. Principis nullum ulterius scrupulum habeatis, sed in vera fide persistite, et vitam vestram in Patre Ecclesiae, hoc est, in confessione beati Petri apost. Principis solidate.‘ Post ea, quae SS. Patris iussu vobis palam feci, ipsimet facile perspicietis, inutile prorsus esse, ut pro negotio Hermesiano

diutius in Urbe maneatis. In patriam autem reversis vestrum erit, aliis exemplo praeire in exhibenda Petri successori Christique in terris Vicario obedientia, quam vestris in literis pollliciti estis; vestrum erit, Hermesii doctrinae sectatores hortari, ne vanis pravisque disputationibus Ecclesiae unitatem, quae in b. Petro eiusque successoribus fundamentum habet, dilacerent, atque ab ea recedant via, quae ad miserum nefandumque schisma ducit. SS. Pater non dubitat, quin vos pro eo, quo flagratis, religionis zelo id alacri animo sitis praestituri, in illudque adlaboraturi, ut vestrarum regionum catholici omnes arctius in dies Cathedrae Petri adhaereant, eidem debitam exhibeant obedientiam, neque aliam corde teneant et profiteantur, quam Petri, id est, Romani Pontificis fidem. — Romae 5. Aug. 1837. A. Card. Lambruschini.

1133. V. *Postrema eiusdem Cardinalis litera ad procuratores Hermesii* DD. Braun et Elvenich *Romae agentes, dd. 6. April, 1838.* Literis, quas ad me die 4. April. dedistis, nulla interposita mora paucis respondeo. In re, quae omnium maximi momenti est, (agitur enim de fidei puritate, qua nihil pretiosius viro catholico esse potest,) id Christi caritas, id officii mei ratio postulat, ut vobis aperte loquar. Dicam itaque, ex vestris literis apparere, vos erroris viam ingressos errantium vestigia sectari. Verba, quibus meis literis die 5. Aug. 1837. ad vos datis SS. Patris mentem vobis aperueram, manifesta ita sunt, ut nec levissimam quidem de eorum sensu ambigendi occasionem praeberent. At tantum abest, ut id, quod Sanctitatis Suae nomine vobis fuerat denunciatum, praestiteritis, quin potius gravem Apost. Sedis auctoritati iniuriam irrogastis, ad inanem iuris et facti distinctionem a Iansenistis excogitatam confugientes, eaque innixi errores a S. Sede in Hermesii scriptis damnatos in iisdem inveniri denegantes, detrectantesque S. Sedis iudicio, quo Hermesii scripta fuerunt damnata, vosmetipsos subiicere, atque ea, id est, omnia et singula pure et simpliciter reprobare, quae a Petri Cathedra fuerunt reprobata. Post haec inutile prorsus erit, ut alias ad me hanc circa rem literas detis, cum enim firmum inconcussumque S. Sedis iudicium maneat, causa finita est, utinam aliquando finiatur et error! Scripta, quae ad me misistis, nedum legi, sed nec evolvi quidem; ea hisce adnexa literis invenietis. Nihil aliud mihi superest, nisi ut enixas ad Deum preces fun-

dam, ut superno mentes vestras gratiae suae lumine illustret, ut cognoscatis regnum Dei in simplicitate fidei esse, non in contentione sermonis, eumque vobis pro sua clementia humilitatis spiritum largiatur, quo in captivitatem redigatis intellectum in obsequium Christi, ne sitis parvuli fluctuantes, et circumferamini omni vento doctrinae, neque vobismetipsis placentes unitatis dissidio Christi Ecclesiam scindatis. — Romae 6. April. 1838. A. Card. Lambruschini. — **Bullarii R.** *continuatio.* XX. 85. item: *Acta Romana. Ediderunt* **Braun** *et* **Elvenich.** Hannoverae, et Lipsiae. 1838.

1134.

Gregorius XVI. Clero et populo Catholico **Armeno CPno** concordiam et subiectionem erga Sedem Apost. inculcat, A. 1836.

MON. Studium paternae benevolentiae, quo universam Catholicorum Armenorum gentem, vosque speciatim, dil. filii, prosequimur, urget nos, ut iuvandis Ecclesiae vestrae rationibus, communique saluti ac tranquillati tuendae et confirmandae assiduas curas impendamus. Sane quo ex tempore iussu Leonis XII glor. mem. decessoris nostri Praefecturam inivimus Congregationis Propagandae fidei, fuit nobis plane iucundissimum adesse consiliis et opera Summo eidem Pontifici, ac subinde proximo eiusdem successori fel. rec. Pio PP. VIII, dum uterque ipsorum allevare anniteretur calamitates, quibus vexati fuistis, et causas removere, unde aliae in posterum oriturae metuebantur. Cum autem id Deo dante feliciter contigisset, et vobis per nova celsissimae Ottomanae Aulae decreta a schismatici Praesidis iugo subtractis, plenioremque sanctissimae Religionis palam exercendae libertatem adeptis peculiarem quoque Pius VIII AEppum Primatem tribuisset, nos, qui licet immerentes Pontifici eidem paulo post defuncto successimus, haud certe destitimus singularem de vobis sollicitudinem gerere, ac providere, quantum in nobis esset, ut melior ille vestrarum rerum status solidaretur quotidie magis, et ampliora quoad fieri posset incrementa

susciperet. Et quoniam relatum ad nos fuerat de aliqua SS. Rituum varietate in Liturgiam vestram inducta, et de dissensionibus apud vos eapropter exortis nostrum omnino esse censuimus providere in tempore, ut ipsa illa contentionum causa removeretur. Itaque ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus praedictae Congr. Prop. fidei mandavimus, ut rem universam diligenti examine perpenderent, atque componerent prout opportunum in Domino visum foret. Qua quidem in re nobis ac memoratae nostrae Congregationi illud omnino propositum fuit, ut ex ratione a Rom. Pontificibus circa probatas Orientalium Nationum Liturgias perpetuo constanterque servata, quam in suis encyclicis literis disertissime exposuit Benedictus XIV, ipsa etiam vetus et venerabilis liturgia Ecclesiae Armenae sarta tecta haberetur. Id tamen impedimento esse non poterat, quominus retinerentur simul ritus nonnulli ex aliis Ecclesiis accepti, quos maiores vestri aut quia rectiores visi fuerant adamarunt, aut tamquam notam ab haereticis schismaticisque vos discernentem aliquo abhinc tempore assumserunt. Nec enim novum est, ut inter Ecclesias catholica invicem unitate coniunctas propriamque liturgiam firmiter custodientes quaedam huiusmodi rituum communicatio contigerit; et ipsa quoque *aliarum Ecclesiarum mater et magistra Romana Ecclesia* haudquaquam dedignata est nonnullos adsciscere ritus in Orientis Ecclesiis usitatos, sicuti ex iis manifestum est, quae afferuntur memoratis in literis a Benedicto XIV. Quid est igitur, dil. filii, quod post plures seu declarationes seu literas a Congr. Prop. fid. super negotio illo Armenorum rituum auctoritate nostra datas sunt adhuc inter vos, qui aut nimio novarum consvetudinum amore decepti, aut inducti falso quodam zelo vetustatis vel in minimis suis partibus defendendae scissuras fovent inter fratres, nec decretis memoratae Congregationis, nec ven. fr. Antonii Primatis AEppi monitis acquiescunt? Equidem vix explicare verbis possumus, quantam nobis acerbitatem animi vestrae huiusmodi dissensiones attulerint. Os nostrum patet ad vos, o carissimi, cor nostrum dilatatum est; audite vocem amantissimi Patris, non aliud certe quam salutem animarum vestrarum et veram ac solidam vestri generis utilitatem quaerentis. Agnoscite subdolas satanae artes, qui cum nihil profecerit calamitatibus paucos ante annos inductis ad vestram fidem labefactandam, videritque imo vexationem illam in

amplius cessisse Religionis Cath. emolumentum, nunc novis insidiis conturbare vos, atque ab obedientia legitimae auctoritatis eccles. abducere conatur: ut ita scilicet fructus amittatis in glorioso illo certamine acquisitos, ac mutua contentione et aemulatione discissi opprobrium sitis vicinis vestris, subsannatio et derisus his, qui in circuitu vestro sunt. Vos igitur, qui malignum vicistis aperta vi animas vestras oppugnantem, cavete modo, ne illius artibus dolisque capiamini. Sed memores illius, quod a Domino Redemtore nostro accepimus, novi mandati, diligite invicem, sicut ipse dilexit nos, et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore. Sicuti autem ex membris unius corporis non omnia eundem actum habent, ita unusquisque vestrum maneat oportet in ordine suo, ut laici sacerdotibus reverentiam exhibeant, ut sacerdotes laicis dilectionem impendant, *omnes autem subiecti per omnia sint Romano Pontifici, cui propter illam, quam in beato Petro accepit, plenam universalis Ecclesiae regendae auctoritatem, obedientia a cunctis ubique fidelibus necessario debetur.* Sed et AEppo Primati vestro obedire vos, dil. filii, necesse est, qui omnium vestrum ab Apost. hac Sede constitutus est Pastor. Toto igitur corde eidem subiacete, ipse enim pervigilat quasi rationem pro animabus vestris redditurus, ut cum gaudio hoc faciat et non gemens, hoc enim non expedit vobis. Atque ita et in obedientia manebitis Sanctae ipsius Sedis, cui AEppus idem ad exemplum fidelissime obsequitur. Videte, dil. filii, qualibus literis scripsimus vobis, ut nostram in vos ardentissimam caritatem nostramque de vestris rebus sollicitudinem magis magisque perspiciatis. Interea Deum, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, humiliter per merita Iesu Christi obsecrare non desistimus, ut effundat super vos misericordiam suam, et corda vestra coelestis gratiae suae rore perfundat, quo ad eius iustitiam faciendam, fovendamque inter vos tranquillitatem et pacem vestra procedant eloquia, et cogitationes atque opera dirigantur. — Datum Romae die 2 Maii 1836. — **Bullarium** *Congr. de Prop. Fide.* V. 135.

1135.

Gregorius XVI. PP. Altare supra sepulchrum **Petri et Pauli** App. erectum peculiaribus ornat privilegiis. A. 1836.

MON. Ad beatissimi Principis Apostolorum, cui nos nullis certe promeritis successimus, memoriam quam maxime celebrandam, Romani Pontifices praedecessores nostri mira quadam pietatis ac munificentiae contentione, non modo exquisitissimis Basilicae Vaticanae operibus, atque ornamentis splendide consuluerunt, verum etiam amplissimis privilegiis ac spiritualibus donis eam cumulandam existimarunt. Merito autem atque optimo iure gloriosum Apostolorum sepulchrum in eiusdem Basilicae hypogeo positum summa colentes veneratione, magnificum super eo altare, quod eorumdem Apostolorum sacrae exuviae augustius efficiunt, exstruendum censuere. Nos igitur praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, et commemoratum sepulchrum singulari animi nostri devotione prosequentes, amplioribus illud indulgentiarum muneribus locupletare statuimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, Altare subterraneum SS. App. Petri et Pauli Vaticanae Basilicae, quod maiori pontificio altari subest, privilegiatum tam pro vivis quam pro defunctis perpetuum in modum declaramus. Praeterea concedimus, ut exceptis tantummodo diebus Epiphaniae, Dom. Palmarum, ac totius Maioris hebdomadae, et Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini N. I. C. et Assumtionis B. M. V. toto anni tempore Missa votiva SS. App. Petri et Pauli a quocunque sacerdote seculari vel cuiusvis ordinis, Congregationis et Instituti regulari eodem in altari possit celebrari. Octo vero continentibus diebus a festivitate Apost. Petri et Pauli Missam prout in festo sub duplici ritu celebrari permittimus. Denique ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus Christifidelibus, qui semel in mense vere poenitentes, et confessi, ac s. communione refecti idem

Altare devote visitaverint, ibique pro felici statu S. Rom. Ecclesiae et pro fidei orthodoxae propagatione beatorum App. Petri et Pauli patrocinium implorantes, pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Indulgentiam vero tercentum dierum, quoties ipsum Altare visitaverint, ibique ex propria cuiusque pietate Deum exoraverint, liberaliter elargimur. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse iterum concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae die 17 Iunii 1836. — **Analecta Iuris Pontificii.** Romae. 1864. p. 1131.

1136. 1137.

AEppus Coloniensis in negotio Hermesiano supremam auctoritatem S. Sedis Apostolicae egregie tuetur, A. 1837.

1136. MON. I. *Epistola AEppi ad Confessarios Bonnenses dd. 12. Ianuar. 1837.* Da ich vernommen, dass einige der Beichtväter in Bonn über die Antwort, welche sie zu geben haben, wenn sie im Beichtstuhle oder sonst gefragt werden, ob man die Schriften des sel. Professors ‚Hermes' lesen dürfe, und ob die Theologen jenen Vorlesungen beiwohnen dürfen, in welchen die in jenen Schriften enthaltenen Behauptungen vorgetragen werden, in Zweifel sind: so beauftrage ich Ew. Hochw. allen Beichtvätern daselbst auf die Weise, die Ihnen den Umständen gemäss am passendsten scheint, in meinem Namen bekannt zu machen: 1. Dass Keiner die Schriften des sel. Professors ‚Hermes', auch nicht die nach seinem Tode gedruckten, noch jene, welche zur Vertheidigung jener Schriften herausgekommen sind, noch auch geschriebene Hefte, welche jenen Schriften gemäss gefertigt sind, lesen dürfe. 2. Dass kein Theologe Vorlesungen, deren Inhalt den oben genannten Schriften

gemäss ist, beiwohnen dürfe. 3. Was die bewusste päpstliche Verfügung wider die Schriften des ‚Hermes' betrifft, so wollen Sie jenen, welche darüber im Zweifel sind, oder gar nach hermesischer Weise den geraden Weg verlassend ihren Ungehorsam durch die Einrede zu bemänteln suchen, dass jene päpstliche Verfügung nicht publicirt sey, mithin nicht verbinde, zu bedenken geben: a) dass die Publication doch wohl keinen andern Zweck habe, als dass die Verfügung bekannt gemacht werde, es sey denn, dass der Gesetzgeber die Publication als ‚conditio sine qua non' der Verbindlichkeit vorschreibet (solches war der Fall, bei dem Gesetze, welches die KV. von Trient ‚contra matrimonia clandestina' erliess); b) dass aber den Hermesianern jene päpstliche Verfügung hinlänglich bekannt ist, zeigen ihre Schriften; oder man müsste einen Unterschied annehmen unter bekannt sein, um das Oberhaupt der Kirche zu höhnen, oder unter bekannt sein, um in Demuth zu gehorchen; c) dass, wofern jene Entschuldigung wirklich entschuldigend wäre, die weltliche Macht es durchaus in ihrer Gewalt hätte, die Wirksamkeit des vom Heilande angeordneten ‚centri unitatis' völlig zu hemmen, was freilich den Hermesianern, wie allen Sectirern, die sich nur vermittelst der weltlichen Gewalt, welche niemals in Beziehung auf Gegenstände vorliegender Art Richterin seyn kann, mithin, sobald sie theilnimmt, Partei ist, halten können, nicht unlieb sein dürfte. Cöln, den 12. Ianuar 1837. Clemens August, EB. v. Cöln.

1137. II. *Theses eiusdem APraesulis neoapprobandis et aliis presbyteris propositae.* — 18. Spondeo ac promitto AEppo meo reverentiam et obedientiam in omnibus, quae ad doctrinam et disciplinam spectant, sine omni restrictione mentali; meque ab AEppi mei iudicio secundum Hierarchiae Catholicae ordinem ad neminem nisi ad Papam, totius Ecclesiae Caput, provocare posse ac debere confiteor; Romanum Pontificem in universam Ecclesiam tenere Primatum ordinis et iurisdictionis, et ipsum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et Centrum Unitatis, pastorum Pastorem, et omnium Christifidelium Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro agnos et oves pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse, firmo semper tenebo animo, ac profi-

tebor verbo opereque, atque in specie decretis Pontificis Maximi in rebus fidei et morum obtemperare me debere et velle profiteor et spondeo. — — **Promemoria** *in Sachen des Hermesianismus.* Mainz. 1837. p. 34. 58.

1138.

Americani Praesules in Synodo Baltimorensi 1837. congregati acta Concilii Summo Pontifici substernunt.

MON. Haud quidem fas esset Eppis in provincia Baltimorensi tertio Concilio congregatis ex illo discedere, quin prius *commune et solemne testimonium eius, qua revera erga Apostolicam Sedem Sanctitatemque Vestram afficiuntur, venerationis, obedientiae et devotionis* exhibeant. Huius ergo debiti nobis profecto omnibus utpote amantissimis filiis quam maxime grati solvendi gratia hasce literas, mentis animique nostri fortasse non adeo ut vehementer optamus fideles interpretes, Romam ad Sanctitatis Vestrae pedes mittimus una cum decretis, quae Ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes condenda censuimus. Haec Apost. Sedis iudicio, ut par est, subiicimus, ut, si Sanctitati Vestrae probentur, necessaria sanctione firmata optatum effectum feliciter consequantur.—Baltimori die 22 April. 1837. — *Concilia Prov. Baltimori habita.* 1842. p. 129.

1139.

Gregorius XVI PP. negotia regiminis eccles. in **Indiis Orientalibus** ordinat, et suis decretis ab omnibus obsequium praestandum esse enunciat, A. 1838.

MON. Multa praeclare Romani Pontifices praedecessores nostri pro apostolici muneris debito constituerunt, ut in vastis-

simis *Orientalium Indiarum* regionibus Catholicae Religionis incremento prospicerent. Cum enim ob summam earum regionum ab Apost. Sede distantiam, ob itinerum longitudinem, locorumque difficultates ardua valde esset tantae illius Vineae Domini partis cultura, sollicitudinem suam impense Romani Pontifices demonstraverunt, ut quidquid pro diversa temporum ratione Religioni utile apud illas gentes futurum esse videretur, auctoritate sua sancirent, et studiose servandum esse iuberent. Omittimus illam curam commemorare ab Ap. Sede numquam neglectam, ut undique sacerdotes excitarentur ad sacri ministerii officia in iis regionibus obeunda; nihil de singulari dicimus adhibita a praedecessoribus nostris facilitate ac benignitate, ut ad non retardandos iis in locis religionis catholicae progressus innumera ferme concesserint, quibus passi sunt cum iis gentibus remissius agi, quam ut canonum et disciplinae severioris instituta requirebant. Eam tantum hic memorabimus grati animi significationem, quam pro dignitate sua Romani Pontifices erga illos ostenderunt, quos constabat opera sua religioni utiles per ea loca fuisse. Perspicuum huius rei testimonium continet *Patronatus privilegium Fidelissimis Lusitaniae Regibus ab Apost. Sede tributum, ut Dioecesium nonnullarum in iis regionibus Eppi eorum nominatione eligerentur.* Cum enim illorum Principum pietas ac munificentia multum contulisset, ut in vastissimis illis regionibus Eppatus nonnulli constitui possent, Praedecessores nostri grati animi testificatione eorum merita prosequi cupientes largiti sunt, ut earum dioecesium Eppos Ap. Sedes eligeret, quos idoneos illi nominassent. Huius praeterea privilegii concessione Ap. Sedes prospexit, ut non diuturna esset sedium illarum eppalium vacatio, facilius Eppos ea loca opportunos haberent, et praesulibus ipsis satis congrua praesto essent subsidia, quae eorumdem dignitati convenirent. Factum est vero temporum vicissitudine, ut hoc quod diu religioni utile in iis regionibus fuit, in eo statu manere non potuerit, quem praedecessorum nostrorum decreta in adiunctis rerum longe diversis edita servandum esse iusserant. Pluries nos, cum adhuc consilio Christiano nomini Propagando praeessemus, perpendere rationum gravitatem debuimus, quae demonstrabant, regiones illas tam late patentes, quae permagnam vastissimae Cis Gangem peninsulae partem constituunt, necessario requirere, ut Apost. Sedes

religioni in iis periclitanti succurreret, et ecclesiastici regiminis formam ea ratione moderaretur, quae obtinendae religionis incolumitati par esse posset. Notum nobis erat, regiones illas dioecesium *Cranganorensis*, *Coccinensis, et Meliaporensis seu S. Thomae* limitibus comprehendi. Constabat vero nobis, praedecessores nostros Fidelissimis Lusitaniae Regibus Patronatum in illas dioeceses et Eppos nominandi privilegium impertitos esse. Hoc enim continetur literis apostolicis fel. rec. Pauli IV diei 4. Febr. 1557. quae incipiunt ‚Pro excellenti,' quibus dioecesim Coccinensem constituit; item Clementis VIII diei 4. Aug. 1600 incipientibus ‚In supremo,' et Pauli V diei 6. Febr. 1616. incipientibus ‚Alias postquam' de Cranganorensis AEppatus erectione; ac denique apost. decreto Pauli V diei 9. Ianuar. 1606. quo Eppatus Meliaporensis seu S. Thomae constitutus est. Non omisimus vel ab eo tempore ad bonum religionis promovendum illa omnia conari, quae temporum adiuncta patiebantur. Postquam vero ad D. Petri Cathedram licet immerentes evecti fuimus, multo frequentius et omni gravitate praestantibus monumentis excitati sumus, ut religioni in permagno discrimine apud illas gentes versanti opem afferemus. Haec animo volventes, et apostolicae sollicitudinis officia cogitantes, adducti idcirco sumus, ut literis apostolicis diei 18 April. 1834. incipientibus ‚Latissimi terrarum tractus' *Vicarium Apostolicum a Sede Ap. tantum dependentem* constitueremus, qui populosam *Calcuttae* urbem eiusque politicam praefecturam subiectam haberet. Quoniam vero reperti sunt, qui Vicarii Apostolici a nobis instituti iurisdictioni resisterent, et apost. nostris literis non obtemperandum esse contenderent, eo quod in illis expressa mentione facta derogatum non esset iis, quae Paulus V. diei 9. Ian. 1606. de Eppi Meliaporensis seu S. Thomae iurisdictionis finibus decreverat, nos alio Brevi Apostolico dici 4. Aug. 1835. cuius initium est ‚Commissi nobis,' omnem hunc dissidii praetextum reiecimus, et plura declaravimus, quae ad stabilius firmandam Vicarii Apostolici *Bengalensis* auctoritatem poterant pertinere. Eadem de causa factum est, ut alium Vicarium Apost. *Madraspatani* literis diei 25. Apr. 1834. incipientibus ‚Ex debito pastoralis' instituendum esse duxerimus. Haec quoque ratio fuit, cur die 23. Dec. 1836. aliud Breve apost. incipiens ‚Ex munere pastoralis' ediderimus, quo vastissimam

insulam *Ceylon* Vicario Ap. a nobis instituto gubernandam commisimus. Hac denique ratione factum est, ut prospicere cupientes religionis necessitati apud illas gentes, quae peninsulae partem incolunt, quae ad Orientem montium Gates vergit, et a flumine Chovery ad promontorium usque Comorinum protenditur, universum illum regionum tractum, qui regna Madurae, Tanjorii, Maravae, et Misorii cumprehendit, per nostram Congreg. de Prop. Fide die 3. Iun. 1837. ven. fr. Clementis Eppi Drusiparensis in ora Coromandelica Vicarii Apostolici provisoria ratione et quoad aliter a S. Sede decretum fuerit, curae et iurisdictioni commiserimus.

Intelligimus, per haec, quae hactenus a nobis de ea Indiarum regione statuta sunt, in permagna peninsulae parte religionis utilitati consultum esse. Sed praeter illa loca, quae Vicariis Apostolicis gubernanda tradita fuerunt, non parvae adhuc supersunt ibi regiones, quarum bono spirituali prospicere tenemur, quaeque inter fines dioecesium Cranganorensis, Coccinensis, et Meliaporensis vel S. Thomae positae sunt. Scimus disciplinam ecclesiasticam, populi mores, fidem catholicam iis in locis, quae iamdiu pastore carent, magnum detrimentum accepisse, notumque nobis est, praetextu defendendi, ac conservandi iura dioecesium illarum plures abuti, ut Vicariis Apostolicis, quos Sedes Ap. constituit, resistant, eorum auctoritatem oppugnent, et schisma perniciosum excitare conentur. Plane sentimus, nos ex officio, quod Deus nobis in D. Petri successione commisit, omnino teneri, ut Ecclesiae curam in dissita etiam qualibet orbis parte geramus, eaque decernamus, quae ad religionem ubique iuvandam conducere posse videmus. Communicato igitur consilio de tam gravi re cum ven fr. nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae fidei praepositis, eorumdem sententia probata, ac matura totius negotii consideratione a nobis instituta, apostolicae potestatis plenitudine haec decernenda esse iudicavimus: Videlicet, provisoria ratione et quoad Sedes Ap. nihil aliud novi statuerit, decernimus, regiones eas omnes, quae dioecesis Meliaporensis seu S. Thomae limitibus continentur, quaeque hactenus nulli Vicario Apostolico commissae sunt, Vicariatui Ap. Madraspatano uniendas esse, et iurisdictionem atque auctoritatem totam eccles. et spiritualem in eas regiones ad ven. fr. Danielem Eppum Salditanum Vic. Ap. Madraspatani eiusque suc-

cessores pertinere. De regionibus vero, quae limitibus dioecesis Cranganorensis et Coccinensis continentur, et quae nulli Vicario Ap. hactenus traditae sunt, eadem ratione iubemus illas Vicariatui Ap. in Malabarica regione instituto, cuius sedes in oppido Verapoli est, uniri debere, et iurisdictionem atque auctoritatem totam eccles. ac spiritualem in eas regiones ad. ven. fr. Franciscum Xav. Eppum Amathensem Vicarium Ap. Verapoli commorantem eiusque successores spectare. Atque ut *Malacensis* quoque regio trans Gangem apostolicae nostrae sollicitudinis fructus accipiat, et religionis incolumitati atque incremento in ea regione consulamus, universam regionem illam ven. fr. Federici Cao Eppi Zamensis Vicarii Ap. Avani et Peguensis iurisdictioni eadem provisoria ratione subiicinus. Declaramus, in earum regionum ecclesiastico ac spirituali regimine *Vicarios Apostolicos memoratos a nobis et ab Ap. tantum Sede immediate dependere, eos solos tamquam veros illarum regionum ordinarios ab omnibus habendos esse*, eisque omnes obtemperare debere, et ab illis eccl. iurisdictionem ac facultates accipere. *Derogamus* propterea *literis apost. superius recensitis praedecessorum nostrorum de dioecesium Cranganorensis, Coccinensis, et Meliaporensis seu S. Thomae erectione* atque limitibus, itemque illis a Paulo IV editis die 4 Febr. 1557, incipientibus ‚Pro excellenti' *de Eppatus Malacensis erectione*, et praeterea derogamus etiam literis apost. fel. rec. praedec. nostri Pauli IV diei 4 Febr. 1557 incipientibus ‚Etsi Sancta' *de AEppatus Goani erectione*, ita, ut nullam iurisdictionem quocunque titulo etiam speciali mentione digno in regionibus, de quibus agitur, AEppus Goanus in posterum possit exercere.

His ista ratione statutis videmur omnino nobis religionis opportuno regimini per eas regiones prospexisse, ac certo speramus futurum, ut Deo O. M. consilium a nobis initum benedicente haec ad Ecclesiae incrementum magnopere conferant; confidimus etiam fore, ut decretis nostris omnes ea obtemperent observantia, quae dignitati nostrae debetur, cui in D. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Deo potestas tradita est. Non dubitamus denique eos, qui hactenus voluntati nostrae restiterunt, suscepturos esse saniora consilia, et a gravissimo schismatis malo alienos ex animo esse futuros. Praeter illud enim catholici cuiuslibet proprium officium, ut D.

Petro per os nostrum loquenti obtemperare tencatur, persvasum habemus eos intellexisse, quae ad dissidii sui defensionem attulerunt, ipsorum repugnantiam excusari nulla ratione posse. Omnibus enim cognitum est, *Ap. Sedem in patronatu illo Fidelissimis Lusitaniae Regibus concedendo numquam voluisse impedimentum sibi ipsi inducere,* quominus religioni in regionibus illis provideret et non posset ea statuere, quae pro temporum necessitate populi christiani salus fuisset postulatura. Putamus eos quoque videre, quantopere diversis temporibus et a praesenti rerum statu distinctis privilegium illud concessum servatumque fuerit; existimamus illos etiam sentire, regiones eas, ad quarum bonum procurandum mentem nostram convertimus, non amplius veteri politico regimini subesse, quo Lusitanis Regibus facile erat in iis regionibus patronatum exercere, sed illas in potentissimi Regis ditionem devenisse, cuius gubernii formam atque instituta hoc minime passura esse nobis exploratum est. Recordamur tandem Rom. Pontifices praed. nostros non obstante patronatus concessione ex dioecesibus eo privilegio comprehensis provincias separandas aliquando et Vicariatus Apostolicos provincias illas complectentes constituendos esse pro religionis utilitate iure decrevisse : quare confidimus, eos, qui dissidere hactenus non dubitarunt, facile perspecturos cavendum sibi esse, ne decretis nostris in praesenti rerum conditione latis patronatus praetextu repugnantes, aperte ostendant, se dissidii sui nullam nisi inobedientis animi rationem afferre posse. — Datum Romae die 24. April. 1838. — **Bussiere** *Histoire du Schisme Portugals dans les Indes.* Paris. 1854. p. 258.

1140.

Gregorius PP. XVI. defectionem Graecorum unitorum ad Schisma in Imperio Russico factam annunciat, simulque Ecclesiae Cath. calamitates, quibus eo in Imperio premitur, deplorat in Allocut. de 22. Nov. 1839.

MON. Multa quidem gravia et acerba inde ab inito apostolici officii munere coacti fuimus diuturna temporum adversitate ex hoc ipso loco nuntiare. At quod in hodierno coetu vestro moerorem inter ac luctum Ecclesiae universae sumus nuntiaturi, eiusmodi profecto est, ut malorum, quae alias ingemuimus, longe superet acerbitatem. Nemo Vestrum ignorat, Ruthenos Episcopos omnemque inclytam Nationem illam, quae post susceptam cum christiana fide catholicam unitatem misere ab ea defecerat, et proprii sermonis usu Graecoque ritu retento luctuosum Graecorum schisma sequebatur, de firmo ac sincero ad Romanam Ecclesiam reditu non semel divina excitante gratia cogitasse. Hinc primum in Oecumenica Florentina Synodo una cum Graecis AEppus Kioviensis totius Russiae Metropolita celebratissimo Unionis decreto subscripsit. Licet autem res in irritum mox cesserit per obortas turbas, et hostiles eorum conatus, qui lumini rebelles schismati pertinacius adhaerebant: numquam tamen Episcoporum praesertim consilia et studia in idipsum destiterunt, illuxitque tandem dies auspicatissimus, quo, faciente Deo misericordias suas, Ruthenorum genti datum erat ad desertae matris sinum reverti, sanctamque illam rursus ingredi civitatem ab Altissimo fundatam, in qua unice fas est salutem invenire. Qui enim seculo 16. exeunte piissimi Sigismundi 3. Poloniae et Sveciae Regis ac Magni Lituaniae Ducis civili dominationi suberant Rutheni Antistites, cum memoria repeterent concordiam, quae inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam antea viguerat, quamque maiores sui sub Apost. Sedis regimine

impense foverant, non vi coacti aut artibus decepti, non animi vel ingenii levitate ducti, non temporalis commodi illecebris allecti, sed sola supernae lucis claritate perfusi, sola veritatis agnitione compulsi, sola demum salutis suae et commissarum sibi ovium cupidine incensi, post habitam in communi conventu de tanto negotio deliberationem per binos collegas ad hanc beati Petri Cathedram totius cleri ac populi nomine legatos, schismaticorum erroribus penitus eiuratis, Romanae Ecclesiae rursus consociari, pristinaeque cum illa unitati restitui postularunt. Quo tunc caritatis studio Clemens 8. praedecessor noster eos inter catholici orbis plausus exceperit, qua deinde sollicitudine Sancta haec Sedes ipsos constanter fuerit prosecuta, qua indulgentiae sagacitate tractaverit, quot quantisque modis iuverit, apertissime testantur complures Apostolicae Constitutiones, quibus tum peculiares gratiae et maxima beneficia in gentem illam collata sunt, tum servati ipsius Clero, quatenus catholicae unitati non officerent, sacri ritus ab Orientalis Ecclesiae consuetudine profecti, tum erecta pluribus in locis, ac praesertim Vilnae, vel annuo censu ditata Collegia ad Ruthenae Nationis Clericos in sanctitate fidei morumque instituendos. Molestissimum equidem fuit, instauratam adeo feliciter cum Romana Ecclesia Ruthenorum coniunctionem adversis vicibus fuisse progressu temporis obnoxiam. Illud tamen supererat omnino laetandum, quod ingens illorum pars sacrorum inprimis Praesulum constantia praeeunte tam firmiter Apost. Sedi devota atque ab hoc unitatis centro indivulsa permanserit, ut serpentibus licet elapso seculo per suas regiones inanis philosophiae fallaciis pravisque opinionum commentis a catholicae doctrinae fideique integritate nullimode deflexerit. At o miseram et infelicem rerum conversionem! o durissimam et numquam satis lamentandam Ruthenae gentis calamitatem! Quos namque patres ac pastores proximis temporibus acceperat, quosque idcirco duces ac magistros experiri debuisset, ut arctiori usque nexu Corpori Christi, quod est Ecclesia, iuncta servaretur: eos nuper in extremam suam perniciem sensit novae defectionis auctores. Hoc porro est, Ven. Fratres, quod nos anxios vehementer et sollicitos habet, hoc ad ingruentes undique amaritudines accessit lacrymis potius quam verbis commemorandum. Fatemur quidem, nos initio adduci nequaquam potuisse, ut fidem iis omnibus adhiberemus, quae hac

tristi de re fuerant rumore perlata; inspecta praesertim summa locorum distantia, et gravi qua angimur difficultate cum catholicis passim ibi degentibus communicandi. Atque id causae fuit, cur hactenus distulerimus clamores questusque nostros pro mali magnitudine attollere. At certis subinde nuntiis acceptis, reque per publicas ephemerides iam palam evulgata, sicuti altissime dolendum, ita minime dubitandum, plures ex Ruthenis Unitis Episcopos in Lithuania et Alba Russia cum cleri ac populi sibi crediti parte, relicta miserabiliter communione Romanae Ecclesiae, unde unitas sacerdotalis exorta est, ad schismaticorum castra transiisse. Ea autem fuit iniqui ipsorum consilii ratio, ut inductis primum fraudulenter in Sacri celebratione libris, quos a Graeco-Russis receperant, omnem propemodum divini cultus peragendi formam ad horum usus retulerint, quo nempe ignota plebs ex rituum similitudine sensim invalescente in schisma vel invita traduceretur. Dein mandato illorum convocati pluries parochi, et literae identidem ad eos datae sunt, quibus inter impudentes fallacias indicebatur, ut quisque adhaesionem suam Ecclesiae Graeco-Russicae iuxta propositam in id formulam profiteretur; monitis simul renuentibus de parocciali munere illico amittendo, deque certa accusatione ad superiorem auctoritatem contra ipsos ceterosque presbyteros eorum exemplo similiter detrectantes. Tandem post alias adhibitas machinationes eo perversitatis devenerunt, ut publice declarare non erubuerint suam ad praedictam Ecclesiam accedendi voluntatem, et preces insuper subiecti quoque gregis nomine adiicere, ad Imperialem ea de re veniam impetrandam. Nec defuit eorum votis effectus. Omnibus quippe per schismaticam Synodum Petropoli manentem instructis, ac sanctione firmatis, Ruthenorum Praesulum clerique ac populi hactenus Romanae Ecclesiae unitorum in Ecclesiam Graeco-Russicam aggregatio decreta et concelebrata solemniter est. Taedet hic recolere, quae infandum eiusmodi eventum iam diu portenderent, quibusque demum incitamentis adducti degeneres isti pastores in tantum nequitiae ac perditionis barathrum se ipsos demerserint. Respicientes potius ad miserrimum eorum casum iuvat sacri eloquii verbis exclamare: Iudicia Dei abyssus multa!

Ceterum ex tam atroci Catholicae Ecclesiae inflicto vulnere probe perspicitis, Ven. fratres, quo tandem animo simus,

quaque intrinsecus aegritudine conficiamur. Dolemus atque imo ex corde ingemiscimus redactas in aeternae salutis discrimen tot animas, quas Christus suo sangvine redemerat; dolemus violatam turpiter per desertores Episcopos fidem illam, quam Romanae Ecclesiae primum desponderant; dolemus despectum pessime ab iis characterem sacratissimum, quo ex huius Apostolicae Sedis auctoritate fuerant insigniti. Sed ingens etiam nos tenet sollicitudo de carissimis ex ea gente filiis, qui nec artibus illusi, nec minis perterriti, nec exempli pravitate seducti firmiter in Catholicae communionis vinculo perstiterunt. Neque enim latet, quam gravia in eos damna ex aliorum defectione fuerint consecuta, quantaque adhuc ipsos oporteat ob suam in sancta unitate constantiam tolerare. Atque utinam liceret illos paterna hortatione cominus solari, et aliquid gratiae spiritualis ad eos confirmandos impertiri! Interea memores officii, quod gerimus, nobisque uti olim Prophetae indictum desuper arbitrantes: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum, ex hoc supremi Apostolatus fastigio in conspectu totius Christiani orbis, Ruthenorum et maxime Episcoporum defectionem incessanter querimur, iisque illatam Catholicae Ecclesiae tali facinore iniuriam gravissime exprobramus. Verum cum illius vice fungamur in terris, qui dives est in misericordia, cogitat consilia pacis et non afflictionis, imo etiam venit quaerere et salvum facere quod perierat, quin Apostolicam in ipsos caritatem penitus exuamus, unumquemque illorum studiosissime admonemus, ut animo reputent, unde exciderint, et in quas formidabiles poenas iuxta sacros canones fuerint prolapsi; videant, quo aeternam sui salutem obliti temere pergant; paveant Principem Pastorum sangvinem deperditarum ovium ex ipsorum manibus requisiturum; ac terribilis exspectatione iudicii salubriter perculsi in viam iustitiae et veritatis, a qua procul aberrarunt, sese dispersumque misere gregem reducant.

Post haec dissimulare minime possumus, Ven. Fratres, latius patere causam doloris nostri de rei catholicae in vastissimis Russici Imperii finibus conditione. Novimus enim, quantis illic Religio nostra sanctissima iam diu prematur angustiis. His sane levandis omnem pastoralis sollicitudinis operam impendere non praetermisimus; nullisque in posterum parcemus curis apud

potentissimum Imperatorem, adhuc sperantes, ipsum pro sua aequitate ac excelso quo est animo, postulationes et vota nostra benevole accepturum. Quem in finem communibus precibus adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis unanimiter obsecrantes, ut in haereditatem suam benignus respiciat, Ecclesiam sponsam suam filiorum iacturam acerbissime plorantem opportuno auxilio soletur, optatamque diu in tot adversis serenitatem clementissime largiatur.

1141.

Gregorius XVI Eppis orbis peculiariter commendat succolationem Societatum pro Missionibus Apostolicis. A. 1840.

MON. Probe nostis, Venerabiles Fratres, quantis undique calamitatibus tristissimo hoc tempore urgeatur, et quam miserandum in modum Catholica vexetur Ecclesia; nec ignoratis quanta omnis generis errorum colluvione, effrenataque errantium audacia Religio Sancta oppugnetur, et quali astutia quibusque fraudibus haeretici, atque increduli homines connitantur Fidelium corda mentesque pervertere. Nostis, uno verbo, nullum prope esse laboris ac moliminum genus, quod ad inconcussum Sanctae Civitatis aedificium ex imis, si fieri posset, sedibus evellendum non insumatur. Enim vero, ut cetera praetereamus, nonne (proh dolor!) videre cogimur longe lateque vaferrimos veritatis hostes impune diffundi, eosque nedum Religionem irrisionibus, Ecclesiam contumeliis, Catholicosque insultationibus et calumniis lacessire, verum et Urbes atque Oppida invadere, erroris et impietatis Scholas instituere, ac venena doctrinarum suarum, pravo etiam scientiarum naturalium recentiumque inventorum usu ad occultiorum fallaciam comparata, typis evulgare; imo et in pauperum penetrare tuguria, rura percurrere, et sese in infimae plebis, agricolarumque familiaritatem insinuare? Ita scilicet nihil intentatum relinquunt, quo tum vernaculis corruptisque Bibliis, tum pestiferis Ephemeridibus, aliisque

parvae molis libellis, tum captiosis alloquiis, tum simulata charitate, dum denique pecuniarum largitione vel ipsum rudem populum, maxime iuventutem, ad suas sectas alliciant, atque ad deserendam inducant Catholicam Fidem.

Facta innuimus, Venerabiles Fratres, quae non modo Vobis comperta sunt, sed quorum testes Vos ipsi estis; qui dolentes quidem, et pro pastorali officio minime silentes, tolerare cogimini in vestris Dioecesibus memoratos haeresum et incredulitatis propagatores, procacesque praecones, qui gradientes interdum sub vestimentis Ovium, intrinsecus autem lupi rapaces, gregi insidiari, eumdemque dilacerare non cessant. Quid plura? Nulla pene iam extat in universo Orbe vel barbara regio, ad quam notissimae Haereticorum et Incredulorum centrales Societates, nullis parcentes sumtibus, suos non mittant excursores et emissarios, qui aut per insidias, aut palam coacto agmine ac perfricata fronte Catholicae Religioni, eiusque Pastoribus et Ministris indicentes bellum, Fideles ab Ecclesiae gremio divellant, eiusque aditum Infidelibus intercludant.

Coniici hinc facile potest, quantis Nos propterea in angustiis diu noctuque versemur, qui cura totius Christi ovilis, et omnium Ecclesiarum sollicitudine onerati, divino Pastorum Principi de cunctis rationem reddere debemus. Easdem vero communium Nobis Vobisque molestiarum causas idcirco Nostris hisce Literis commemorandas censuimus, Venerabiles Fratres, ut animo intentius recogitetis, quantum Ecclesiae intersit Sacros Antistites universos geminatis studiis, iunctisque laboribus, atque omni contentione adniti, ut tot frementium Religionis hostium reprimantur impetus, telaque retundantur, et contra callidas, quibus persaepe utuntur, blanditias praemoneantur, munianturque Fideles. Quod Nos, ut scitis, praestare quavis opportunitate curavimus, nec desistemus: sicuti et Vos hactenus praestitisse non ignoramus, et impensiori usque studio praestituros confidimus.

Ceterum ut in mediis quibusque difficultatibus non deficiamus animo, ,cavere nos omnes oportet, Venerabiles Fratres, ne illas unquam extimescamus quasi propriis viribus superandas; cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: Qui confirmans Praedicatores Evangelii, et Sacramentorum Ministros, *Ecce Ego*,

inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* et iterum: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici Mundum;* Quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa.'

Divinae autem promissionis fructus, qui numquam in Ecclesia defuerunt, nec defuturi sunt, quis non videat nostra etiam hac aetate manifestissimos? Iidem profecto evidenter apparent in insuperabili Ecclesiae firmitate inter tot inimicorum aggressiones, in Religionis inter tot perturbationes ac pericula dilatatione: et in consolatione, qua propterea *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Dum enim ex una parte plorandum Nobis est super iactura, quam aliquibus in regionibus passa est et patitur Religio Catholica: Nobis laetandum est ex alia, de crebris triumphis, quos etiam inibi, ob invictam Catholicorum Pastorumque constantiam passim reportasse noscitur, et reportare: quemadmodum et magno gaudio perfruimur ob felices illius inter tot obstacula mirosque profectus, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, perspiciant, oppressiones et vexationes, quibus exagitatur Ecclesia, non raro eius gloriae, ac Fidelibus in Catholica Religione magis magisque confirmandis inservire.

Verum, ut de Apostolicis Missionibus loquamur: quam laetandi causam Nobis non praebent et universae Ecclesiae uberes earumdem Missionum fructus, Fideique progressus in America, in Indiis, atque in aliis Infidelium praesertim terris? Haud enim ignoratis, Venerabiles Fratres, nostris quoque temporibus late illis in partibus diffundi virorum Apostolicorum numerum, indefessumque zelum, qui non pecuniarum copia, non armorum apparatu suffulti, sed Fidei tantum clypeo muniti, nedum voce et scriptis, privatim et publice, *praelia Domini* contra haereses et incredulitatem, et quidem prospero successu, *praeliari* non reformidant; verum etiam charitatis ardore incensi, nullaque deterriti itinerum asperitate, aut gravitate laborum, terra marique conquirunt sedentes in tenebris et umbra mortis, ut eos ad lumen et vitam evocent Catholicae Religionis. Hinc ad quaecumque discrimina intrepidi per Barbarorum silvas cavernasque

magno animo permeant, illosque Christiana paulatim suavitate delinitos ad veram Fidem, veramque virtutem informant, ac tandem per lavacrum Regenerationis a Diaboli servitute eripiunt, atque in libertatem vindicant filiorum adoptionis Dei.

Non possumus autem sine lacrymis, tum doloris, immanitatem execrantes persecutorum et carnificum; tum consolationis, heroicam suspicientes Confessorum Fidei constantiam, gloriosa hic commemorare recentium Martyrum gesta in remotissimis Orientis plagis, quorum equidem laudes Consistoriali haud ita pridem Allocutione celebravimus. Fumant adhuc Tunquini et Cocincinae regiones plurium Sacrorum Antistitum, et Presbyterorum, Fideliumque incolarum sanguine, qui Christianorum Martyrum, quibus prisca praesertim aetas inclaruit, exempla renovantes, impavido in tormentis animo mortem crudelissimam pro Christo in Fidei testimonium oppetierunt. Qui itaque praeclarior Ecclesiae ac Religionis triumphus; quae maior eam persequentium confusio, quam facto comprobatas videre nostris etiam hisce diebus divinas perpetuae protectionis et adiutorii promissiones, unde fit, quod *nullo* (ut verbis utamur S. Leonis) *crudelitatis genere destrui possit Sacramento Crucis Christi fundata Religio?*

Hactenus memorata, consolatoria quidem sunt, Venerabiles Fratres, et gloriosa Catholicae Religioni; sed et alia non desunt, quae in tantis quibus premitur tribulationibus solantur Ecclesiam: piae nempe Institutiones, quae in bonum Religionis et Christianae Societatis succrescunt, quarum nonnullae adiumento sunt et subsidio Sacris ipsis Missionibus Apostolicis. Sane quis vere Catholicus non laetetur Omnipotentis Dei providentiam considerans, qui Ecclesiae suae, iuxta promissiones, perpetuo protector assistens, novas pro opportunitate temporum, ac locorum, aliarumque circumstantiarum in ea suscitat Societates, quae sub eiusdem Ecclesiae auctoritate, suo unaquaeque modo, in charitatis officia, in instructionem Fidelium, atque in dilatationem Fidei suum coniunctis viribus studium atque operam conferunt?

Iucundum inter alias Catholico Orbi, ipsis stupentibus Acatholicis, spectaculum offerunt tot illae ac tam late diffusae piarum Feminarum Sodalitates, quae sub regulis S. Vincentii a Paulo, vel probatis aliis institutis consociatae, Christianarumque virtutum splendore conspicuae, totas se alacresque devovent aut

mulieribus a perditionis via retrahendis, aut puellis ad Religionem solidamque pietatem atque ad labores conditionis suae proprios informandis, aut proximorum aerumnis omni ope sublevandis; quin vel naturali sexus infirmitate, vel cuiusvis periculi metu retardentur.

Nec minori Nos, bonosque omnes gaudio perfundunt alii illi Fidelium Coetus, qui in multis praesertim illustrioribus Civitatibus novi identidem coalescunt; et quorum scopus ac studium est, perversis Libris vel sua vel aliorum utilia opera, errorum monstris puritatem doctrinae, iniuriis conviciisque Christianam opponere mansuetudinem et charitatem.

Quid denique, nisi magna cum laude, dicendum de celebri illa Societate, quae non solum in Catholicis regionibus, sed etiam in Acatholicorum et Infidelium terris nova semper obtinet incrementa; quaeque Fidelibus omnibus cuiuscumque conditionis facilem viam modumque aperit, ut de Apostolicis Missionibus bene mereantur, ac de spiritualibus illarum bonis participes et ipsi fiant? Iam intelligitis, sermonem hic esse de notissima Societate sub titulo *Propagationis Fidei.*

Communicatis modo Vobiscum, Venerabiles Fratres, et angoribus quibus ob iacturas conficimur, et consolationibus quibus sustentamur ob Catholicae Religionis triumphos; restat nunc, ut pariter Vobis communicemus sollicitudinem, quae Nos urget pro maiori Societatum tam bene de Religione merentium prosperitate. Vos igitur impense hortamur in Domino, ut eas in vestrarum Dioecesium finibus fovere, tueri, atque augere studeatis.

Imprimis autem Vobis summopere commendamus memoratam Societatem *Propagationis Fidei,* quae inde ab anno MDCCCXXII in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi Urbe primum instituta, mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est. Nec minori profecto commendatione reliquas huiuscemodi Sodalitates prosequimur, quae Vindobonae, aut alibi conflatae, diverso licet nomine distinguantur, in idem tamen opus Propagationis Fidei, religiosissimo etiam Catholicorum Principum favore sustentatum, aequa animorum contentione conspirant. Magnum sane opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis precibus a quolibet Sodalium ad Deum effusis sustinetur, augetur, invalescit; quodque Apostolicis Operariis sustentandis, Christianaeque charitatis operibus erga Neo-

phytos exercendis, nec non Fidelibus ab impetu persecutionum liberandis inductum, bonorum omnium admiratione, atque amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari Divinae Providentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi Sponsam lacessunt; nihil illi opportunius contingere poterat, quam ut desiderio propagandae Catholicae veritatis Christi Fideles inflammati, iunctis studiis, collataque ope, omnes Christo lucrifacere conniterentur.

Quare Nos in Suprema, licet indigni, Ecclesiae specula constituti nullam praetermisimus opportunitatem, quominus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes et promam Nostram in tam praeclarum opus voluntatem disertissime testaremur, et Fidelium in id charitatem congruis acueremus incitamentis. Et Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui in partem vocati estis sollicitudinis nostrae, sedulo agite, ut tantum illud opus ampliora quotidie penes commissum cuique gregem incrementa accipiat. *Canite tuba in Sion*, paternisque monitis et suasionibus curate, ut qui pientissimae Societati nondum sese comites adiunxerunt, illam perlibenter ingrediantur; qui vero eidem se addixerint, in proposito perseverent.

Hoc sane tempus est, „quo per totum mundum saeviente Diabolo, acies debet Christiana confligere"; atque adeo tempus hoc est omni studio providendi, ut plorantibus, orantibus, ac pro Fide laborantibus Sacerdotibus sancta hac sese coniungant conspiratione Fideles. In spem autem firmissimam erigimur fore, ut Deus, qui Ecclesiam suam in tanto Religionis discrimine, et in tam duro ac diuturno cum hostibus certamine, Omnipotentiae suae dextera sustentare non desinit, Fideliumque constantia, charitate ac devotione laetificat; multiplicatis Pastorum atque Ovium precibus, piisque operibus propitiatus, eidem tandem optatam tranquillitatem ac pacem misericorditer largiatur.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, et creditis vestrae curae Clericis Laicisque fidelibus universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem XVIII Kalendas Septembris Anni MDCCCXL. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Eppi Americae Septemtr. e Concilio suo Provinciali epistolam mittunt Summo Pontifici, qua et iniurias per Civiles Potestates Ecclesiae illatas dolent, et magnis in Borussia fidei Confessoribus, Coloniensi et Posnaniensi AEppis, egregium admirationis, venerationisque praebent testimonium, 1840.

MON. Inter plurima, quae diebus nostris Ecclesiam perturbant, et paterno cordi Sanctitatis Tuae molestiam afferunt, non leviora habenda sunt, quae derivantur ex persecutionibus, quibus in variis Europae ditionibus ab ambitione vel a pravitate Religio opprimitur. O portentum maxime dolendum! In illis ipsis regionibus, ubi olim reges inclyti, religiosi atque potentes appellationibus Catholicissimi vel Fidelissimi gloriabantur, hodie inter perditos mores procerum, virtute pariter atque bonorum aestimatione carentium fides spreta, disciplina eversa, S. Sedes despecta, altaria spoliata, monasteria vacua sangvine Sanctorum respersa, orbi terrarum atque summo coelo triste testimonium perhibetur, turpiter deiectas esse gentes, antiqui honoris immemores, ac priscae pietatis oblitas. Eheu! lacrymas ac preces potius quam indignationem clamant. Aliae quoque Potestates sibi nomen Catholicum vindicantes specie politici iuris Sanctuarii regendi partem sibi arrogant, Caesarisque auctoritate haud contentae, quae Dei sunt non solum ambiunt, sed invadunt. Ideo etiam Beatitudini tuae acerbitas pessima oborta. Talia inter domesticos fidei contemplantes, mirari non debemus, si inter inimicos Ecclesiae similia inveniantur. Regis Borussorum dominatio nec iustitiae memor, nec iure gentium restricta, nec aestimans fidem publicam S. Sedi datam, nec Regis ipsius verbum solemniter oppignoratum, ad terras Catholicorum obtinendas, nobis occasio doloris sed non stuporis fuit. Post strages Poloniae, post mala in istis regionibus religioni illata, vox Tua a solio Principis Apostolorum lugubria referens, perfidiam aliquorum Epporum Ruthenae gentis annuncians, nobis non inopinantibus ad aures pervenit, iam enim fama nunciabat Imperatorem illarum regionum curasse, ut omnia ad hoc ante para-

ta essent; sed quamquam perfida plurimorum defectio ibi ploranda sit, non tota gens virtutis oblita; sangvis martyrum inter Ruthenos Polonosque rubescit, Confessoresque gloriosi fidelitatem patrum antiquorum aemulantur. Extra fines Europae autem inter barbaros Sinenses persecutio quoque viget; atque in aliquibus Oceani Pacifici insulis instigantibus pseudoministris ex hac ipsa Foederatione egressis incultus regulus eadem iura politica praetexens Catholicos vexabat, donec Galliarum Rex ad cives suos immunes servandos hominem cohibuit. Quantum differt tum a subdola illarum gentium se cultas gloriantium perfidia, tum ab agendi ratione barbarorum eandem malitiam sed non eandem calliditatem exhibente generosa liberalitas Imperatoris Turcarum! Dum illi fidei struunt insidias, vel aperte conantur subvertere, hic, qui avitus habebatur Christiani nominis hostis, vincula fidelium disrumpens eos in plenissimam libertatem vindicavit.

Ingentibus fluctibus ab antiquo orbe divulsi, procul haec omnia contemplantes, animoque volventes quantopere Sanctitas tua, quam sollicitudo omnium Ecclesiarum premit, zelo domus Domini devorata sit, atque tristitia oppressa: nos quoque Capiti nostro compatientes afflicti fuimus, obnixisque precibus a Domino rogavimus, Te columen decusque nostrum gratia superna confortari, ut tota Dei domus incolumis servetur. Cordibus ergo nostris solamen pergratum, ac in propriis angustiis sustentaculum optimum fuere Sanctitatis tuae serena constantia, invicta mansuetudo, fides immota, ac verae humilitati innixa insuperabilis fortitudo. Dextram Salvatoris agnovimus, Petrum super undas instabiles huius seculi sustinentem et ad litus ducentem; recordati sumus verbi eius: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam; atque iterum: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Coelum et terra praeteribunt, verba autem Christi Domini non praeteribunt. Descendant itaque imbres, perflent venti, mugiant tonitrua, illuviesque absumant terrena: domus, quam sapiens divina manus super hanc petram erexit, inter feri maris fluctus firma semper manebit. Sic per 18 secula, ex quo piscator Galilaeus, ut princeps Apostolorum fieret, claves a manu Iesu recepit ad populum christianum regendum, fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania, astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus

Dominum et adversus Christum eius. Qui habitat in coelis, irridebat eos et Dominus subsannabat eos. Ubinam nunc isti potentes? Quasi gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, scientes bellum; non hos elegit Dominus, neque viam disciplinae invenerunt, propterea perierunt; et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Nos, nos ipsi vidimus illum, cui datum fuit ad tempus gloriari in malitia, qui inter diademata tamquam inter crepundia ludebat; ipsum vidimus potentem in iniquitate S. Sedem adgredi, manus sacrilegas patrimonio Petri iniicere, praedecessorem tuum beatae memoriae in carcerem turpiter detrudere; illum vidimus ex solio manu Dei excussum, dedecore fugientem, captum, scopulo in mediis undis toto orbe spectante alligatum, lentisque suspiriis animam per annos misere agentem periisse. Ubinam, Beatissime Pater, ubinam inveniendi hi, qui gladio suffulti Ecclesiam oppressere? Ex ruina tumbae Neronis videre licet mausoleum Vaticani. En scopulum S. Helenae, dum Christiano orbe plaudente Roma triumphans gremio suo excipit reducem Pium. Per haec secula quot et quanti tyranni, qui se dominatores familiae Dominicae esse cupiebant, indigne perierunt! Hodie quot millia millium Cathedram Petri sustentant!

Inter illos, qui nostris diebus antiquorum martyrum fortitudinem aemulantes pro fide atque disciplina sese tyrannis obiecerunt, de Ecclesia optime merentes Sanctitatis tuae praeconia obtinuerunt, atque fidelium cordibus gaudium attulerunt, ven. fratres nostros Clementem Augustum ex Bar. lib. de Droste ex Vischering, Coloniensem AEppum, atque Martinum a Dunin, Posnaniensem atque Gnesnensem AEppum admiratione contemplati sumus. Perdifficile nobis est dicere, utrum cum his Christi athletis de iniuriis illatis condolere debeamus, an gratulari potius quod digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Clerus noster populusque fidelis zelum atque devotionem illustrium Praesulum mirantes, suum erga eos affectum exprimere ardent, nosque eorum studia approbantes ac amore pro fratribus arrepti corda nostra illis exponere optavimus. Dum pro eis indesinenter Patrem misericordiarum supplicamus, epistolas mittere decrevimus, quarum exemplaria Beatitudini tuae subiici cupimus, ut Patri compertum sit, filios suos, quamquam fluctibus, civili regimine, aliisque divisos, fide atque caritate coniunctissi-

mos esse, ac pro Ecclesiae Capitisque eius iuribus et honoribus conservandis aemulatione sancta flagrare. — **Concilia Prov.** *Baltimori habita* 1842. p. 176.

1143.

AEppus et Metropolita Gr. Cath. Leopoliensis Pastorales dimittit ad Clerum literas de Primatu Rom. Pontificis, post infaustam Graecorum in Russia defectionem, A. 1840.

MON. Michael Lewiczky etc. Ex rumore iam antea pervulgato, et nonnullis saltem vestrum, dil. in Chr. fratres, per publicas etiam ephemerides innotuisse arbitramur, quam misere Ruthenі in Lithuania et Alba Russia ab unione cum S. Sede Romana defecerint. Quae circumstantiae deplorabilem hanc defectionem provocaverint, perspicietis ex Allocutione SS. D. N. Papae Gregorii XVI. Romae in Consistorio secreto die 22 Nov. a. c. habita, sequentis tenoris.*) — Plerique iam vestrum hac de re nobiscum colloquentes consilia illorum Ruthenorum de rumpenda sancta Unione ex animo reprobare, et de tanta Ecclesiae Rom. Catholicae illata iniuria ex animo dolere coram nobis testati sunt. Sed non dubitamus, vos omnes, qui in archidioecesi nostra ministri sacrorum constituti estis, eadem animi sensa fovere. Perspectum enim habetis, *institutionem Visibilis Capitis in Ecclesia Catholica divinam esse, et supremam in hanc Ecclesiam iurisdictionem Pontifici Romano, utpote vero et legitimo beati Petri Principis Apostolorum successori competere,* non solum ipsimet profitemini, sed etiam, prout in scrutiniis canonicae nostrae visitationis per universam Archidioecesim institutae, nominatim vero per catechisationes in tractu illorum scrutiniorum frequenter habitas experti sumus, officii vestri ducitis, populis vestris parochialibus doctrinam hanc exponere, atque debitam erga S. Sedem Romanam reverentiam, subiectionem et obedientiam inculcare. Itaque non quod opus fuerit, vos de necessitate unionis

*) Allocutionem Papae paulo superius sub Nro. 1140. exhibuimus.

cum S. Rom. Catholica Ecclesia nunc primo convincere, sed ut palam sit, vos non spiritum huius mundi accepisse, sed Spiritum, qui ex Deo est, quaedam de hac veritate vobiscum hic perpendere animo duximus.

Legenti codicem S. Evangeliorum undequaque perspicuum est, Christum Dominum collegio Apostolorum beatum Petrum praefecisse, ut reliquorum Apostolorum primus esset, opportunumque eis firmamentum exhiberet. Atque inde est, quod universa Ecclesia statim a primis suis exordiis Petrum velut Principem Apostolorum semper veneraverit, et nunc etiam ipsorum quoque Orientalium libris liturgicis testantibus continuo veneretur. Neque cogitandum est, primatum beati Petri ad solam eius personam, et ad ipsum tantum collegium Apostolorum restrictam fuisse; imo, quemadmodum Divini Salvatoris mens erat, ut potestas docendi omnes gentes et sacra mysteria administrandi Apostolis concessa ad successores eorum Eppos devolvatur, ita voluit etiam, ut praerogativa beato Petro attributa et insidens huic praerogativae auctoritas ad successores Principis huius Apostolorum continuo transeat, utque hi ad consummationem seculi Eppis universae Ecclesiae praesint, et salutis omnium supremam curam habeant. Divino huic sancito SS. Salvatoris orbem catholicum statim a temporibus Apostolorum se conformasse inconcussa antiquitatis christianae monumenta ostendunt; non tantum enim singuli ipsius quoque Graecae seu Orientalis Ecclesiae celebratissimi Patres et Antistites Primatum Pontificis Romani in universam Ecclesiam a beato Petro derivatum constanter professi sunt, sed veritas haec in tota Ecclesia adeo firmiter semper credebatur, ut illa etiam, quae in Conciliis Generalibus circa fidem et eccles. disciplinam communi omnium voto statuerentur, tunc nonnisi vim legis nanciscerentur et normam universalem efficerent, si eis votum Pontificis Romani et robur auctoritatis eius accesserit. Haec ab ipsomet Christo Domino stabilita unitas fidei et hierarchici regiminis per decursum octo primorum seculorum inconcussa vigebat, atque Oriens non minus quam Occidens Pontifici Romano tamquam visibili universae Ecclesiae Capiti intime adhaerens eandem fidem profitebatur, eodemque consilio quascunque haereses refellebat. Primus, qui circa medium seculi 8. inconsutilem Christi vestem lacerare ausus est, *Photius* erat, ad Patriarchatum CPnum contra normam a sacris

canonibus praescriptam intrans, dein autem in Concilio a. 869 cum consensu Romani Pontificis CPli habito damnatus et sede patriarchali eiectus, accedente voto ipsorum Epporum Graecorum, quorum animis tunc temporis persvasio de necessitate nexus cum Romana Ecclesia altius adhuc insidebat, quam ut assertis Photii ad rumpendum hunc nexum statim inducerentur. Sed ea est rerum humanarum conditio, ut nullus, evidentissimus licet, error sit, qui non suos deinceps nancisceretur sectatores. Quae Photius primus asseruit, *Michael Cerularius* dein circa medium Sec. XI. rursus in medium producere arbitratus est, eo quidem iam cum successu, ut reipsa Ecclesiam Orientalem ab Occidentali divelleret; brevi tamen post etiam ipse digitum Dei expertus; cum enim subiectione et obedientia erga Pontificem Romanum excussa etiam contra supremam Civilem Potestatem conspirare auderet, Patriarchatu privatus in insula Propontidis exul exspiravit. Licet autem praeeuntibus Photio et Cerulario Ecclesia Orientalis in schisma prolaberetur, multi tamen in ipsa hac Ecclesia doctrina, pietate et zelo gloriae divinae eminentes viri reperiebantur, quibus restauratio abrupti cum Ecclesia Occidentali nexus cordi erat, quive repetitis vicibus deplorandum illud schisma e medio tollere studebant. Docent hoc acta Concilii circa a. 1275. Lugduni, et alterius circa a. 1277 temporibus Ioannis Becci CPli habiti, et tandem acta Florentini Concilii a. 1439. celebrati. Unioni sanctae in hocce concilio restauratae subscripserunt Iosephus Patr. CPnus omnesque in Concilio congregati Eppi Graeci, cum his autem etiam Isidorus Metropolita Ruthenorum. Cumve synodali concluso Imperator quoque Graecorum Ioannes Palaeologus subscriberet, omni iam ulteriori Ecclesiae Orientalis et Occidentalis dissensioni finem impositum esse catholicus orbis gaudebat. Sed magna sunt iudicia Domini, et inenarrabilia verba eius, propter hoc indisciplinatae animae erraverunt. Dum enim omnes securum portum salutis iam appeterent, factum est, Divina ita permittente Providentia, ut Marcus Eppus Ephesinus Concilio Florentino assistens, votis omnium se opponeret, et adscitis sibi dein numerosis asseclis restauratam iam Unionem rursus labefactaret. Tenebris schismatis hoc modo denuo excitati etiam natio Ruthenorum involuta extitit, diuque in hac caligine infelix versabatur, donec tandem Maiores nostri Divinam

Patris coelestis misericordiam experirentur, et gratia eius adiuti veritatem perspicerent, atque exeunte Sec. XVI in sinum verae Ecclesiae, extra quam salus non datur, a Summo Pontifice Romano Clemente VIII. paterne reciperentur.

Patri itaque luminum et misericordiarum, qui nos hoc modo unius sui ovilis sub uno Pastore Romano Pontifice constituti membra efficere dignatus est, perennes pro hoc superno dono gratias referamus, et adducta superius Allocutione SS. D. N. Papae Gregorii XVI admoniti, infelicem quidem casum illorum, qui nuper veram Ecclesiam deseruerunt, perindeque suam et tot animarum pretioso sangvine Christi redemtarum salutem aeterno periculo obiecerunt, deploremus, atque Divinam Providentiam, ut faciat cum eis secundum misericordiam suam, et iustificationes suas doceat eos, imploremus, una tamen ferventes ad Divinum et Omnipotentem Salvatorem D. I. C. preces incessanter fundamus, ut nobis gratiam perseverantiae in Unione cum S. R. Cath. Ecclesia largiri, ipsamque hanc Ecclesiam et vigilantissimum eius Pastorem Pontificem Romanum incolumem semper conservare, et in tantis praesentium temporum angustiis efficaci consolatione roborare dignetur. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Leopoli die 18 Febr. 1840. — **Sion.** Pestini. 1840. Nr. 19.

1144.

Idem AEppus G. Cath. Leopoliensis doctrinam Ecclesiae de Primatu Romani Pontificis uberius evolvit literis pastoralibus ad Clerum suum A. 1841. datis.

INTR. Leopoliensis G. R. Metropolita praeter Pastorales post infelicem Graecorum Unitorum in Russia defectionem vulgatas, et numero praecedente occurrentes, in quibus de Primatu Romani Pontificis egregie sed breviter disseruit, a. 1841. fusiores super gravissimo hoc ac fundamentali argumento exaravit Pastorales literas, quas hic exhibemus. Eae reapse doctam, et

egregiam continent de Primatu, prout hunc Ecclesia Graeca numquam non agnovit, dissertationem, non modo argumenta multiplicia e graecis fontibus evolventem sed et obiectiones, quas schismatici inde a Photii ac Cerularii tempore obmovere consueverunt, dissolventem, omnique sub obtutu dignissimam, quae inter recentiora pro Primatu Monumenta locum capiat.

MON. Michael Lewicki Ruthenorum Unitorum AEppus Metropolita Leopoliensis etc. Primatum Ecclesiae Catholicae esse divinae institutionis, utpote ab ipsomet Iesu Christo mundi Salvatore beato Apostolo Petro collatum, et ad successores huius Apostoli Episcopos Romanos translatum, firmissimis argumentis in disciplinis theologicis probatur, *) et omnibus vobis notum est. Est autem operae pretium, veritatem hanc relate ad Ecclesiam Orientalem deducere etiam ex libris liturgicis huius Ecclesiae, quos hucusque ipsimet Nonuniti magni habent, et in suis liturgiis constanter adhibent. Deductionem hanc pro vestra notitia per praesentem Encyclicam nostram communicamus vobis. Et quidem 1. *Ecclesia Orientalis colit memoriam Vinculorum Apostoli Petri* die 16. Ianuarii, atque in Stichiris, Tropariis, ceterisque hymnis, officium pro hac die constituentibus, *Apostolum hunc tamquam fundamentum Ecclesiae, petram fidei, clavigerum Regni Coelorum, primi throni Apostolici possessorem, primum omnium Apostolorum, secundarium lumen animas illuminans, fundamentum immobile dogmatum, ab ipsomet Factore creaturarum clavibus divinis, nec non potestate ligandi et solvendi donatum, ad pascendas oves, ad pascendos electos, ad pascendos agnos designatum etc. repetitis vicibus laudat et celebrat. (Menaea pro Ianuario. Moscoviae. 1705. p. 265. ss.)* 2. Similia praedicat Ecclesia Orientalis de b. Petro die 29. Iunii in Tropariis, Stichiris et hymnis pro hac die compositis. Eadem die et in eodem officio celebrat quidem Ecclesia Orientalis etiam laudes Apostoli Pauli, *Petrum* tamen *expresse tamquam Primatem et Summum Apostolorum veneratur, atque repetitis vicibus profitetur, quod Apostolum hunc Aeternus constituerit praepositum et protothronium, quod Christus Deus cum thesaurum firmum Regni monstraverit, quod in eius confessionis petra Iesus*

*) **Klüpfel** *Inst. Th. Dogm.* Viennae. 1821. — **Ziegler** *das kath. Glaubensprincip.* Wien. 1823. — **Klee** *kath. Dogm.* Mainz. 1839. — **Aug. de Roskovány** *de Primatu R. P.* Aug. Vind. 1834.

inconcussam Ecclesiam fundaverit, quod Christus divinae suae Ecclesiae gubernacula praeprimis ei commiserit, potestatemque ligandi et solvendi dederit, quod ei tamquam glorioso Apostolorum Antistiti post suam resurrectionem praeprimis apparuerit, quod denique in proemium ter manifestati amoris dilectum suum gregem ei concrediderit, etc. Sed *Ecclesia Orientalis profitetur etiam et docet, collatum a Christo Domino b. Apostolo Petro Primatum ad eius Successores Episcopos Romanos transivisse;* patet hoc ex sequentibus: 3. Exeunte aerae Christianae seculo 1. praecerat Ecclesiae Romanae S. Clemens. Memoriam eius colit Ecclesia Orientalis die 25. Novembris, atque in officio pro hac die in Menaeis comprehenso sequentia praedicat: quod S. Clemens fuerit discipulus primi Apostolorum et in huius petra semetipsum tamquam honorabilem petram aedificaverit, quod ab Occidente tamquam sol radians illuxerit, sua doctrina terram illustraverit, et Orientales partes attigerit, quod per omnes fines terrae divina praecepta praedicaverit, quod tamquam aurora solis universo orbi doctrina sua praeluxerit, quod divinas leges omnibus explanaverit, omnemque disciplinam ecclesiasticam perfecerit, quod praedicationibus suis omnes ad fidem Christi perduxerit, quod potestatem ligandi et solvendi peccata a Salvatore Christo acceperit, quod ceu discipulus Petri et sectator etiam Sedis eius successor vere evaserit, quod demum Ecclesia praecepta ab eo promulgata tamquam praeclarum suum ornamentum spectet et in ipso glorietur etc. 4. Temporibus Constantini Imperatoris circa a. 314. Episcopatum Romanum tenebat S. Sylvester. Ecclesia Orientalis in eius memoriam die 2. Ianuarii sequentia in Menaeis praedicat: quod fuerit columna ignea consecratum Collegium (Episcoporum) sancte dirigens, quod doctrinae suae fluminibus omnem terram irrigaverit, quod eius sermones melliflui quaquaversus exiverint, et lumen doctrinae fines totius Universi illustraverit, quod Primas consecrati Collegii evaserit, atque thronum primi Apostolorum exornaverit, denique quod tamquam divinus — id est, a Deo constitutus — consecratorum Patrum (Episcoporum) Antistes sanctam doctrinam firmaverit, et haereticorum impia ora obstruxerit etc. 5. Circa medium Sec. 5. Sedem Romanam occupabat S. Leo. Ecclesia Orientalis celebrat memoriam eius die 18. Februarii, atque in officio in laudes eius composito appellat eum Caput orthodoxae Ecclesiae Christi, ocu-

lum fidei et firmum fundamentum, seniorem Summi Collegii (Episcoporum) regulam doctrinae certam, Sedis primariae Petri possessorem virtutibus et zelo huius Apostoli fulgentem, columnam orthodoxae Christi Ecclesiae, omnium haeresum debellatorem, auroram et solem ab Occidente fulgentem, Petri Venerabilis Successorem, eius Primatu ditatum et fervente zelo praeditum etc. 6. Medio Sec. 7. praeerat Romanae Ecclesiae S. Martinus. Ecclesia Orientalis colit memoriam eius die 14. Aprilis, et in officio pro hac die in Menaeis praescripto praeter alia in laudes eius commemorat: quod orthodoxae doctrinae gloriosissimus instructor nec non sanctorum divinorumque praeceptorum sincerus Antistes fuerit. Porro appellat eum flumen aquis spiritualibus repletum, candelabrum lumine orthodoxiae fulgens, ab Occidente quidem procedentem, sed et in Oriente conspicuum, zelo divino repletum et ecclesiasticam doctrinam firmantem, Roma quidem iniuste deturbatum et ab hominibus iniustis afflictum, ad instar solis tamen gradientem, et omnes orthodoxos illuminantem. Addit postremo: quod S. Martinus divinam Sedem Petri exornaverit, in ipsiusque petra immobilem Ecclesiam conservaverit, quodve tamquam sol splendens versus Orientem ab Occidente illuxerit et radiis orthodoxiae omnem terram illuminaverit etc.

Similia in aliis quoque libris liturgicis Ecclesiae Orientalis, eiusque celebratissimorum Scriptorum operibus frequenter occurrunt. Sufficiat hac vice sequentia tantum adhuc adducere: a) In laudes S. Papae Coelestini, qui inter 423. et 432. Romae Pontificatum gerebat, commemoratur in Synaxariis Ecclesiae Orientalis sub die 8. Aprilis, quod impiam haeresim Nestorii perstrinxerit, et hunc in Deiparam Virginem blasphoemantem Patriarcham CPnum deponi iusserit. Similiter quoque b) in laudes S. Agapeti Papae Romani, qui floruit Sec. 6. praedicatur, quod Antimum Patriarcham CPnum haeresi Eutychiana infectum Sede Patriarchali privaverit, et in locum eius Mennam Patriarcham constituerit. c) In memoriam S. Gregorii Papae II. qui secundo decennio Sec. 8. ad Sedem Romanam pervenerat, in Menaeis sub die 12. Martii ita dicitur: Deus vocavit te, ut sis Summus Episcopus eius Ecclesiae, et successor Petri Principis Apostolorum. d) S. Theodorus Studita a Papa Leone 3. Sedem Romanam exeunte 8. et ineunte 9. Seculo occupante suppressionem

pravae doctrinae haereticorum expostulans, in sua ad hunc Pontificem Romanum tamquam Patrem Patrum et Papam Apostolicum directa epistola statim in exordio ita scribit: „Quandoquidem Petro Magno Christus Deus post claves regni coelorum pastoralis etiam principatus contulit dignitatem, ad Petrum utique vel eius successorem, quidquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri. Quod nos quoque humiles et minimi a Sanctis olim Patribus edocti, postquam in Ecclesia nostra novitas quaedam nuper exorta est, per simplices literas nostras ad supremae Beatitudinis tuae angelum de ea referre nos debere arbitrati sumus.“ In ulteriori autem contextu epistolae suae eundem Pontificem: divinissimum omnium capitum caput, Archipastorem Ecclesiae, quae sub coelo est, divino pastorali principatu insignitum diversis vicibus appellat. Idem S. Theodorus Studita adversus Iconomachos opem exposcens, in sua ad Paschalem Papam Romanum scripta epistola Pontificem hunc appellat: Apostolicum Caput, a Deo praepositum pastorem ovium Christi, ianitorem regni coelorum, petram fidei, super quam aedificata est Catholica Ecclesia, Petrum, utpote Petri Sedem exornantem et gubernantem. Denique ad fratres propter Christum dispersos nec non in carceribus et exiliis detentos scribens, hortatur eos, ut haereticorum communionem fugiant, atque Ecclesiae Catholicae et Universali consentiant, haec enim Byzantina, inquit, segmentum est haereticum, cui solenne est, ab aliis frequenter abscindi. Eadem autem cum S. Theodoro Studita totam Ecclesiam Orientalem sentire apertum est, nam Ecclesia ista memoriam huius Sancti die 11. Novembris celebrans in officio pro hac die destinato laudat eum, quod fuerit orthodoxiae defensor, veritatis strenuus praedicator, columna et arx orthodoxae fidei, quodve doctrina sua omnes illuminaverit, et impia haereticorum dogmata represserit. Extat porro ordinatio Ecclesiae Orientalis, praecipiens, ut in Monasteriis sermones eiusdem Sancti incipiendo a Dominica de Publicano et Pharisaeo post Litiam solemniter et quidem ab ipsomet Hegumeno, in eius autem absentia ab Ecclesiarcha legantur, reliqui autem fratres lectionem istam attente audiant. Singula haec et pleraque alia evidenter ostendunt, antiquam Ecclesiam Orientalem firmiter persvasam fuisse, et palam docuisse, quod Primatus Petri ab ipsomet Christo Domino institutus, et ad successo-

res huius Apostoli Episcopos Romanos derivatus sit, quodve hi iura eiusmodi Primatus in Oriente etiam repetitis vicibus exercuerint.

His spectatis sequentia vobis, Fratres, animadvertenda sunt: 1. *Patriarchae CPni Photius et eius posteriori tempore successor Michael Caerularius, qui Primatum Pontificis Romani negare primi ausi sunt, nulla ratione excusari possunt; veritatem enim ab ipsomet Christo Deo stabilitam, et per continuam traditionem universae Ecclesiae notam, ac in Oriente non minus quam Occidente omni tempore sacrosancte custoditam evertere praesumserunt.* Quis non videt huiusmodi damnabili ausu temerarium quemcunque facile induci posse, ut ulterius procedat, adeoque non tantum Primatum Ecclesiae a Christo Domino institutum, sed etiam ipsam Ecclesiam eius, omniaque ab eo revelata dogmata et stabilita Sacramentorum mysteria evertere praesumat? Quemadmodum id reipsa Sec. 16. Lutherus, Calvinus, Zwinglius cum reliquis suis asseclis attentare non dubitaruut, et quemadmodum nostris quoque temporibus innumeri hostes Christi et Revelationis suo ingenio ultra modum confisi, faciunt, eo totis viribus contendentes, ut sibi aliisque persvadeant: Ecclesiae credendum non esse, modum colendi Deum arbitrio cuiuslibet hominis relictum esse, qualemcunque quis religionem adoptaverit, et qualiscunque demum Ecclesiae, aut nullius etiam membrum fuerit, salutem eius ubivis in tuto collocatam esse. 2. *Primatus, auctoribus Photio et Caerulario, Patriarchae CPno attributus non est iuris divini; nam ad stabiliendum huiusmodi primatum neque ex S. Scriptura neque ex Traditione vel minimum etiam documentum allegari potest. Superstructus est ille unice erroneae opinioni praedictorum duorum scissionis coryphaeorum, et est institutum pure humanum, atque ideo etiam sortem humanam subivisse iam cernitur.* Dum enim vera Ecclesia Catholica, utpote ab ipsomet Christo Domino in solidissima petra, contra quam nec portae inferi unquam praevalebunt, aedificata, ultra 18 iam secula cum suo Primatu inconcussa stat, et Pontifex Romanus antiqua sua primatialia iura per universum orbem terrarum, in ipsis quoque ditionibus aliter credentium, firmiter tenet et exercet, quam tristia Patriarchae CPno et ipsi Ecclesiae Orientali, cuius Primatum usurpavit, evenerunt! Pleraeque huius Ecclesiae portiones iamdudum auctoritati Patriar-

chae CPni renunciarunt, et quasdam Nationales Ecclesias, a nulla prorsus potestate ecclesiastica dependentes, sibi constituerunt, resque sacras Acatholicorum sensu per quasdam Synodos passim auctoritate civilium potestatum ordinatas et a nutu earumdem potestatum dependentes contra antiquum ordinem S. Hierarchiae ab ipsomet Christo Domino stabilitae et apostolica disciplina conservatae administrari patiuntur. Ipsi denique Orientales proprie dicti in infinitos sibique invicem oppositos errores, *) et schismata prolapsi, nec sibi invicem, nec CPno Patriarchae ullo subiectionis aut obedientiae vinculo uniti sunt, et in hoc tantummodo aliqua ratione unum sentiunt, quod omnes una cum Patriarcha CPno veram Ecclesiam Catholicam, et eius Primatem Pontificem Romanum agnoscere pertinaciter recusent. Non immerito sane dicendum venit, Regiones Orientales hucusque quidem existere, Ecclesiam autem Orientalem, olim in unione cum Occidentali tantopere florentem, ex quo ab hacce unione ceu palmes a vite separaretur, aridam evasisse, et desolatam esse, etenim omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. 3. *Sapiens omnino et fundatum fuit consilium Graecorum, qui tempore Concilii Florentini eiurato errore Photii et Caerularii pristinam Unionem cum Ecclesia Occidentali amplexi erant. Sapienter quoque et feliciter egerunt Maiores Nationis Ruthenae, qui exeunte Sec. 16. errorem eundem opitulante gratia divina perspexerunt, atque Pontifici Romano eotum Cathedram Petri occupanti Clementi 8. debitam subiectionem et obedientiam exhibuerunt.* Ex hoc iam tempore Rutheni Uniti manent ceu palmites in vite vera, et illa, quae de b. Apostolo Petro et eius successoribus Sanctis Clemente, Silvestro, Leone, Martino, superius ex Menaeis adducta sunt, non ore tantum, sed prout veros asseclas Christi decet, etiam corde profitentur. 4. Quamvis post schisma Photianum in libros liturgicos Ecclesiae Orientalis plerique graves, et verae ac a temporibus Apostolorum continua

*) Iam seculo 17 *Meletius Smotricki* nonunitorum AEppus Polocensis Unionis, de qua tunc temporis agebatur, acerrimus persecutor, in suo opere ‚Apologia' a. 1628. impresso testatur, quod ipsemet personaliter expertus fuerit, quam graves errores fidei in Ecclesiam Orientalem iam tunc temporis irrepserint. Smotricki redux ex Oriente eiuravit schisma, et communionem cum S. R. Ecclesia sub Urbano Papa 8 amplexus est.

traditione firmatae fidei contrarii errores irrepserint: tamen illa, quae, prout dictum, de Primatu ab Apostolo Petro ad eius successores Episcopos Romanos derivato in Menaeis continentur, nulli Disunitorum in mentem venit corrumpere, aut eliminare. Stant itaque intacta, etiam in versionibus slavicis, illyricis, valachicis, aliarumque lingvarum recentissimae quoque editionis. Hoc certe non coeco aliquo casu factum esse censeat aliquis, sed divina ita disponente providentia, quae duntaxat res cunctas ad suos sapientissimos fines semper misericorditer dirigere dignatur, et numquam malum hominibus contingere permittit, quin in proximo statim remedium etiam salutis ponat. Poteritne fieri, ut illa, quae apud Nonunitos in laudes Primatus Petro Apostolo ab ipsomet Christo Domino collati et in legitimos huius Apostoli successores Episcopos Romanos transfusi, statis temporibus cuiuslibet anni solemnissime pro officiis divinis ex Menaeis decantantur, numquam corda eorum pulsent, et ad amplectendam ipsam veritatem quam alta voce et pleno ore, atque frequentibus vicibus pronunciant, mentes eorum reducant? Videmus porro, quantopere illi restaurationem et exactam observationem antiquorum rituum et ceremoniarum Ecclesiae Orientalis apud suos urgeant. Etiam isthic zelus manifestat dirigentem Gratiam divinam, ante cuius oculos mille anni sunt tamquam dies hesterna, quae praeteriit, et quae certe serius aut citius dabit, ut externis rebus antiquae Ecclesiae Orientalis tanto studio incumbentes, ipsam demum doctrinam ab hac Ecclesia antiquitus recognitam et sacrosancte custoditam apprehendant, adeoque ad pristinam cum Pontifice Romano Unionem, quam S. Athanasius, S. Ioannes Chrysostomus, S. Ignatius, aliique doctrina et vitae sanctitate conspicui Patres et Antistites Orientales, ipsi quoque antiquorum illorum rituum et ceremoniarum eximii cultores, constanter fovebant, tandem redeant, atque tum demum effectum illarum precum consequantur, quas ad amussim utique antiquorum illorum rituum et ceremoniarum in liturgiis S. Ioannis Chrysostomi, et S. Basilii solemniter repetunt, clamantes post consecrationem: Et da nobis uno ore et uno corde glorificare et laudare venerandum et magnificum Nomen tuum Patris et Filii et Spiritus S. nunc et semper et in saecula saeculorum; inferius autem ante Orationem Dominicam: Unionem fidei et Communionem S. Spiritus petentes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram

Christo Deo commendamus. Easdem Orationes recitat quotidie etiam Ecclesia Ruthenorum Unitorum, implorans hoc modo ab Omnipotente Deo sibi quidem donum perseverantiae in unione cum vera catholica Ecclesia, illis autem, qui hanc Ecclesiam deseruerunt, gratiam conversionis, ut aliquando in sinum Matris derelictae revertantur, et in Unitate non oris tantum sed et cordis glorificent Patrem coelestem.

Solent quidem adversarii S. Unionis praeter alia motiva suae aversionis ab Ecclesia Romana allegare, quasi haec Ecclesia ritibus Orientalibus Latinos substituere, Episcoporum Graecorum auctoritati et iurisdictioni derogare, subditos eorum fideles ad ritum latinum perducere, et perinde unitam Ecclesiam pedetentim supprimere intenderet, quamobrem etiam Ecclesiam hanc suis bonis suoque splendore spoliatam, Clerum eius populumque despectui datum, et omnia ad deplorabilem statum redacta esse autumant. Quam multum attamen haec et similia asserta a veritate distent, publica monumenta docent; nam ut alia silentio praetereamus, ex ipsis iam Actis Oecumenici Concilii Florentini patet, Ecclesiam Romanam eotum solummodo Unionem fidei et caritatis intendisse, ritus autem Orientales Graecis intactos reliquisse, eorumque Metropolitis et Episcopis competentem iurisdictionem et auctoritatem integram servasse. Etiam posteriori tempore dum Rutheni sub Clemente 8. Unionem amplectebantur, Sedes Romana ritus eorum, iurisdictionemque Metropolitanam et Episcopalem minime abrogavit, sed potius omnia intacta esse voluit, urgens solummodo illam Unitatem doctrinae et disciplinae, quam antiqua Orientalis Ecclesia fovebat. Extant quoque multiplicia Pontificum Romanorum Decreta et Constitutiones, quibus conservatio ritus Graeci apud Unitos praecipitur, arbitrarius autem ex hoc ritu ad latinum transitus stricte prohibetur. Notum denique est omnibus, id quod etiam in Allocutione SS. D. N. Gregorii Papae XVI. nunc feliciter Ecclesiam gubernantis Vobis per Encyclicam nostram dd. 18. Febr. a. elapsi communicata iuste commemoratur, quam paterna sollicitudine Pontifices Romani Ruthenos Unitos constanter prosecuti fuerint, dum praeter alia beneficia in eos collata, etiam collegia ad erudiendos in doctrina et sanctitate morum Clericos Ruthenorum in pluribus locis, et unum quidem etiam in hac Leopoliensi urbe sub directione Patrum Theatinorum erexerint. Factum proinde est, quod iam elapso se-

culo, et antequam revindicatio Galliciae subsecuta esset, Unita Ecclesia Ruthenorum bene multos habuerit Clericos in disciplinis theologicis solide versatos, quorum alii in parochiis curae animarum applicati et etiam officiis Decanorum foraneorum fungentes reliquis doctrina et zelo praelucebant, alii autem Dignitates et Officia Ecclesiarum Cathedralium eximie gerebant. — Acta Capitularia, Archivum et Bibliotheca Archicathedralis Leopoliensis exhibent pleraque Monumenta eruditionis, pietatis et zeli horum virorum, et etiam in Decanatibus penes diversas Ecclesias parochiales pleraque testantur, quanta cum dexteritate iidem bonum Ecclesiae promovere studebant. Etiam Dioecesis Ruthenorum Premisliensis habuit plerosque Clericos in collegiis Pontificiis, nominatim in Leopoliensi PP. Theatinorum educatos, dein autem diversa etiam altioris ordinis Officia dioecesana bene gerentes. — Sane tantum abest, Ruthenorum ritui et splendori Ecclesiae eorum ob initam Unionem aliquid derogatum extitisse, ut potius huic Ecclesiae utpote eruditiori Clero provisae maiorem exinde splendorem, quo antea in Disunione existens penitus destituebatur, accessisse, palam sit. *) — — —

— Vana itaque sunt, quae adversarii de quadam in Ecclesiam Ruthenorum ex Unione promanante depressione somniant, Unionem istam in suis operibus theologicis et historicis, nec non etiam rerum diurnarum commentariis plerisque iniuriis, non raro etiam scommatibus afficientes. Scommata haec veritati certe nihil officiunt, causam potius desperatam adversariorum ostendunt, et illis ipsis male congruunt. Profecto sapientius operam tantam converterent ad scrutandam antiquae Ecclesiae Orientalis doctrinam, forte enim citius perspicerent, quam longe a fide et disciplina Sanctae huius Ecclesiae distent. Sed illi nesciunt, quid faciunt; vos autem argutiis eorum nullatenus moveamini, gaudete potius, quod vobis datum sit fovere Unionem Sanctam, quae verum nostrae Ecclesiae conciliavit splendorem, et in qua spes salutis nostrae fundatur. Quid enim est, externum rituum et ceremoniarum splendorem, aut Ecclesiasticorum ornamenta et magnificentiam iactare, ubi haec pompa ornamentorum et rituum nullum contra periculum salutis exhibet praesidium? Versari

*) In Pastoralibus loco praesenti (quem exmittimus) fuse proponitur, quantopere Graeco-Catholicos aula Imperialis Austriaca, Gubernium Civile etc. protegant, sacramque Unionem manutenere satagant.

autem in hoc periculo illos, qui Unitatem Ecclesiae scindunt, evidens est; nam Christus Dominus dixit: Ego sum via et veritas et vita; ego sum vitis vera, vos palmites; ego sum ostium ovium, per me si quis introierit, salvabitur; ego sum pastor bonus, et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. Voluit ergo Omnipotens Salvator in hoc visibili mundo Unam esse visibilem Ecclesiam, Unius visibilis Pastoris vigilantiae subiectam, et in hac Una Ecclesia media salutis deposuit; dicens autem Petro: Tibi dabo claves regni coelorum, confirma fratres tuos, pasce agnos meos, pasce oves meas — Apostolum hunc vice sua Supremum Unius Ecclesiae suae Pastorem constituit. Qui itaque hanc unam in Petro fundatam Christi Ecclesiam aspernantur, deserunt, scindunt, et singulares Ecclesias sibi condunt, nonne perinde Mandatis Christi Domini resistunt, et animas suas evidenti periculo illius iudicii obiiciunt, quod praedixit ipsemet Salvator inquiens: Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum, sermo quem locutus sum, iudicabit eum in novissimo die. Atque huius terribilis certe iudicii periculum evasit per S. Unionem Ecclesia Ruthenorum, etenim milliones fidelium eius ad unum verum ovile Christi reducti audiunt Unius et agnorum et ovium Pastoris vocem, et non ipsa tantum externa Ecclesiae suae prosperitate, sed iure meritoque ideo vel maxime gloriantur et gratias Deo iugiter reddunt, quod eos in illa Ecclesia comprehensos esse voluerit, quae ab ipsomet Christo Domino aedificata ultra 18 iam secula immutata subsistit; in qua omnis doctrina Christi Domini integre conservatur, omniaque mysteria salutis ab Eo instituta administrantur; cuius fides in universum terrarum orbem exivit, contra quam innumeri hostes et antea iam et nunc quoque frustra fremuerunt, et meditati sunt inania; cuius iam 257 Primates a b. Petro Principe Apostolorum incipientes, serie numquam interrupta hucusque sibi successerunt, et quemadmodum pleraque tam praecedentium seculorum, quam nostri quoque aevi historica documenta ostendunt, ab ipsis etiam aliter credentibus, imo ab infidelibus quoque honori habentur; quam denique nostris quoque temporibus viri Apostolici, Verbum Dei dirigente Pontifice Romano in remotissimis terrae locis praedicantes, exemplo SS. Confessorum et Martyrum pri-

mitivae Ecclesiae sangvine suo illustrant, digni profecto illis laudibus extolli, quibus olim b. Paulus antiquos Patriarchas ob eorum a mundi exordio usque ad David et Prophetas manifestatam in fide fortitudinem atque constantiam celebravit.

Videtis itaque, Fratres, quantopere nobis ex Unione cum Sancta Romano-Catholica Ecclesia non solum pleraque temporanea, sed, quod utique supremum est, aeterna etiam commoda prodeant. Haec devota mente versare numquam cessetis, et quae vobis in praesentibus literis nostris exposuimus, non tantum singuli privatis vestris studiis, sed prout iam alias vobis commendavimus, ad synodos decanales iuxta antiquam legem dioecesanam quovis trimestri convenientes communi opera trutinetis, ut de praestantia *S. Unionis ipsimet bene undequaque persvasi etiam populos vestros parochiales* in hacce Unione confirmetis. Unio ista, prout iam superius dictum est, abolitionem antiquorum rituum orientalium minime poscit. Ritus hi Sanctos Ecclesiae Patres auctores habent, ipsique sancti sunt. Tenete eos firmiter, et iuribus vestris quacunque ex parte praeiudicari haud patiamini. Sed memineritis, latinos etiam ritus et non minus quoque ritus florentis in Gallicia Ecclesiae Armenorum a SS. Ecclesiae Patribus procedere et Sanctos pariter esse. Ritus itaque istos pie semper suspiciatis atque sedulo cavete, ne sanctitati eorum atque iuribus cleri eosdem profitentis vestra culpa aliquando derogasse iudicemini. Non latet vos, Regnum Galliciae praeprimis autem capitalem eius urbem Leopolim singulari non semel in annalibus etiam historiarum memorato et vix alibi occurrente decore exornatam esse, quod scilicet clericos populosque comprehendat, qui tres quidem diversos ecclesiasticos ritus sequuntur, suosque proprios loci Ordinarios respiciunt, unam tamen eandemque fidem profitentur, uni Ecclesiae universalis Capiti Pontifici Romano obtemperant, unumque Deum uno corde adorant, et reciproca caritate sibi invicem in spiritu uniti sunt. Itaque Fratres estote solliciti servare hanc Unitatem Spiritus in vinculo pacis, ut in vobis iugiter verificetur praeclarum illud S. Psalmistae effatum: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in seculum. — Leopoli die 10. Martii 1841.

1145.

Gregorius XVI. AEppum Leopoliensem G. R. meritis cumulat laudibus ob Pastoralem de Primatu R. P. epistolam, plures simul adnotationes tum historicas tum doctrinales adiiciens. A. 1841.

MON. Perlatum ad nos est exemplum Epistolae Pastoralis datae a Te die 10. mensis Martii huius anni, qua id tibi propositum fuit, Ven. frater, ut Clero tuarum dioecesium, ac per eum fidelibus Ruthenis, qui sub tua cura sunt supremam auctoritatem Romani Pontificis et custodiendae cum illo communionis necessitatem studiosissime commendares. Hoc sane vigilantiae ac zeli tui documento lenitus est aliquantulum, qui iam diu haeret infixus cordi nostro acerbissimus dolor ob damna inter Ruthenos nonnullorum locorum rei catholicae illata, et permultos nostrorum in Christo filiorum in magno Religionis periculo versantes, ac praesertim ob infandum illud facinus Ruthenorum quorumdam Antistitum, qui altero abhinc anno ad Graeco-Russos Acatholicos transfugae parricidalia contra Matrem Ecclesiam arma sumserunt. Igitur gratulamur tibi in Domino vehementer, quod licet gregi praesideas sub Catholici et benignissimi erga illum amantissimique Principis ditione constituto, non tamen fugerit prudentiam tuam, quanta esse soleat pravorum huiusmodi exemplorum vis, qualibusque insuper artibus acatholici homines uti consveverint ad decipiendos incautos, atque adeo tuum esse intellexeris, ut de salute sollicitus dilectarum ovium, ipsis ingruentium periculorum initiis omni ope atque opera obsisteres. Gratulamur deinde speciatim de ratione a te prudentissime adhibita, ut Pontificii Primatus dogma testimoniis etiam confirmares librorum liturgicorum, quibus Rutheni seu Graeco-Russi omnes tum Catholici tum Acatholici diversarum nationum ad nostra usque tempora usi sunt. Profecto cunctis, qui Christiano nomine gloriantur, satis esse deberet plenissima illa eius veritatis ostensio,

quae ex divinis Scripturarum libris, constantique Veterum Patrum tum Occidentalium tum Orientalium traditione, atque adeo ex irreformabili universalis Ecclesiae doctrina clarescit. Sed nihilominus confirmatio dogmatis eiusdem ex libris assumta antiquo commendatis Ruthenorum usu, atque — ut opportune adnotas — in plures quoque variarum Nationum lingvas interpretatis, peculiarem habet vim Catholicis eius ritus in S. Unionis cultu custodiendis, eademque Graeco-Russos seu Ruthenos Acatholicos luculentiori quodam proprii sui oris testimonio redarguit. Nec refert, si recens apud hos aliqua iis in libris resecta forsan hoc in genere aut subdole immutata fuerint; quum imo ex mutationibus huiusmodi nedum ipsarum auctores inexcusabiles fierent, sed ipsa quoque illorum testimoniorum vis illustrior per eam fraudem ac manifestior evaderet. Iam vero et illud opportunissimum fuit, quod in tua epistola commemorasti de statu schismaticae Ecclesiae CPnae, uti et aliarum Ecclesiarum a Sanctae huius Sedis auctoritate rebellium, quae in diversos prolapsae errores, et dissociatae paulatim alterae ab alteris, ne umbram quidem retinent sanctae illius catholicae et apostolicae Unitatis, quam inesse omnino in vera Christi Ecclesia ipsae quoque una nobiscum in CPno Symbolo profitentur. Quo in loco scitissime insuper adnotasti, plures illarum redactas fuisse in subiectionem omnimodam civilium potestatum, et contra Hierarchiae ordinem a Christo Domino institutum earum nutu atque arbitrio sacris in rebus gubernari. *) Pergratum pariter nobis fuit in eadem epistola tua legere, quae contra illos animadvertis, qui Sanctam hanc Sedem calumniari non verentur, quasi tum Orientales alios tum etiam Ruthenos sibi obedientes avertere semper studuerit a propriis ipsorum ritibus, ut tandem eosdem omnes ad latinum ritum traducat. Quam longe id a veritate absit,

*) „Penes Imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. Attende, quid dicat Apostolus: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores et Doctores ad perfectionem Ecclesiae. Non adiecit: Imperatores.“ Ita *Ioannes Damascenus* de imagin. Orat. 2. n. 12. — *Athanasius* vero in hist. Arian. ad Mon. n. 52: „Quandonam, inquit, Ecclesiae decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac Synodi coactae sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta, sed numquam Patres res huiusmodi Imperatori svasere, numquam Imperator ecclesiastica curiose perquisivit.“

manifestissime evincitur ex plurimis Rom. Pontificum Sanctionibus — a te etiam laudatis —, quae scilicet sive Orientalibus ceteris, sive Ruthenis Catholicis nominatim permissum decernunt usum suorum rituum, ea tantum exceptione adiecta, ut eiusmodi ritus veritati et fidei Catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant. Hinc porro si factum aliquando est, ut in ritu nonnullarum Ecclesiarum peculiaris aliqua circa unum vel alterum eius caput mutatio expeteretur, non aliter illam probavit decrevitque Apostolica Sedes, nisi graves id causae svaderent; cautumque voluit, ut nihilominus suo semper in robore permanerent Pontificiae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta de Orientalibus Ritibus conservandis. Eo insuper spectant Scholae et Collegia sumtu aut cura Praedecessorum nostrorum tum alibi tum Romae aperta Clericis diversorum rituum informandis; eo spectant Ecclesiae in illorum usum destinatae, ac non denegata Episcopis Presbyterisque facultas celebrandi etiam more suo in Ecclesiis Latinis; eo denique spectat, quod iam diu institutum est, ut quoties Romanus Pontifex solemniter celebrat, adsint una cum Latinis Subdiaconus atque Diaconus Graeci Ritus, qui et ipsi Epistolam et Evangelium sua lingva decantant. Postremo nec praetermiserunt Romani Pontifices inconsultam reprehendere illorum rationem, qui Orientales Catholicos ad Latinum Ritum amplectendum allicerent. Totam hanc Ecclesiae Romanae in permittendis, tuendis honorandisque tum aliorum Orientalium tum Ruthenorum ritibus oeconomiam explicat fusius multisque omnegenus documentis illustrat Benedictus XIV. immortalis memoriae Decessor Noster in Literis, quarum initium „Allatae sunt“ datis die 26. Iulii 1755. quas quidem literas cum quis attente perlegerit, habebit profecto, unde illorum inscitiam coarguat, qui Summos Pontifices erga Orientales Liturgias minus aequos fuisse contendunt.

Illud vero dolendum, quod ex servata apud Ruthenos Catholicos sui ritus disciplina occasionem arripiunt Graeco-Russi Acatholici, ut eos subdole avertant a Romana Ecclesia, quasi in diverso ritu diversam religionem habente, atque adeo impellant facilius ad schismaticam suam communionem, quam vix in paucis ac nullius pene momenti rebus ab illorum cultu distingvi comminiscuntur. Probe autem nosti, Ven. frater, quanta penes rudiorem praesertim populum vis esse soleat in huiusmodi cavilla-

tionibus ex rerum similitudine externaque veluti facie petitis. Ne desistas itaque toto pastoralis vigilantiae studio prospicere, ut tuus iste grex iis fraudibus minime capiatur. Hunc vero in finem praecavere primum oportet, ne idem illud seductionis periculum maius evadat ex nova aliqua commutatione, qua scilicet Rutheni Catholicorum ritus ad pleniorem cum schismaticis similitudinem accomodentur. Enimvero si de iis ritibus loquimur, qui ad professionem quodammodo fidei et unitatis Catholicae, atque ad detestationem schismatis pertinent, hos quidem variari prorsus non posse manifestissimum est. De aliis autem ritibus, quos Rutheni Catholici retinuerunt ex veteri suo more, aut quos progressu temporis ad tuendam suam a schismaticis separationem, seu alias quascunque ob causas adoptarunt, hi quoque haud certe possunt variari pro lubitu, atque in tanto praesertim huius temporis periculo maximae prorsus imprudentiae foret quidquam eo in genere ad schismaticorum placita detrahere, adiungere, aut quomodolibet immutare. Huc insuper spectat, ut intento iugiter animo caveas, ne Clerus populusque iste Missalia accipiant, vel Catechismos, aut alios liturgicos seu religiosos quoscunque libros, qui ex officinis Schismaticorum prodierint. Quam circa rem eo maior adhibenda vigilantia est, quod Graeco-Russi libros huiusmodi ad rationem suam callide aptatos magno nuper exemplarium numero edidisse narrantur, eosdemque Ruthenis Catholicis modico aut etiam nullo petito pretio obtrudere gestiunt; speciatim vero Catechismum non lingva solummodo qua ipsi utuntur, sed germanice insuper interpretatum evulgarunt, ut de hoc proinde magis adhuc timendum sit, ne inter Ruthenos, qui in Dioecesibus tuis aut in aliis Germaniae regionibus sunt, diffundatur. Deinde non intermissa unquam sollicitudine providere perges, ut sacerdotes, qui sub te sunt, ipsi inter se diligentius considerent; et tecum una, prout res et occasio postulat, opportune populum doceant, differentiam quidem illam, qua Rutheni Catholici a Latinis distingvuntur, utpote quae aliquibus tantum merae disciplinae capitibus sacrisque nonnullis ritibus continetur, et Sanctae huius Sedis auctoritate permissa est non disrumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves invicem conglutinantur, contra vero Graeco-Russis nihil prodesse totam illam suorum cum vestris ritibus similitudinem, quum ipsi nihilominus ab omnibus Catholicis seu Ruthenis seu

Latinis seu alterius cuiuscunque ritus dissentiant in rebus ad veram pertinentibus fidem, ex qua iustus vivit, atque ad subiectionem erga successorem Petri Apostolorum Principis Romanum Pontificem, cui, ut verbis utamur Patrum Chalcedonensium, vineae custodia a Salvatore commissa est, ad cuius Ecclesiam, ut Irenaeus loquitur, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, cum quo denique, ut inquit Hieronymus, quicunque non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Iuxta haec igitur rationi insistens iam a te sapienter adhibitae admonere gregem non cessabis, ut constantissimi adhaereant sanctae huic Unitati, et Fidei Catholicae, quae a Christo et ab eius Apostolis annunciata, atque a SS. Patribus tum Latinis tum Orientalibus inviolate custodita, et unanimi consensione praedicata, et transmissa ad nos est; quam tenuerunt etiam Rutheni Russive omnes, quo tempore sive Graecorum Sacerdotum Romanae Sedi tunc adhaerentium, sive etiam Latinorum ministerio ad Christi ovile adducti sunt. *) De schismatica vero Graeco-Russorum communione perges dare operam, ut oves tuae penitus intelligant, illos non alios habere auctores suae a nobis scissionis, nisi Michaelem Caerularium, aliosque sive undecimi a Christo seculi sive recentioris adhuc aetatis superbissimos homines, qui rebellionis signa erigere ausi sunt contra Ecclesiae Catholicae doctrinam et auctoritatem totius licet vetustatis consensione comprobatam, quique porro evanuerunt adeo in cogitationibus suis, ut in liturgicis suorum Sectatorum libris intactas reliquerint preces laudesque illas, quibus suprema, quam tantopere oderunt, Ecclesiae Romanae auctoritas luculentissime praedicatur. Verum ut augeatur in Ruthenis fidelibus unitatis amor iidemque uberioribus eum in finem divinae gratiae robo-

*) Generalem Russiae conversionem ante annum 1000 sub Volodimiro piissimo Principe contigisse, testatur inter alios *Nestor* Monachus, Ruthenae historiae parens, in Chronicis slavo sermone scriptis, quae Petropoli edita sunt. Cessaverat iam a 100 annis schisma Photii. Volodimirus vero obiit a. 1015, atque ita longe ante a. 1053, quo tandem Michael Cerularius CPli schisma instauravit. Sed Russi multo adhuc tempore perseverarunt in obedientia Ecclesiae Romanae. Imo ex literis Gregorii VII a. 1075. ad Demetrium Russorum Regem eiusque uxorem datis manifestum est, hos misisse Romam filium suum, ut regnum sub Petri Apostoli protectione ponerent.

rentur auxiliis, docere ipsos iuvabit brevem aliquam precationis formulam, qua saepius a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constanter veram Catholicam fidem, atque adeo in necessaria S. huius Sedis communione firmiter perseverare. Harum vero precationum usus et vicem supplebit amplioris instructionis, cui rudiores praesertim laici haudquaquam forent idonei. De Clero sane satagendum est, ut rite omnia noverit, quae sui muneris sunt, nec desint in Sacerdotum ordine viri plures ad sacras disciplinas diligentius exculti, qui potentes sint exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere. Atque id ut futuro etiam tempore feliciter consequaris, perges, ut certe facis, cunctos pastoralis zeli nervos intendere, quo minores clerici tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad doctrinam informentur omnino Catholicam, atque ab erroris cuiusque periculo alienam. Eo etiam spectat; ut maior, qui fieri poterit, illorum numerus a prima aetate, ut Tridentina Synodus monet, in Seminarium ecclesiasticum recipiantur, ubi a probatissimis viris sedulo instituti sub tuis oculis in spem Ecclesiae succrescant. Numquam interea invigilare cessabis tum Seminarii eiusdem Moderatoribus, tum aliis extra Seminarium Magistris minorum maiorumque disciplinarum, ut nemo illorum ab officio declinet, sed una omnium cura sit in teneros adolescentium animos catholicae veritatis amorem et horrorem schismatis instillare. Ita Deo benedicente continget, ut nihil unquam Clero tuo potius sit, quam praedicare veram cath. fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit; eoque ipso et unionem fovere cum Ecclesia Catholica, a qua quisquis fuerit separatus, non habebit vitam *) et obedientiam tueri erga supremam hanc Petri Cathedram, ubi Christus Dominus ipsius Ecclesiae fundamentum posuit, in qua proinde est integra Christianae Religionis et perfecta soliditas.

Haec sunt, Ven. frater, quae tecum nostris hisce literis communicare voluimus, sive ad gratulandum eximiae tuae vigilantiae, sive ad zelum ipsum tuum pro supremi nostri apostolatus

*) Conc. Zertense a. 412 in synodalibus literis ad Donatistas: ‚Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.‘

munere adiuvandum. Plane autem non ambigimus, quin aeque tibi gratulentur alii Ven. fratres Catholici Ruthenorum Praesules, et maiorem inde animum sumant, ad suum quisque gregem alacriori sedulitate muniendum adversus Schismaticorum fraudes, et in sancta Ecclesiae unitate custodiendum. Utinam te atque ipsos non contristassent quidam illi eiusdem vestri ritus Antistites, quos duobus ante annis rebellasse a Catholica veritate deflevimus. Heic autem temperare nobis non possumus, quin rursus doleamus etiam atque etiam calamitatem fidelium ovium, quibus iidem praepositi fuerant, quaeque nunc pastorum loco veros in eis habent lupos in ipsarum caedem furentes. Nos quidem nihil intentatum relinquimus, quo illas eripiamus ab eorum faucibus et a conditione miserrima, in quam deiectae sunt, Deo bene iuvante relevemus. Nec sane desistimus, ipsum Patrem misericordiarum per Iesum Christum Filium suum omni, qua possumus, supplicum precum contentione orare et obsecrare, ut roborare illas dignetur validioribus gratiae suae donis, simulque propitius adsit sollicitudini nostrae, qua levamen eis atque opem ferre connitimur. Denique tibi etiam, Ven. frater, et creditis fidei tuae ovibus nec non ceteris omnibus aliorum locorum Ruthenis fidelibus universis prospera et salutaria omnia impense precamur a Domino, et nostrae testem studiosissimae benevolentiae Apost. benedictionem etc. Datum Romae die 17. Iulii 1841.

1146.

AEppus Leopoliensis G. R. Breve Pontificium cum Clero suo communicat, A. 1841.

MON. Literas nostras pastorales de Primatu Pontificis Romani ex libris liturgicis Ecclesiae Orientalis vindicato ad vos, carissimi in Christo fratres, die 10 Martii a. c. missas SSmus Dnus noster Gregorius XVI vigore literarum apost. dd. 17. Iul. a. c. benigne approbare dignatus est, additis paternis observationibus, contenta illarum pastoralium luculentius confirmantibus. Gaudii, quod exinde percepimus, Vos etiam, qui Primatum Pontificis Romani nobiscum firmiter profitemini, participes reddere cupientes, praelaudatas Suae Sanctitatis apostolicas

literas verbotenus vobis communicamus. — Haec sunt itaque verba apostolica Suae Sanctitatis Gregorii XVI, quae nobiscum benigne communicare dignatus est. Paterna eius omnium Ecclesiarum sollicitudo nostram quoque Unitam Ecclesiam singulari amplectitur benevolentia. *Divinitus constitutus, ut confirmet fratres, docet Beatissimus Pater*, quid Clero et fidelibus Ecclesiae Unitae agendum sit, ut cum ovibus Christi in vera Ecclesia comprehensis indissolubili vinculo perenniter conglutinentur; a quibus autem cavere debeant, ne fluctuantes et circumlati omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris a recta fide excidant. Hanc itaque apostolicam doctrinam accipite, fratres in Christo dilectissimi, cum filiali devotione, et non solum ipsimet constanter ei adhaereatis, sed etiam populis curae vestrae parochiali concreditis exponere eam et inculcare numquam cessetis, ut omnes in fide et unitate catholica in dies magis consolidentur, et ita salutis aeternae participes fiant. Deus et Pater misericordiarum iuvet operas vestras in tuenda ampliandaque Unigeniti Filii sui haereditate, et ostendat super vos abundantes divitias gratiae suae in bonitate, in Iesu Christo. Amen. — Datum Leopoli die 11. Oct. 1841. — Tria haec Monumenta continentur in opere: **Theiner** *die Staatskirche Russlands im J. 1839.* Schaffhausen. 1844. p. 354.

1147.

Eppi Americani acta **Concilii Baltimorensis** a. 1843. celebrati Summo Pontifici substernunt.

MON. Finem hodie imposituri Concilio Provinciali Baltimorensi V, in quo Dominica IV post Pascha convenimus, *oculos, mentes et corda ad B. Petri successorem, et ad Sedem principalem, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, ut fas est, convertimus, velut ad solem aeterni luminis, ut ex ipsa rutilantem veritatis et sanctorum ac spiritualium dogmatum splendorem recipiamus, cum approbatione et confirmatione decretorum, quae statuenda censemus pro prosperitate et pace Eccle-*

siarum nostrarum, si ea, quae a nobis condita sunt, *supremo Apost. Sedis iudicio, cui et nosmetipsos et acta nostra submittimus,* sancienda videantur. Ad pedes SS. Patris nostri Gregorii feliciter et gloriose regnantis provoluti, gratos et iucundos animorum nostrorum sensus cohibere non possumus, videntes, quod sub Pontificatu eius longius latiusque in dies diffundantur Evangelici luminis radii, et Civitas sacerdotalis et regia pacificas Christi Redemtoris victorias et suas ubique terrarum extendat. Gloriosa quidem nobis dicta sunt de certaminibus non sine sangvine, qui semen Christianorum fiat, athletarum S. Religionis nostrae invictorum, qui in plagis orbis terrarum Orientalibus iam a plurimis seculis, imo ab ipsomet reparatae salutis nostrae initio umbrae mortis caligine coopertis evangelisant pacem, evangelisant bona. Advenit tempus acceptabile, adveneruntdies salutis. *Ad altam Petri rupem confugiunt, ut ab inundantibus idololatriae, superstitionis, haeresum, vitiorumque fluctibus tutae fiant gentes. Ad Christi summi animarum nostrarum pastoris Vicarium tendunt manus Asiatici, tendunt et Aethiopes, petunt panem, exquirunt lucem.* Nomen Iesu, a quo non est aliud nomen datum hominibus in quo salvi fierent, confitentur, *almum recognoscentes sequentesque Pastorem, cui soli a Domino commissa est cura, universum gregem eius, agnos scilicet pascendi et oves.* In Europa vero, ut ad aures nostras fama verax detulit, praevaricatores revertuntur ad cor, seu ut magis placet dicere, ad domum suam iucundam, unde spiritu erroris innumeri seducti et alienati fuerant, filii regrediuntur et ab amantissimo Patre apertis brachiis complectuntur etc. — Baltimori 21 Maii 1843. — *Concilium Prov. Baltimorense V habitum a. 1843.* Baltimori. 1844. p. 19.

1148.

Eppus Diniensis in Gallia Capitularia condit Statuta a S. Sede approbata, in iisque de eadem S. Sede magnifice se enunciat, A. 1843.

MON. Maria Dominicus Augustus Sibour, Eppus Diniensis etc. Ex quo licet infirmitate circumdati ad eminentem et formidabilem, qua fulgemus, dignitatem vocati fuimus, caputque nostrum perfundens sacratissima unctio eppali nos charactere insignivit, officiorum nostrorum multitudinem et gravitatem oculis emensi nil nisi prius divina ope implorata facere, nil ad exemplum magni pontificis et martyris invicti Cypriani Carthaginensis sine presbyterii nostri consilio decidere constituimus. Vix itaque ad vos pervenimus, quum omnem impendimus curam, ut hoc amplissimo electorum Presbyterorum ordine stiparemur, qui nostri in rebus gerendis consiliarii atque adiutores essent, nobisque doctrina lucem et prudentia solamen afferrent. Et re sane vera elapso triennio, ex quo huius Dioecesis gubernacula suscepimus, non possumus quin eos summis laudibus extollamus: numquam enim eorum ope perspicere destitimus, quid ipsi Clerici nostri valerent et vellent, quid populi nobis commissi necessitates ferrent, quique maiorem animarum utilitatem procurandi modus nobis praesto esse posset. Cum itaque pastoralis ministerii cura nobis onus imponat, ut quod sic in usu tam fauste habuimus, firmis statutis pro bono dioecesis nostrae atque Capituli dignitate constabiliamus, de re tanti momenti et eccles. disciplinae valde conformi longa nobis experientia praelucente mature tractare posse quam maxime gaudemus. In Vet. Test. lege, ut apprime scitis, sangvinis et familiae vinculo colligabatur sacerdotalis coetus. Aaron filiorum auxilio in sacro ministerio utebatur, et a magno sacerdote ad Levitarum minimum usque relationibus innumeris quasi totidem nexibus natura simulque religione efformatis omnia sanctae tribus membra connectebantur. Divinae huius institutionis ratio adhuc in catholico sacerdotio

viget. Caritas, sangvinis et naturae vinculis fortior, ex diversis quibus illud constat membris unum corpus unamque animam efficit, atque per admirabilem huiusce hierarchiae unitatem terribilis ut castrorum acies ordinata Ecclesia Christi iuvante Deo omnia vincit, hostibusque quantumvis polleant immota resistit. *Supremus Pastor, Petri successor, communis Epporum, presbyterorum et fidelium pater, universali ubique locorum sollicitudine super omnes circumdat, veramque electionis familiam efficit, super greges vigilat, et agnos et oves simul pascit. Hunc, velut quondam Christum Dominum Apostoli, Episcopi circumstant, et postquam ab hoc germano fonte iurisdictionem acceperunt*, apostolicum ministerium in Ecclesiis sibi commissis exercent, *a Romano Pontifice coelestis Patris in terris imagine numquam disiuncti*, neque a fratribus et filiis, quos ipsis sacrosancta Religio dedit, illi pietatis et filialis dependentiae, istis caritatis ac benevolentiae nodo constringuntur. Mirabilis haec Epporum cum Catholicae Ecclesiae Capite concordia in qualibet quoque Ecclesia sese manifestam prodit. — *Sancta Romana Ecclesia omnium aliarum mater et magistra atque diligens disciplinae custos*, perseveranter in institutis retinendis permansit, quae eam sancta docuit antiquitas; *Romanique Pontifices ut successores illius, cuius fides non deficiet*, in supremae potestatis exercitio numquam non curavere stipari hoc sacro Senatu, qui ad nostros usque dies non tantum praeteritorum memoriam, disciplinarum atque virtutum maiestatem, verum etiam antiquorum officiorum veritatem conservat. Ecclesiae Romanae constitutio, quae ceteris exemplo praefulget, clarissime provenit ab Apostolorum aetate, cuius traditiones ipsi custodiendae praecipue commissae sunt. Pulchram hanc eccles. constitutionem non modo Romae Summi Pontifices semper germanam servaverunt, sed illam quoque apostolica sua auctoritate utentes in universis Ecclesiis firmare semper studuerunt. Propterea transactis illis tempestatibus, quarum sola recordatione moeremus, quum apud nos Religio nonnisi ingens esset ruina, visus est supremus Pontifex indefesso animo disiectas sanctuarii colligens petras, et altera quidem manu sedes Eppales, altera vero *Capitula* restituens. — Ceterum ne temeritatis nota nobis inureretur, antequam haec *Statuta* — promulgarentur, persvasum nobis esse expetivimus de omnimoda convenientia cum disciplina eccles. et

praesentis temporis rationibus. Eo itaque consilio *Summum Pontificem adivimus*, qui ea approbare, apostolicaque sanctione, ut fideliter in posterum a Canonicis et Capitulo Diniensis Cathedralis serventur, munire dignatus est. — *Institutions Diocesaines on Recueil des Reglements publics par l' Eveque de Digne.* Paris. 1845. p. 31. ss.

1149.

Patriarcha Armenus Ciliciae in Consistorio Romano Pallio S. decoratus omnimodam cum S. Sede Ap. communionem per Procuratorem suum disertissime profitetur, A. 1844.

MON. Cilica Patriarchalis Ecclesia, Beatissime Pater, Armenorum Catholicorum, quae Patriarchae sui obitu viduata squallens ac perturbata remanserat, hodie (25. Ian.) iucunditatis stolam iterum induit, maximaque laetitia perfunditur, quod electionem praestantissimi viri D. Gregorii Der-Asdvazadurian communi Epporum consensione nuper factam in Patriarcham apostolica tua auctoritate confirmare dignatus sis, eumque S. Pallii de D. Petri corpore sumti, in quo plenitudo potestatis pastoralis est, ornamento hodierna die decorare. Quamobrem pro tanto hoc collato beneficio tum ipsius Patriarchae, tum etiam totius nationis nomine immortales Beatitudini tuae ago gratias, illud quoque simul certo testatum volo, praeclaris illum ornamentis istis et benevola Pontificia voluntate devinctum, in gratissimi sui animi luculentius argumentum promittere: *cum hac Sancta Romanaque Ecclesia, matre ac magistra omnium Ecclesiarum, cum qua propter principatum omnes consentire Ecclesias necesse est, firmissime se ad mortem usque communione adhaesurum. Atque tibi, Beatissime Pater, in quo Petrus intelligatur et honoretur, cuius dignitas in optimo haerede non deficit, per me promittit obedientiam, honorem et reverentiam, nihilque ipsi sanctius futurum, quam omnia sive iussa, sive monita Sanctitatis tuae tamquam ab ipso Petri ore manantia*

excipere ac venerari. — **Der Katholik.** *Eine relig. Zeits.* Mainz. 1844. p. 359.

1150.

Gregorii XVI Encyclica adversus **Societates Biblicas.** A. 1844.

MON. Inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac aetate Acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus Catholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate Fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum Societates Biblicae, quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque diffusas facto veluti agmine in id conspirare conspicimus, ut Divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter Christianos iuxta atque Infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus a), *et garrulae anui, et deliro seni, et sophistae verboso, et universis,* si modo legere norint, cuiusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum; imo, quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

Sed Vos quidem minime latet, Venerabiles Fratres, quorsum haec Societatum earumdem molimina pertineant. Probe enim nostis consignatum in sacris ipsis Literis monitum Petri Apostolorum Principis, qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illis „quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem," statimque adiicit: „vos igitur, fratres, praescientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate b)." Hinc et perspectum Vobis est, vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem,

a) Epist. ad Paulinum §. 7., quae est Epistola LIII. Tom. I. Op. S. Hieron. edit. Vallarsii.

b) 2. Petri III. 16, 17.

ut repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae Catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, *aut sensus expositione* interverterent a). Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam ut in eorumdem versionibus per Societates Biblicas multiplicatas gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia vel fraude inserantur errores, quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen Societatum parum aut nihil omnino interest, si homines Biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paulatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas Traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia Catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

Hunc in finem Biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam seculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima documenta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici Antistites usi sunt, ut Catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo inprimis pertinent Decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum Episcopis mandatum est, ut *sacram Scripturam divinamque legem* frequentius per Dioecesim annuntiandam curarent b), sed, ampliata insuper Lateranensis Concilii c) institutione, provisum, ut in singulis Ecclesiis seu Cathedralibus seu Collegiatis urbium insigniorumque oppidorum non deesset Theologalis Praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae d). De ipsa postmodum Theologali Praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a Canonico Theologo ad Clerum atque etiam ad Po-

a) Tertullianus lib. de Praescriptionibus adversus haereticos cap. 37, 38.
b) Sess. 24 c. 4 de Ref.
c) Concil. Lateran. anni 1215 sub Innocentio III. cap. XI. quod in corpus iuris relatum est cap. 4 de Magistris.
d) Trident. Sess. 5 c. 1 de Ref.

pulum publice habendis actum est in plurimis Synodis Provincialibus a), nec non in Romano Concilio anni 1725 b), in quod Benedictus XIII. fel. rec. Praecessor noster nedum sacros Antistites romanae provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis sanctae huic Sedi nullo medio subditis convocaverat c). Idem praeterea Summus Pontifex eundem in finem nonnulla constituit in Apostolicis Literis, quas pro Italia nominatim Insulisque adiacentibus dedit d). Vobis denique, Venerabiles Fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque Dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre e) consuevistis, ex responsis per nostram Congregationem Concilii ad Decessores vestros, aut ad Vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum sancta eadem Sedes et gratulari Episcopis soleat, si Praebendatos Theologos habeant in publicis sacrarum Literarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit.

Ceterum ad translata in vulgares linguas Biblia quod attinet, multis iam abhinc seculis contigerat, ut diversis in locis sacri Antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint, ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita et cautiones adhibitae ab Innocentio III., glor. mem. Decessore nostro, circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu, et legendarum Scripturarum causa secreto habitos in Metensi Dioecesi f); nec non et peculiares vulgarium

a) In Conc. Mediol. I. an. 1565 par. I. tit. 5 de praeb. Theol., Mediol. V. an. 1579 par. 3 tit. 5 quae ad Beneficior. collat. attin., Aquensi an. 1585 tit. de Canonicis, et aliis pluribus.

b) Tit. I. cap. 6 seqq.

c) In Literis indictionis Concilii 24 Decembris 1724.

d) Const. Pastoralis Officii XIV. Calend. Iunii an. 1725.

e) Ex Constit. Sixti V. „Romanus Pontifex“ XIII. Cal. Ian. an. 1585 et Const. Bened. XIV. „Quod sancta Sardicensis Synodus“ IX. Cal. Decemb. 1740. Tom. I. Bullar. eiusdem Pontif., et ex Instructione, quae extat in Append. ad dict. Tom. I.

f) In tribus Literis datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et capitul., nec non ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, et de Crista, quae sunt Epist. 141, 142 Lib. II., et Epist. 235 Lib. III. in edit. Balutii.

Bibliorum interdictiones, quas sive in Galliis paulo post a), sive in Hispaniis ante seculum XVI. b) latas invenimus. Sed ampliore postmodum providentia opus fuit, cum Lutherani Calvinianique Acatholici, incommutabilem Fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant, ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum Literarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus, quarum quidem exemplis multiplicandis et citissime divulgandis inventae nuper typographicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae a Patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae, et a Pio IV., fel. mem. Praedecessore nostro c), approbate, indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut Biblia vulgari sermone edita non aliis permitterentur, nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur d). Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV. adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica sede approbatae, aut cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint e).

Non defuere interim novi ex Iansenii schola Sectarii, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeconomiam mutuato a Lutheranis Calvinianisque stylo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore atque ubique locorum utilis et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Iansenianorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in solemnibus iudiciis, quae toto plaudente Catholico Orbe contra illorum doctrinas tulerunt, hinc rec. mem. Summi Pontifices, nimirum Clemens XI. in Constitutione *Unigenitus* anni 1713 f), et Pius VI. in Const. *Auctorem Fidei* anni 1794 g).

---

a) In Concil. Tolosano an. 1229, can. 14.

b) Ex testimonio Cardinalis Pacecco in Concil. Trident. (apud Pallavicinum, storia del Concilio di Trento, lib. 6, cap. 12).

c) In Const. Dominici Gregis 24 Martii 1564.

d) In Regulis Indicis III. et IV.

e) In Addition. ad dict. Regul. IV. ex Decreto Congregat. Indicis 17 Iun. 1757.

f) In proscriptione Propositionum Quesnelli a num. 79 ad 85.

g) In damnatione Proposit. Pseudo-Synodi Pistoriensis num. 67.

Ita igitur, antequam instituerentur Societates Biblicae, iam dudum in commemoratis Ecclesiae Decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas Literas ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VII., glor. rec. Praecessor Noster, qui Societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere auctibus comperit, haud sane abstinuit opponere se illarum conatibus tum per Apostolicos suos Nuntios, tum per Epistolas et per Decreta a diversis Cardinalium S. R. E. Congregationibus edita a), tum suis duabus Pontificiis Literis, quas ad Gnesnensem b), atque ad Mohiloviensem c) Archiepiscopos dedit. Subinde Leo XII., fel. mem. Decessor noster, ipsa illa Biblicorum Sociorum molimina persecutus est in Encyclicis Literis ad omnes Catholici Orbis Antistites datis die 5. Maii anni 1824, idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record. Praecessor noster Pius VIII. in Encyclica Epistola edita die 24 Maii anni 1829. Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem Apostolicam sollicitudinem nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus Scripturarum translationibus regulae in fidelium memoriam revocarentur d).

Est autem cur Vobis summopere gratulemur, Venerabiles Fratres, quod excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis Decessorum nostrorum Literis confirmati haudquaquam neglexistis commonere, ubi opus fuit, Catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a Biblicis Sociis struebantur. Ex hisce autem Episcoporum studiis cum Supremae huius Petri Sedis sollicitudine conspirantibus benedicente Domino factum est, ut incauti quidam Catholici homines, qui Biblicis Societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

---

a) Inprimis per Epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios apost. Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis Regionum datam 3 Augusti 1816, et per Decretum de omnibus huiusmodi versionibus edit. a Cong. Indicis 23 Iunii 1817.

b) Die 1 Iunii 1816.

c) Die 4 Septembris 1816.

d) In Monito adiecto ad Decret. Congr. Indicis 7. Ianuarii 1836.

Ea interim spe tenebantur Sectarii Biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex Infidelibus ad Christiani nominis professionem utcumque inducendis per lectionem sacrorum Codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis, seu excursoribus a se destinatis per illorum regiones distribui, ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus Christianum nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propagare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta Catholicis Sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex Sanctae huius Sedis missione pergentes nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei Sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium Fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

Iam vero inter Sectarios illos sua ita expectatione frustratos, et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis Bibliis edendis nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum, nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus, plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque Idus Iunias inivisse novam Societatem *Foederis Christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium Sodalitiis amplificandam; quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a plurimis retro seculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in Orbe processerit, quin factum fuerit ab alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic, disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a Decessoribus Nostris potestate permanentibus derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti e suo fonte politica etiam libertas cum publicae ad ipso-

rum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte incensos, vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen Societati dandum, vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque Biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur; itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri, libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae sanctaeque huius Sedis obsequio abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubignè conscriptam, et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere quale futurum sit vel ex eo intelligi potest, quod Societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares Sodalium quorumdam coetus Librorum delectui destinatos, videlicet ut numquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

Haec ut primum relata ad Nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum Catholicae unitatis centrum incolumitati Religionis sanctissimae a Sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum minime sit, ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est; non ideo tamen cessare Nos licet ab illius auctoritate tuenda; et ipso insuper Supremi Apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a Nobis divinus Pastorum Princeps ob subcrescentia in Dominico agro zizania, si quae ab inimico homine Nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem, quae nostra hinc culpa perierint.

Itaque nonnullis S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus hanc ad Vos omnes dare Epi-

stolam, Venerabiles Fratres, qua et cunctas supradictas Societates Biblicas dudum a nostris Decessoribus reprobatas Apostolica rursus auctoritate condemnamus; et nostri pariter Supremi Apostolatus iudicio reprobamus nominatim et condemnamus memoratam novam Societatem *Christiani Foederis* superiore anno Neo-Eboraci constitutam, et alia eiusdem generis sodalitia, si quae iam ei accesserint aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem Societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocunque favere praesumserint. Confirmamus insuper et innovamus Auctoritate Apostolica supermemoratas praescriptiones iamdiu editas super editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae Scripturae in vulgares lingvas translatorum; de aliis vero cuiusque Scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et Decessorum nostrorum Decretis, quae Indici prohibitorum Librorum praeposita habentur; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse, qui nominatim in eundem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

Vobis autem, Venerabiles Fratres, utpote in nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut Apostolicum iudicium, et mandata haec nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta Societate *Foederis Christiani*, ceterisque eidem auxiliantibus, nec non ab aliis Biblicis Societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit, tum Biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnososque libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere, ut fideles ipsi monitis et auctoritate vestra „edoceantur, quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant a). Interim instate quotidie magis, Venerabiles Fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque Dioecesi animarum Curatores,

---

a) Ex mandato Leonis XII. edito una cum decreto Congregationis Indicis 26. Martii 1825.

aliosque Viros Ecclesiasticos ei muneri idoneos; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus Sacrae Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur, et sub nullo umquam obtentu divinas ipsas Literas contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae Catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni Pastoris proprium est, non modo tueri atque enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile; ita et Vestri Nostrique muneris erit omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi Sectariis, noxiorumque Librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant: nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

Ceterum, Venerabiles Fratres, contra insidias et molimina Sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem inprimis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro Ordine, qui Ecclesias regunt in Italia sitas, aut aliis in locis, ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confiniis, aut ubicunque emporia portusque extant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim Sectariis ipsis propositum sit, inibi ad effectum adducere consilia sua, hinc et Episcopos potissimum eorumdem Locorum alacri constantique studio nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus adiuvante Domino dissipandis.

Has autem nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium Potestatum, inprimis Potentissimorum Italiae Principum tum pro singulari suo studio Religionis Catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta Sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, Populis a fidelitate atque obedientia erga suos Principes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in Religionis negotio a Sectariis sub religiosae Libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi Sodales *Foederis Chri-*

stiani, qui licet sese alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis, ex vindicato tamen unicuique de plebe Bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda quam vocant, libertate conscientiae politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus nostras ad Deum, Venerabiles Fratres, eique nostram, totiusque gregis et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum precum humilitate commendemus; invocata etiam deprecatione piissima Petri Apostolorum Principis aliorumque Sanctorum, ac praesertim Beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

Ad extremum, nostrae pignus ardentissimae caritatis Apostolicam Benedictionem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et concreditis curae vestrae Clericis, laicisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum postridie Nonas Maii MDCCCXLIV Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

1151.

Eppus Gr. Cath. Chelmensis in Polonia Russica retractat factum suum, quo per inductas nonnullas rituales modificationes ad schisma propius accesserat et ab Unitate Ecclesiae recesserat. A. 1844.

MON. Felician Szumbrowski, Bischof von Chelm der Geistlichkeit seiner Diöcese! Unter allen Leiden, womit wir so bedrängt sind, dass wir unter den Sorgen der Diöcesanadministration kaum aufathmen können, quält unser Gewissen nichts so sehr, wie unser Schreiben vom 12. August 1841. *über einige Abänderungen in der Messe.* Kaum war dies Schreiben an euch erlassen, als uns von allen Seiten bittere Klagen dagegen zugiengen. *Man erblickte in diesen Abänderungen den ersten Schritt zur Entzweiung mit der Römischen Kirche und zu eurer Entreissung aus der heil. Einheit.* Viele Herrschaften und Gutsbesitzer sahen diese Änderung so ungern, dass sie den Gottes-

dienst nicht mehr besuchten. Unsere christlichen Brüder des lateinischen Ritus sahen nur mit Verachtung auf uns. Wir konnten uns bei den Dekanatsvisitationen mit eigenen Augen von den traurigen Folgen einer unbesonnenen Verordnung überzeugen, deren Ergebnisse wir nicht geahnt hatten. Da ergriff tiefer Schmerz unsere Seele, und sogleich war unser Entschluss gefasst, die frühere Verordnung wieder aufzuheben. In der Hoffnung jedoch, man werde sich allmälig an diese Modificationen, die wir als etwas ganz unschuldiges betrachteten, gewöhnen, verschoben wir die Ausführung unseres heilsamen Entschlusses. Aber jetzt sehen wir, wie sehr wir uns getäuscht, und zittern vor dem Gerichte Gottes. Ach! wir wagten die von unsern frommen Vorgängern getroffenen Vorschriften zu verachten! Die Beschlüsse der Synode von Zamosk unter dem Vorsitz des apost. Nuntius, welche die Gutheissung des Papsts Benedict XIII erlangt, und unsere Vorfahrer unverletzt zu beobachten geschworen, diese haben wir für nichts geachtet, haben sie vernichtet! *Nur dem heil. Stuhl kommt es zu, die Ceremonien der Kirche abzuändern und zu verbessern. Wir haben somit seine Gewalt missbraucht! Wir gestehen offen, wir haben gefehlt!* wir haben euch geärgert, und erzittern jetzt beim Andenken an die Worte Christi: wehe dem, der Ärgerniss gibt! Wir bitten euch, geliebte Brüder, verzeiht uns unsern Fehler. Wir erkennen, wir gestehen ihn, wir heben die unüberlegten Verordnungen vom 12. Aug. 1841. wieder auf. Kehret zurück zu den alten und gewohnten Ceremonien der heil. Messe, welche durch langjährigen Gebrauch geheiligt sind; richtet euch nach dem Buche: ‚Ordo officiorum Ecclesiae', welches unser Vorgänger Ferdinand in Übereinstimmung mit den nach der Zamosker Synode herausgegebenen Messbüchern abgefasst hat. Befolget durchaus und in allem die Gebräuche unserer Väter. Das ist unser Wille, und auf solche Weise söhnen wir uns wieder aus mit Gott, mit unsern Brüdern des lateinischen Ritus, mit Allen, die wir geärgert und beleidiget haben. Wir wollen aller Welt beweisen, dass wir kein Renegat sind, wie man glaubte, wir wollen unserm Gewissen die Ruhe wieder geben und einer grossen Verantwortung vor Gott entgehen. — **Schweizerische** *Kirchenzeitung.* Luzern. 1844. p. 510.

1152—1157.

Praesules Germaniae in Pastoralibus literis contra **sectam Germano-Catholicam** editis Primatum Romani Pontificis egregie tuentur. A. 1845.

1152. MON. *Coadiutor AEppi Coloniensis.* — Wir glauben *eine von Christus gestiftete, auf dem Felsen Petri gefestete, von den Höllenpforten nimmer zu überwältigende sichtbare Kirche,* welche der Herr mit seinem Blute sich erkauft und mit seinem Geiste ausgerüstet hat, damit sie sei eine unzerspaltene einige Kirche, einig in einem Leibe, *alle Glieder unter einem Haupte,* in einem Geiste, in einem Glauben, in einer Taufe und in einem Herrn, dem einen Gott und Vater Aller; damit sie sei eine heilige Kirche, eine herrliche, makellose und unbefleckte Braut des Herrn, die er selbst in der Wassertaufe durch das Wort des Lebens gereinigt und geheiligt hat, und eine heilige und gesegnete Mutter der Heiligen, welche sie durch ihre Lehre, ihren Gottesdienst und ihre Gnadenmittel unaufhörlich dem Himmel gebiert; damit sie sei eine allgemeine katholische Kirche, eine Lehrerin aller Wahrheiten und eine Spenderin aller Heilsmittel des Herrn. — — In Einem Glauben und in Einer Taufe sollte *Ein Hirt und Eine Heerde* sein; darum hat Er (Jesus Christus) unter den seiner Kirche gegebenen Hirten *den Einen, Simon des Jonas Sohn,* welcher ihn mehr als alle andere liebte, *vor allen andern berufen, seine Lämmer und seine Schafe zu weiden,* und ihn zum allgemeinen und obersten Hirten seiner ganzen Heerde gesetzt, hat ihm die Schlüssel des Himmelreichs verliehen; — hat ihn zum Felsen ausgerüstet, und auf diesem Felsen seine Kirche gebaut, damit die Pforten der Hölle sie nicht überwältigen. Und des Herrn göttliche Anordnung hat sich durch alle Jahrhunderte bewährt. — Wie auch der Zeiten Stürme daherwogten und in feindlichem Anstreben den Felsen zerschlugen, sein Fundament blieb unerschüttert und die von ihm getragene Kirche unüberwältigt gegen alle Höllenpforten. Wie

der eine Glaube und die Eine Taufe, so *blieb allweg auch in der Einen Heerde der mit der Schlüsselgewalt betraute Eine oberste Hirt, der Felsenmann Petrus, dem der Herr die Hirtenobsorge für die ganze Welt übertragen hatte, in seinen Nachfolgern, den Bischöfen von Rom.* In der ewigen Stadt sassen sie in ununterbrochener Reihenfolge auf dem Stuhle des Apostelfürsten Petrus, weideten die Lämmer und die Schafe, wahrten des Glaubens heiligen Schatz und der Sacramente lebendigen Gnadenbrunnen, und sandten ihre durch die Handauflegung ausgerüsteten Boten in alle Länder, die Lehre des Kreuzes zu verkünden. *Die Bischöfe von Rom lenkten das Schiff der Kirche durch den Zeitstrom der Jahrhunderte, und in ihnen lebte und wirkte Petrus; Petrus steuerte in ihnen, Petrus lehrte in ihnen, Petrus richtete in ihnen, Petrus sprach aus ihnen. Der Felsenmann blieb in der Kirche von Rom. Von der Kirche zu Rom ging alle christliche Einheit aus*, und von ihrem Bischofe, dem Nachfolger des h. Petrus, zog sich die ununterbrochene Kette der apostolischen Weihe in den Bischöfen und Priestern durch alle Kirchen zu der einen christkatholischen Gemeinschaft. Die Kirche von Rom wurde der christlichen Welt Haupt- und Mutterkirche, der gemeinsame Mittelpunct des Glaubens, mit der alle wegen ihrer mächtigeren Vorzüglichkeit übereinkommen müssen. Die Kirche von Rom wurde und blieb die Vorkämpferin im heiligen Streite der Prüfung und Bewährung durch den Glauben, den sie nicht erfand, sondern ihn, wie sie ihn vom Herrn erhalten, als heiliges Erbtheil überlieferte, und sie wurde und blieb die Spenderin der heil. Sacramente, die sie nicht einsetzte, sondern sie, wie sie solche von Christus empfangen, in treuer Verwaltung hütete für alle Zeiten. Die Kirche von Rom wurde und blieb die Trägerin der ganzen christlichen Gemeinde, der Fels, auf dem die gesammte Kirche ruhte in oft und schwer angefochtener aber dennoch allzeit unüberwindlicher Fortdauer; und ihr Bischof wurde und blieb der erste Ring in der apostol. Kette, der Hohepriester im Heiligthume, der oberste Lehrer des Glaubens, der Hirt der Hirten. *Darum verehren alle katholische Kirchen*, wie fern sie auch auf der weiten Erde von einander zerstreut sein mögen, *die Kirche von Rom, wie dankbare Töchter die ehrwürdige Mutter, und sind mit ihr in dem Einen Glauben und in der Einen Taufe auf das innigste verbunden, wie die Glieder des*

Einen Leibes mit dem Einen gemeinsamen Haupte; und darum verehren die Gläubigen in dem Bischofe von Rom dieses Leibes hochehrwürdiges Haupt, den Träger der apostol. Machtvollkommenheit in Wort und Weihe, der Kirche obersten Lehrer und Hirten, und ihrer Aller allgemeinen geistlichen Vater. — Köln, 18 Januar 1845. — **Allgemeine Kirchenzeitung.** Darmstadt, 1845. p. 337.

1153. *Eppus Moguntinus.* Es ist Ihnen bekannt, welches Getreibe auf dem religiösen kirchlichen Gebiete zur Zeit stattfindet. — *Man gibt sich das Ansehen, als könne die Kirche, ohne mit der apostolischen Mutterkirche und dem Bischofe von Rom, als dem Papste und Mittelpuncte der kathol. Einheit, verbunden zu sein, noch als katholische fortbestehen. Man begeht darum die Perfidie, unter Verwirrung der Begriffe alle katholische Christen, die den Papst als den Mittelpunct der katholischen, d. i. allgemeinen christlichen Einheit erkennen und verehren, und als wahre Katholiken erkennen und verehren müssen, als* ‚ultramontan' *zu bezeichnen,* während man mit diesem Ausdrucke von jeher nur solche Katholiken bezeichnet hat, welche dem Papste den Bischöfen gegenüber grössere Rechte zuschreiben wollten, als demselben nach Christi Einsetzung, nach Schrift und Tradition zukommen. Unter diesen Verwirrungen und bei den steten Schmähungen und Lästerungen gegen den Papst, geschieht es denn, dass unbelehrte und unbewachte Katholiken an ihrem Glauben irre werden, von demselbem abfallen und von einem Drucke des Papstes träumen, von dem sie doch ihr Leben lang Nichts verspürt haben. — Wenn wir nun gleichwohl für unsern christkatholischen Glauben, *für unsere heil. Kirche, die eine Grundsäule der Wahrheit, von Christus gestiftet und auf den Felsen Petri erbaut, zu ewiger Dauer bestimmt ist,* Nichts zu fürchten haben, sondern der Gnade der Verheissung des Herrn vertrauend zuversichtsvoll erwarten dürfen, dass sie die Pforten der Hölle nicht überwältigen werden : so dürfen wir doch nicht gleichzeitig zusehen, wenn der Satan der Verführung umgeht und sieht, ob er eine Seele, die unserer Sorge anvertraut ist, von dem Pfade der Wahrheit und des Lebens ab und auf den Weg des Verderbens hinüberführt. — Mainz, den 18. März 1845. — **Allg. K. Z.** 1845. p. 449.

1154. *AEppus Friburgensis.* — — Welche Kirche soll die

sein, zu welcher man euch verlocken will? Sie nennen sie die ‚deutsch-katholische Kirche.' Welcher Irrthum und welch grosser Widerspruch schon in dieser Benennung liege, kann demjenigen nicht unbekannt sein, der weiss, was ‚Katholisch' bedeutet. Katholisch bedeutet ‚allgemein.' Die kath. Kirche ist die allgemeine Kirche, die Kirche, die sich über die ganze Erde hin erstreckt und so weit geht, als nur das Wort von Christo selbst verkündet ist. Und diese über den ganzen Erdkreis sich hin erstreckende Kirche ist zugleich die *Eine Kirche. — Die Eine Kirche ist aber die auf Petrus, den Felsen, gegründete Kirche.* Zu Petrus spricht Christus: Du bist Petrus etc. Matth. 16. *Es gibt so nach dem Worte Christi selbst keine andere katholische Kirche, als die auf den Felsen Petrus gegründete,* welcher der lebendige Mittelpunct der christlichen Einheit in Lehre und Leben ist. *Wer von diesem sichtbaren Oberhaupte abfällt, fällt von der kath. Kirche selbst ab.* Es gibt keine Kirche ohne Einheit, es gibt aber keine Einheit ohne ein Oberhaupt. Eben darin aber, eine Kirche stiften zu wollen und sie ohne Einheit, ohne Mittelpunct und Haupt stiften wollen, liegt der Widerspruch, sowie die ganze Haltungslosigkeit des vorgeblichen Kirchenstiftens der Neuerer in der gegenwärtigen Zeit. — Freiburg, in der heil. Charwoche 1845. — *Allgem. K. Z.* 1845. p. 705.

1155. *Eppus Hildesimensis.* — Nie ist der Unglaube, der seither im Finstern schlich, offener und kühner aufgetreten, um die Altäre des Herrn und mit ihnen alles Heilige zu stürzen, als in unseren Tagen. Sein erster Angriff galt dem Reiche Gottes auf Erden, *dem Felsen Petri,* der katholischen Kirche. Ihr wisset es ja, geliebte Diöcesanen, wie der Sturm, ein Vorbote schwerer Gewitter, aus Südost daherbrauste, um wie durch Kriegstrompeten Alles wider den heiligen Stuhl aufzurufen. Da aber katholischer Seits diesem Rufe nur Wenige folgten, und die Gesammtzahl der Übrigen sich um so inniger an den Mittelpunct der Einheit anschloss, ergrimmten die Wortführer des Unglaubens und fanden nun kein Mittel zu schlecht, die kath. Kirche in Haupt und Gliedern zu schmähen. Eine Fluth von Erdichtungen, Lästerungen und Sarkasmen wurde über sie und ihre Diener ausgegossen. Als auch dieses fruchtlos blieb, bedienten sie sich einer List, um schwache Katholiken zum Abfalle zu bringen.

Wie Jeroboam einst zu Dan und Bethel ein goldenes Stierkalb errichten liess und zum Volke sprach : ziehe nicht mehr hinauf nach Jerusalem, siehe da sind deine Götter, die dich hinausgeführt aus dem Lande Aegypten 3. Reg. 12, 23 : so stellten sie der wahren Kirche das Phantom einer von ihnen selbst geschaffenen Kirche entgegen und sprachen: ‚Richtet euere Blicke nicht mehr nach Rom, sehet da ihr Katholiken, das ist die deutschkatholische Kirche, in der ihr Katholiken bleiben und nun vom Joche der römischen Tyrannei und vom Aberglauben frei werden sollet.' Da zeigte sich nun der Schaden Sions. Einzelne von Denen, welche das Reich Gottes nicht aufrichtig gesucht, in ihrer Jugend vom christlichen Religionsunterricht wenig Vortheil gezogen und im spätern Alter der Verkündigung des göttlichen Wortes nur selten beigewohnt hatten, und so in Unwissenheit und Gleichgültigkeit gegen die Lehren der kath. Kirche verfallen waren, wurden durch solche Vorspiegelungen getäuscht und fielen einer Secte anheim, während sie wähnten in der wahren kath. Kirche zu bleiben. Kraft unseres oberhirtlichen Amtes obliegt uns die Pflict, die uns anvertraute Heerde vor solchem Trugbilde zu warnen. *Wir erklären daher feierlich vor Gott : es gibt nur eine wahre katholische Kirche, die römisch-katholische, die als ihr Oberhaupt den Nachfolger des h. Petrus, dermalen Gregor XVI. anerkennt und verehrt;* die jener Secte beigetretenen Katholiken gehören nicht mehr zur kathol. Kirchengemeinschaft, obgleich sie sich den kath. Namen anmassen. Sie selbst haben sich von der wahren Kirche Christi losgesagt und getrennt, und sind als solche, deren Lehren schon vor 300 Jahren von der allgemeinen Kirche im Concil zu Trient verworfen worden, mit dem grössern Kirchenbanne belegt und von aller Theilnahme an den Heilsmitteln und geistlichen Gütern der kath. Kirche ausgeschlossen. — Hildesheim, den 18. Mai 1845. — **Katholik.** 1845. p. 315.

1156. *Eppus Fuldensis.* Das Treiben der neuen Sectenstifter ‚Ronge und Czerski' und ihrer Gehülfen und die Verwüstungen, die sie im Weinberge des Herrn angerichtet haben, hat nicht nur euch, geliebte Brüder, sondern auch uns mit tiefer Trauer erfüllt. — Wir sind überzeugt, dass Sie als wohlunterrichtete und eifrige Seelsorger Ihre Pfarruntergebenen in den Gefahren dieser Zeit — auf die Fallstricke der Verführung,

zu welchen auch die Lügen und Verläumdungen so vieler Tagesblätter und die boshaften Lästerungen unserer Kirche und ihrer Oberen gehören, aufmerksam gemacht und davor gewarnt haben. Da indess, wie Sie zu unserem grossen Leidwesen uns berichtet haben, mehrere derselben, theilweise auch wohl durch Geld oder den arglistig gebrauchten Namen verlockt, zu der neuen Secte übergetreten sind, so gebe ich Ihnen auf, Ihren Pfarrangehörigen in meinem Namen von der Kanzel öffentlich zu verkündigen: *dass Jene der frühern Mitglieder derselben, die sich der sogenannten deutschkatholischen Kirche zugewendet haben, als welche der römisch-katholischen Kirche in Lehre, Gottesdienst und Verfassung wesentlich widerspricht, eben hierdurch nach den Aussprüchen des Conciliums von Trient die Ausschliessung von dieser Einen römischkatholischen, auf kein einzelnes Land beschränkten Kirche, und von ihren geistlichen Gemeingütern verwirkt haben,* und wir dieselben hiemit als wirklich ausgeschlossen erklären. — Fulda, am 15. Aug. 1845. — **Katholik.** 1845. p. 468.

1157. *Clerus Fuldensis pro inconcussa sua adhaesione ad S. Sedem Apostolicam.* Hochwürdigster Bischof! Der Eidbruch und die Apostasie zweier als Religionslehrer dahier angestellter Diöcesangeistlichen, die vor Kurzem zur jüngsten und erbärmlichsten aller Secten übergetreten sind, hat uns, die unterzeichneten im Seelsorger- und Lehramte stehenden Priester der Stadt Fulda, mit Betrübniss und Schauder erfüllt. Dürfen wir auch zu Ew. Exc. das feste Vertrauen hegen, dass Hochdieselben Keinen von uns einer ähnlichen Gesinnung und Geistesrichtung auch nur im Entferntesten für fähig halten: so fühlen wir uns doch gedrungen, gegenüber der Schmach, die jene Abtrünnigen über unsere Diöcese bringen, ein offenes Bekenntniss und feierliches Zeugniss von unserem Glauben — abzulegen. Demgemäss — *sprechen wir es vor Ew. Exc. als unserm Diöcesanbischof offen uud feierlich aus, dass wir die Grundsätze und Tendenzen der angedeuteten Secte, in der wir nicht eine Gemeinde Jesu Christi, sondern eine Synagoge des Antichrist erblicken, mit aller Entschiedenheit und vom ganzen Herzen verabscheuen und verwerfen. Dagegen erklären wir ebenso bestimmt und rückhaltlos, dass wir an der kath. Kirche, deren sichtbarer von Christus gesetzter Einheits- und Mittel-*

punct der römische Papst ist, unerschütterlich festhalten, wie wir diess Alle bei unserem Eintritte in das geistliche Amt gelobt und beschworen haben, und dass wir jenen einigen, heiligen, katholischen und apostolischen Glauben, welchen der h. Bonifacius vor eilfhundert Jahren unsern Vätern gebracht und mit seinem Blute besiegelt hat, rein und unverfälscht bewahren, lehren und predigen wollen bis zum letzten Lebenshauche. — Fulda, am 29. April 1846. — **Katholik.** Mainz. 1846. p. 251.

1158.

Pius IX in prima Encyclica ad Eppos orbis catholici de Primatu Romanae Sedis, A. 1846.

INTR. Gloriosus ac diuturnus Pii IX, Ecclesiam hodiedum feliciter gubernantis, Pontificatus, — Monumentorum pro Ecclesiae defensione est feracissimus. Magna tamen eorum pars refertur ad relationem Ecclesiam inter et Civitatem intercedentem, et vindicandam independentiam Potestatis sacrae ab Imperio Civili, ut vel ex iis, quae in opere nostro sub hoc titulo vulgavimus, manifestum fit. Hic ea duntaxat exhibituri sumus Monumenta, quae Primatum stricte concernunt, et vel maxime doctrinam respiciunt, cuius custodiendae ac contra adversarios vindicandae officium ac ius Primatui incumbit.

MON. — — Hinc plane apparet, in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, *cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem*, quae verum legitimumque coelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum *infallibili* iudicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris. *Quae quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiae Caput, Principem et Pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro*

ducentes originem in eius Cathedra collocatos, et eiusdem etiam doctrinae, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus, ibi Ecclesia, ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur, et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem: idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta, haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas, in qua semper Apostolicae cathedrae viguit principatus, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, cum qua quicunque non colligit, spargit. Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, ven. fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes numquam se ab iis decipi et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subiicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi iniuriam inferre non reformidant, qui coelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus. Iam vero probe noscitis, ven. fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus huius seculi filii catholicam religionem et divinam Ecclesiae auctoritatem eiusque leges acerrime oppugnare, et tum sacrae tum civilis potestatis iura conculcare conantur. Huc spectant *nefariae molitiones contra hanc Romanam beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum.* — — **Pii IX P. M.** *Acta. Pars I.* Romae. 1854. p. 9.

1159. 1160.

Pius IX restituit Patriarchatum Hierosolymitanum. 1847.

1159. MON. *Apostolicae Literae de restitutione dicti Patr.* Nulla celebrior religioso cultu civitas, nulla clarioribus observantiae significationibus a Christianis frequentata regio, quam urbs Hierusalem, et Palaestina fuit. Cum enim ea urbs ubique contineat rerum a Domino Nostro Iesu Christo gestarum praeclara monumenta, et sanctissima virtutum exempla aspectu suo quodammodo referat, quibus illam praecipue civitatem Divinus humani generis Redemtor nobilitavit; fieri idcirco non potuit, ut vel ab ipso Ecclesiae exordio in permagno semper apud Christianos honore ea civitas non haberetur. Est vero illud ad Hierosolymitanae urbis praestantiam singulare, ac potissimum, in ea urbe sepulcrum illud gloriosum reperiri, in quo post mortem suam Salvator Noster triduo delituit, et ex quo tertia die, de morte miro prodigio triumphans virtute sua surrexit, ac religionis a se institutae divinitatem confirmavit. Praeterimus, in ea maxime urbe Religionis sublimia mysteria, et sobrie, iuste, ac pie gerendae a Christianis vitae praecepta tradita, et praedicata a Christo fuisse; ibi Spiritum Sanctum in Apostolos delapsum esse; Beatissimam Virginem in ea cum Apostolis diu moratam fuisse; primum ibi Apostolorum Concilium esse celebratum; Sanctum Petrum ab Herode comprehensum divina virtute ibi esse liberatum. Omittimus cetera, quorum plena est Evangelica, et Actorum Apostolorum historia, quaeque ostendunt, vix ullum civitatis Hierusalem, aut Palaestinae locum esse, qui cum vitae, mortis, resurrectionis, atque ascensionis Christi historia non sit coniunctus, aut prodigia ab ipso patrata, vel insigne aliquod, saluberrimumque Christi factum non recordetur. Haec Christianum populum qualibet aetate ad illa loca veneranda, et colenda excitaverunt, atque haec tanta Christianorum erga Palaestinam, ac Domini paesertim sepulcrum pietas illos adeo commovit, ut cum in barbarorum potestatem ea loca incidissent,

ab Europeis Principibus bella diu gravissima gesta, et renovata fuerint, ad ea scilicet loca recuperanda, atque ad fideles a gravissimis calamitatibus, atque iniustissima, qua inibi premebantur, servitute liberandos. Sed ista tamen, quae hucusque memoravimus, eo tantummodo referuntur, quod probant quam iusta de causa acciderit, ut urbs Hierusalem, et Palaestina regio, vetusta qualibet, ac recentiori aetate, Christiani populi venerationem sibi compararint. Verum quod ad Ecclesiasticam pertinet hierarchiam, nihil adeo est in historia ecclesiastica cognitum, quam permagno semper in honore Episcopi Hierosolymitani Sedem, dignitatemque fuisse. Nam ut vetustiora praetereamus, certum est vel ab ipso Concilio generali Nicaeno I Anno CCCXXV habito Canone VII decretum esse „quia consuetudo antiqua obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae (Hierusalem) Episcopus honoretur, habere illum debere honoris consequentiam.“ Nemo vero ignorat subsequentibus temporibus Hierosolymitanam Ecclesiam Patriarchali dignitate, ac iuribus donatam esse; atque omnes sciunt post plura secula, cum ab Europeis Principibus Hierosolyma recuperata est, constitutumque Regnum Hierosolymitanum, Patriarchas Latinos haberi coepisse, non paucos latinos viros eiusdem Sedis fuisse Patriarchas, et Concilium Lateranense IV generale sub Innocentio III Pontifice Anno MCCXV habitum Patriarchalem Hierosolymitanae Sedis dignitatem confirmavisse; sed rerum publicarum vicissitudines, et toleratae ab Europeis exercitibus calamitates effecerunt, ut Hierosolymitana civitas in Mahomedanorum iterum inciderit potestatem. Ceterum etiamsi subsequenti inde tempore Latini Patriarchae Hierosolymitani in concrediti sibi gregis curam praesentes incumbere nequirent, ac Romani Pontifices Decessores Nostri illorum fidelium indigentiis alia ratione consulere debuerint; non tamen intermiserunt Latinos ipsos Patriarchas eligere, licet eos a residendi lege solverent, quamdiu Ecclesia ipsa sub infidelium potestate detineretur. Verum aetate Nostra impedimenta illa sublata noscuntur, quibus eveniebat, ut Patriacha Latinus Hierosolymis manere, ibique ad suarum ovium salutem advigilare non posset. Nos autem postquam ad Sancti Petri Cathedram, licet immerentes, ascendimus, statim inter cetera perquam plura Ecclesiae negotia, id etiam animo Nostro considerantes reputavimus, Religionis utilitatem, Fidei Catholicae uberius amplificandae

rationes Sedis Hierosolymitanae vetustissimam, ac tanto iure partam dignitatem, et temporum etiam adiuncta postulare, ut Latini ritus Patriarcham in urbem Hierusalem rursus mitteremus. Voluimus tamen antea istud tantae gravitatis negotium Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacro Consilio Christiano nomini propagando praepositis accurate perpendendum, pertractandumque committere. Eorum autem concors sententia fuit, in Ecclesia Hierosolymitana exercitium Patriarchalis Auctoritatis esse instaurandum. Haec vero cum accepimus, Divinum auxilium ad rem tam gravem pro maiori Ecclesiae bono feliciter absolvendam impensius implora-vimus. Post maturam autem, ac diuturnam deliberationem Nostram eiusdem Congregationis sententiam probavimus, eamque sine mora ad optatum exitum adducendam censuimus. Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, et SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra restituimus Hierosolymis exercitium iurisdictionis Latini Patriarchae, eumdemque posthac residendi obligationi, ut olim, obnoxium fore declaramus. Quod tamen ad Patriarchatus limites attinet, mandamus, atque decernimus, ut quoad aliter ab hac Apostolica Sede statuatur, eiusdem Patriarchae auctoritati subditae sint illae regiones, et loca, quae in praesentiarum dilecti filii Ordinis Minorum Observantium S. Francisci terrae Sanctae Guardiani et S. Sepulcri Custodis iurisdictioni subsunt. De Episcopis autem Patriarchae suffraganeis instituendis, ac designandis sententiam Nostram in posterum significandam esse decernimus, atque eam rem omnem Nostro, et Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregationis Propagandae Fidei Cardinalium iudicio reservamus. Accuratam praeterea ab eadem Congregatione instructionem dirigendam, atque Auctoritate Nostra cofirmandam mandamus, quae normam afferat, quam Guardianus terrae Sanctae, ac reliqui ex Seraphico Ordine religiosi viri illic commorantes, et ceteri omnes ecclesiastici Patriarchae Latino Hierosolymitano Subditi erga Patriarcham ipsum sequi, ac servare debebunt. Haec sunt, quae pro Religionis honore, pro Fidei Catholicae in illis regionibus incremento, et pro maiori apud eas gentes Ecclesiae utilitate constituenda censuimus, quaeque Deum benignitate, ac benedictione sua prosequuturum esse speramus. Non obstantibus in contrarium facientibus etiam speciali mentione, ac deroga-

tione dignis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus habeatur fides, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXIII mensis Iulii MDCCCXLVII Pontificatus Nostri Anno Secundo.

1160. *Allocutio ad Card. Coll.* Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime noscit quibus quantisque divinae nostrae religionis documentis, monumentisque Hierosolyma urbs, et universa Palaestinae regio mirandum in modum undique refulgeant, *ubi et visui, et tactui se tota ingerunt humanae sacramenta salutis* *). Siquidem ibi Unigenitus Dei Filius Christus Iesus Dominus Noster propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem obumbrata Divinitatis Suae maiestate servilem formam indutus, et in similitudinem hominum factus ex intacta Davidica Virgine nasci, vitamque suam agere, ac magna miracula operari est dignatus, tribuens peccatoribus misericordiam, aegris salutem, errantibus veritatem, caecis lucem, mortuis vitam. Ibi ad universum humanum genus a peccati iugo, et daemonis captivitate vindicandum saevissimam passionem, acerbissimamque crucis mortem sustinuit confusione contemta, ac post triduum *devictae mortis spoliis onustus* **), divina sua potentia resurrexit; ibi quadraginta dierum spatio saepius apparens discipulis suis, ac loquens de regno Dei, postquam illos in fide et caritate roboravit, eisque praecepit, ut euntes in mundum universum praedicarent evangelium omni creaturae, ac docerent servare omnia quaecumque ipsis mandaverat, magnis revelatis mysteriis, magnisque confirmatis sacramentis, in conspectu sanctae multitudinis triumphans, et captivam ducens captivitatem super omnes caelos ad dexteram Dei Patris consessurus adscendit. Ibi ad Apostolos suos illuminandos corroborandos, atque ad renovandam terrae faciem, veteresque tenebras abigendas, misso sancto Paraclito Spiritu, voluit, ut Apostoli ab Hierosolyma

*) S. Leo Epist. ad Iuvenal. Episc. Hierosolymit.

**) S. Ansel. Serm. 52 de Paschat.

ipsa urbe evangelicae praedicationis opus ordirentur, antequam in omnem dispergerentur orbem. Quae cum ita sint merito atque optimo iure christiani populi sancta illius regionis loca omni pietatis, religionis, et venerationis affectu semper sunt prosequuti. Postquam vero tristissimis rerum ac temporum vicibus regiones illae e christianorum Imperatorum dominatione abreptae fuere, Romani Pontifices Decessores Nostri, et catholici Principes vehementer optantes gravissimis fidelium necessitatibus occurrere, eosque ab iniustissima et crudelissima, qua premebantur, servitute vindicare, variis temporibus nihil intentatum reliquerunt, ut loca ipsa ab infidelium eriperent potestate. Hinc Hierosolymitana Ecclesia, cui ab Innocentio III Praedecessore Nostro in Concilio Lateranensi quarto Patriarchalis dignitas fuit confirmata, summo semper in honore habita peculiarem Romanorum Pontificum curam et sollicitudinem sibi comparavit. Qui quidem Romani Pontifices etiam postquam sacra eadem loca ab infidelibus iterum occupata fuere, imo et cum vix ulla de illis recuperandis spes affulgeret, Latinos Patriarchas Hierosolymitanos renuntiare, et constituere haudquaquam intermiserunt, licet eos a residendi obligatione solvere, quamdiu loca ipsa ab infidelibus detinerentur, ac spirituali illorum fidelium bono alia ratione pro viribus consulere debuerint.

Nos certe de illa Dominici gregis parte vel maxime solliciti, ac summa erga ipsas regiones pietate affecti, vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio nihil antiquius habuimus, quam ut Latini Ritus Patriarcha Hierosolymae iterum in sua sede posset consistere. Cum autem, Deo bene iuvante, difficultates omnes, prout summopere optabamus, penitus sublatas esse conspexerimus, nihilque nunc temporis obstet, quominus ipse Patriarcha Ecclesiae suae curam praesens agere valeat, nullam moram interponendam duximus, ut huiusmodi res pro maiore Dei gloria atque illorum fidelium utilitate ad optatum exitum adduceretur. Quamobrem tanti momenti negotium iuxta prudentem Nostrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam absolvendum curavimus, atque Apostolicas Literas die decimo kalendas proximi mensis Augusti huius anni annulo Piscatoris obsignatas dedimus, quibus totius rei rationem explicavimus. Et quoniam Venerabilis Frater Daulus Augustus Foscolo, qui Latino Hierosolymitano Patriarchatu potiebatur, se illo abdicavit, et Nos eiusmodi ab-

dicatione accepta atque approbata, ipsum Venerabilem Fratrem a vinculo, quo Hierosolymitanae Ecclesiae obstringebatur, solvimus, idcirco ad novi Patriarchae electionem procedere existimavimus. Itaque commemoratae Congregationis suffragio in Latinum Patriarcham Hierosolymitanum eligere constituimus dilectum filium Presbyterum Iosephum Valerga, qui singulari integritate, pietate, doctrina, prudentia, ac rerum gerendarum dexteritate spectatus, et huic Petri Cathedrae ex animo addictus, ac Missionarii munere in Syria, Mesopotamia, et Perside egregie perfunctus, gravia rei catholicae negotia sibi commissa sedulo scienterque conficienda curavit. Quapropter in eam spem erigimur fore, ut ipse praeclaris hisce dotibus praeditus, easdem coelesti ope fretus ad Patriarchatus locum deferat, atque ad catholicae praesertim religionis incrementum, et concrediti sibi populi utilitatem maiori alacritate et studio exhibere, atque exercere contendat. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae Vobis communicanda censuimus, dum pro certo habemus, Vos una Nobiscum assiduas fervidasque Deo Optimo Maximo preces cum gratiarum actione esse oblaturos, quo communibus nostris votis clementissime annuens, divina sua gratia efficere velit, ut in illis regionibus, ubi *quilibet christianus habitans ad Evangelii cognoscendam virtutem non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur* *) catholica fides maiora in dies incrementa suscipiat, ac prospere feliciterque vigeat et floreat.

Atque hic, Venerabiles Fratres, clare aperteque declaramus, tum in hac re, tum in aliis quibusque Nostras omnes curas, cogitationes, studia ab omni prorsus cuiuslibet humanae politices ratione vel maxime aliena eo spectare, ut sanctissima Christi religio, et doctrina ubique terrarum cunctis populis magis magisque affulgeat. Etsi enim exoptemus, ut Viri Principes, quibus a Domino data est potestas, avertentes aures suas a fraudulentis et perniciosis consiliis, et custodientes iustitiae legem, ac secundum Dei voluntatem ambulantes, Eiusque sanctae Ecclesiae iura, et libertatem tuentes, pro eorum religione, ac benignitate suorum populorum felicitatem prosperitatemque procurare non desistant, tamen vehementer dolemus in diversis

(*) S. Leo Ibidem.

locis nonnullos e populo existere, qui Nostro nomine temere abutentes, et gravissimam Personae Nostrae, ac Supremae Dignitati iniuriam inferentes, debitam erga Principes subiectionem denegare, et contra illos turbas, pravosque motus concitare audent. Quod certe a Nostris consiliis adeo abhorrere constat, ut in Nostris Encyclicis Literis ad omnes Venerabiles Fratres Episcopos die nona mensis Novembris superiori anno datis haud omiserimus inculcare debitam erga Principes, et Potestates obedientiam, a qua iuxta christianae legis praeceptum, nemo citra piaculum deflectere umquam potest, praeterquam scilicet ubi forte aliquid iubeatur, quod Dei, et Ecclesiae legibus adversetur. — **Acta Pii IX. P. M.** I. 59. ss.

1161.

Pius IX in Allocutione ad S. Collegium — Eppos ad arctissimam tum inter se tum cum Petri Cathedra unionem hortatur. 1847.

MON. Ubi primum nullis certe Nostris meritis, sed inscrutabili Dei iudicio in hac Principis Apostolorum Cathedra collocati catholicae Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, Apostolicae nostrae sollicitudinis curas in Hispaniam convertimus, quemadmodum optime noscitis, Venerabiles Fratres. Hinc intimo Nostri cordis dolore considerantes gravissima damna, quibus ob tristes rerum vicissitudines magna illa et inclyta Dominici gregis portio premebatur, divitem in misericordia Deum assiduis enixisque precibus humiliter obsecrare numquam destitimus, ut afflictis illis Ecclesiis opem afferre, easque a misero in quo versabantur statu revocare dignaretur. Atque pro Apostolici Nostri ministerii debito, et singulari paternae caritatis affectu, quo illustrem illam nationem prosequimur, nihil certe Nobis potius fuit, quam ut sanctissimae nostrae Religionis negotia ibi componere studeremus. Cum autem felicis recordationis Gregorius XVI Praedecessor noster incepisset suis instruere Pastoribus nonnullas illius Regni Dioeceses in dissitis transmarinis regionibus sitas, in id peculiares Nostras curas intendimus,

ut aliis pluribus ipsius Regni vacantibus Ecclesiis in continenti etiam positis novos valeremus dare Antistites eo munere dignos, atque ita perficere quod idem Decessor Noster morte praeventus absolvere minime potuerat. Quamobrem Venerabilem Fratrem Ioannem Archiepiscopum Thessalonicensem virum integritate, doctrina, prudentia, ac rerum gerendarum peritia praestantem cum Nostris ad Carissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Elisabeth Reginam Catholicam Literis, atque opportunis facultatibus et instructionibus in Hispaniam misimus, ut quidquid ad sanandas inibi contritiones Israel, atque ad catholicae Religionis bonum promovendum conduceret, omni studio curaret, atque inter alia efficeret ut viduatas illic Ecclesias idoneis Pastoribus concrederemus. Itaque clementissimo misericordiarum Patre votis studiisque Nostris opitulante evenit, ut summa animi Nostri consolatione nonnullos, veluti nostis, in illis regionibus Antistites iam constituere potuerimus, atque in praesentia multas alias Hispaniarum Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias diu vacantes canonico suorum Pastorum regimini et procurationi tradere, atque ita divini Nominis gloriae, catholicae Religionis bono ac spirituali illarum dilectarum ovium saluti consulere valeamus. Quod quidem futurum confidimus, cum ex relatione commemorati Venerabilis Fratris Delegati Nostri, atque ex actis maturo examine ab ipso confectis agnoverimus, viros ipsis Dioecesibus regendis ac moderandis destinatos eas habere dotes, quae ad pastorale munus rite utiliterque obeundum requiruntur. In eam autem spem erigimur fore, ut quamprimum aliarum illius regni Ecclesiarum viduitati prospicere possimus, utque rebus iam nunc in meliorem conditionem vergentibus, et favente etiam Catholica Maiestate Sua in aliis porro atque aliis religionis negotiis, in quae idem Venerabilis Frater Delegatus Noster studiosissime incumbit, vota et consilia nostra felicem dante Domino exitum assequantur.

Alia etiam longe amplissima sub alio magno Principe regio est, in qua catholicae Religionis res diuturnis gravioribusque calamitatibus afflictae ipsum recolendae memoriae Decessorem Nostrum multos per annos sollicitum habuerant, et praecipuas Nostras curas sibi pariter vindicarunt. Equidem optavissemus hoc ipso die vos certiores facere de bono exitu, quem aliqua ex parte Nostras ipsas curas habuisse confidebamus. Non

defuere autem quidam ephemeridum scriptores, qui id ipsum feliciter evenisse affirmarint. Nos tamen nihil adhuc annuntiare Vobis possumus nisi firmam spem, qua sustentamur fore, ut omnipotens et misericors Deus propitius respiciat super Ecclesiae suae filios tantis inibi tribulationibus conflictatos, et sollicitudini benedicat, qua statum catholicae Religionis in meliorem illic conditionem adducere connitimur.

Nunc porro Vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, summam admirationem, qua intime affecti fuimus, ubi scriptum a quodam viro ecclesiastica Dignitate insignito elucubratum, typisque editum ad Nos pervenit. Namque idem vir in huiusmodi scripto de quibusdam loquens doctrinis, quas Ecclesiarum regionis suae traditiones appellat, et quibus huius Apostolicae Sedis iura coarctare intenditur, haud erubuit asserere, traditiones ipsas a nobis in pretio haberi. Absit enimvero, Venerabiles Fratres, ut mens aut cogitatio Nobis unquam fuerit vel minimum declinare a Maiorum institutis, aut abstinere ab huius Sanctae Sedis auctoritate sarta tecta conservanda, atque tuenda. Habemus equidem in pretio peculiares traditiones; sed eas tantum, quae a catholicae Ecclesiae sensu non discrepent, praesertim vero illas reveremur ac firmissime tuemur, quae cum aliarum Ecclesiarum traditione, atque in primis cum hac sancta Romana Ecclesia plane congruant, ad quam, ut S. Irenaei verbis utamur, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio* *).

At aliud insuper est, quod animum Nostrum vehementer angit et urget. Ignotum certe Vobis non est, Venerabiles Fratres, multos hostium Catholicae veritatis in id praesertim nostris temporibus conatus suos intendere, ut monstruosa quaeque opinionum portenta aequiparare doctrinae Christi, aut cum ea commiscere vellent, atque ita impium illud de cuiuslibet religionis *indifferentia* systema magis magisque propagare commoliuntur. Novissime autem, horrendum dictu! inventi aliqui sunt qui eam nomini et Apostolicae dignitati Nostrae contumeliam imposuerunt, ut Nos veluti participes stultitiae suae, et memorati ne-

*) S. Iren. contra haereses Lib. 3. cap. 3.

quissimi systematis fautores traducere non dubitarint. Hi nimirum ex consiliis, a Religionis Catholicae sanctitate haud certe alienis, quae in negotiis quibusdam ad civilem Pontificiae Ditionis procurationem spectantibus benigne ineunda duximus publicae commoditati et prosperitati ampliandae, atque ex venia nonnullis eiusdem Ditionis hominibus initio ipso Pontificatus Nostri clementer impertita, coniicere voluerunt, Nos ita benevole sentire de quocumque hominum genere, ut nedum Ecclesiae filios, sed ceteros etiam utut a Catholica unitate alieni permaneant, esse pariter in salutis via, atque ad aeternam vitam pervenire posse arbitremur. Desunt Nobis prae horrore verba ad novam hanc contra Nos, et tam atrocem iniuriam detestandam. Amamus equidem intimo cordis affectu homines universos, non aliter tamen quam in caritate Dei, et Domini Nostri Iesu Christi, qui venit quaerere, et salvum facere quod perierat, qui pro omnibus mortuus est, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; qui misit proinde discipulos suos in mundum universum praedicare evangelium omni creaturae, denuntians eos qui crediderint et baptizati fuerint, salvos fore, qui vero non crediderint condemnatum iri. Veniant igitur qui salvi fieri volunt ad columnam et firmamentum veritatis, quod Ecclesia est, veniant scilicet ad veram Christi Ecclesiam, quae in suis Episcopis summoque omnium capite Romano Pontifice successionem habet Apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam, quae nihil unquam potius habuit quam ut praedicaret, atque omni ope custodiret ac tueretur doctrinam ex Christi mandato ab Apostolis annunciatam; quae inde ab Apostolorum aetate in mediis omne genus difficultatibus crevit, et per totum orbem miraculorum splendore inclita, martyrum sanguine amplificata, Confessorum et Virginum nobilitata virtutibus, Patrum testimoniis scriptisque sapientissimis corroborata viguit, vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulget. Nos qui licet indigni, praesidemus in suprema hac Petri Apostoli Cathedra, in qua Christus Dominus eiusdem Ecclesiae suae fundamentum posuit, nullis ullo unquam tempore curis laboribusque abstinebimus, ut per ipsius Christi gratiam eos qui ignorant, et errant ad unicam hanc veritatis et salutis viam adducamus. Meminerint autem quicunque ex adverso sunt, transiturum quidem coelum et terram, sed

nihil praeterire unquam posse ex verbis Christi, neque in doctrina commutari, quam a Christo Ecclesia Catholica custodiendam, tuendam, et praedicandam accepit.

Post haec haud possumus, quin Vobis, Venerabiles Fratres, loquamur de doloris acerbitate, qua confecti fuimus, propterea quod paucis ante diebus in hac alma Urbe Nostra catholicae Religionis arce et centro nonnulli paucissimi illi quidem homines prope delirantes reperiri potuerint, qui vel ipsum humanitatis sensum abiicientes cum maximo aliorum ipsius Urbis civium fremitu et indignatione minime exhorruerunt palam publiceque triumphare in luctuosissimo intestino bello nuper inter Helvetios excitato. Quod fatale sane bellum Nos intimo corde ingemiscimus, tum ob effusum illius nationis sanguinem, fraternamque caedem, et atroces, diuturnas, funestasque discordias, odia, dissidia, quae ex civilibus potissimum bellis in populos redundare solent, tum ob detrimenta, quae inde catholicae rei obvenisse accepimus, et obventura adhuc timemus, tum denique ob deploranda sacrilegia in primo conflictu commissa, quae commemorare animus refugit.

Ceterum dum haec lamentamur, humillimas Deo totius consolationis agimus gratias, qui in multitudine misericordiae suae non desinit Nos consolari in omni tribulatione Nostra. Etenim inter tantas angustias non leve certe Nobis solatium afferunt et prosperi sacrarum Missionum eventus, et strenui evangelicorum Ministrorum labores, qui apostolico zelo incensi, gravissima quaeque pericula atque discrimina invicte despicientes, in remotissimis regionibus populos ab errorum tenebris, morumque feritate ad catholicae veritatis lumen, omnemque virtutis et humanitatis cultum traducere, ac pro Dei gloria et animarum salute fortiter pugnare non desinunt, et pientissima ac plane eximia catholicorum populorum studia, qui Nostris desideriis mirifice obsecundantes non levia afflictae pauperum Hibernorum genti subsidia praebere haud intermiserunt, quique tum largitionibus ad Nos etiam missis, tum assiduis ad Deum precibus omnem opem conferre non cessant, ut sanctissima Christi fides atque doctrina longe lateque ubique gentium, ubique terrarum felici faustoque progressu magis magisque propagetur. Quae praeclara opera omni certe laudum praeconio digna dum peculiari gratissimi animi Nostri testficatione prose-

quimur, a clementissimo bonorum omnium largitore Deo humiliter poscimus, ut fidelibus suis uberem pro illis retribuat in aeternitate mercedem.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae Vobis hodierno die significanda iudicavimus. Cum autem hanc Nostram Allocutionem in publicum emittere censuerimus, hac occasione sermonem Nostrum ad alios quoque Venerabiles Fratres, universi catholici Orbis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, toto cordis affectu convertimus, eosque omnes et singulos obsecramus, atque hortamur in Domino ut stabili inter se concordia et caritate coniuncti, atque arctissimo fidei et observantiae vinculo Nobis et huic Petri Cathedrae obstricti, perfecti sint in eodem sensu et in eadem sententia, atque humanis quibusque sepositis rationibus, et solum Deum ob oculos habentes, Eiusque auxilium iugibus, fervidisque precibus implorantes, nihil vigilantiae, nihil laboris unquam praetermittant, ut episcopali fortitudine, constantia, prudentia praelientur praelia Domini, et maiori usque alacritate dilectas oves eorum curae commissas a venenatis pascuis avertant, ad salutaria propellant, easque nunquam patiantur decipi doctrinis variis et peregrinis, sed strenue a rapacium luporum insidiis, et impetu defendant, itemque errantes in omni bonitate, patientia, et doctrina ad veritatis et iustitiae semitam reducere contendant, ut et illi divina auxiliante gratia occurrant in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei, atque ita fiant nobiscum unum ovile et unus pastor. — **Acta Pii IX. P. M.** I. 79.

1162.

Pii IX. encyclica ad **Orientales** pro unione cum S. Sede Apostolica, A. 1848.

MON. In suprema Petri Apostoli Sede meritis licet impar ibus disponente Domino constituti, et sollicitudine onerati omnium Ecclesiarum, respeximus inde ab exordio Pontificatus nostri in diversas *Orientis* ac finitimarum regionum nationes christianas cuiuscunque ritus, quae non uno quidem ex capite peculiarem a nobis curam exposcere videbantur. In Oriente enim Unigeni-

tus Dei Filius propter nos homines Homo factus apparuit, et per vitam, mortem et resurrectionem suam opus humanae redemtionis perficere dignatus est. In Oriente a Divino eodem Redemtore ac subinde ab eius discipulis praedicatum initio est Evangelium lucis et pacis, et quamplurimae inclaruerunt Ecclesiae, Apostolorum, qui illas instituerant, nomine insignes. Sed insequenti etiam tempore et longo plurium seculorum intervallo floruere in Orientalibus nationibus Episcopi, Martyres, aliique sanctitate et doctrina praestantissimi viri, quos inter communi totius orbis praeconio celebrantur Ignatius Antiochenus, Polycarpus Smyrnensis, Gregorius Neocaesareensis, eiusdem nominis Nyssenus, ac Nazianzenus, Athanasius Alexandrinus, Basilius Caesareensis, Ioannes Chrysostomus, bini Cyrilli Hierosolymitanus, et Alexandrinus, Gregorius Armenus, Ephraemus Syrus, Ioannes Damascenus, nec non Slavorum Apostoli Cyrillus et Methodius: ut taceamus porro de ceteris prope innumeris, qui effuso similiter pro Christo sanguine, aut sapientibus scriptis, eximiaeque virtutis operibus nomina sua perenni item posteritatis memoriae commendarunt. Pertinent quoque ad Orientis laudem frequentissimi Epporum Conventus, praesertim vero *Oecumenica vetustiora Concilia* ibidem celebrata, *in quibus Romano Pontifice praeeunte Catholica fides contra illius aetatis novatores vindicata fuit solemnique iudicio roborata.* Denique posteriori etiam aevo, quamvis haud exigua Christianorum Orientalium pars a communione Sanctae huius Sedis atque adeo a Catholicae Ecclesiae unitate recessisset, et in Oriente ipso rerum summam obtinuerint gentes a Religione Christiana alienae, numquam tamen defuere illic homines bene multi, qui divinae gratiae auxilio freti suam in vera fide et catholica unitate constantiam inter multiplices calamitates et diuturna eorum praesertim temporum pericula comprobarunt. Heic autem abstinere non possumus, quominus commemoremus singulari cum laude illorum Patriarchas, Primates, AEppos, et Eppos, qui sedulam contulere operam suis ovibus in catholicae veritatis professione custodiendis, et quorum proinde curis Deo benedicente factum est, ut mitigata postea temporum asperitate tantus inibi inventus sit eorum numerus, qui in catholica unitate manebant.

Itaque ad vos primum verba nostra convertimus, ven. fratres, dilecti filii, catholici Antistites et cuiuscunque ordinis Cle-

rici ac laici, qui perseverastis firmiter in fide et communione Sanctae huius Sedis, vel qui ad eam postmodum errore cognito non minori quidem virtutis laude convenistis. Etsi enim rescripserimus dudum ad multos ex vobis, a quibus gratulatorias de nostra ad Summum Pontificatum electione literas acceperamus, et inde a die 9 Nov. 1846 omnes totius orbis catholici Antistites per encyclicam epistolam allocuti fuerimus: consilium tamen est alio hoc peculiari sermone certiores vos facere studiosissimae caritatis, qua de vobis rebusque vestris solliciti sumus. Opportunam vero de his scribendi occasionem habemus in missione ven. fr. Innocentii AEppi Sidensis, qui a nobis CPlim legatus est ad Celsissimam Ottomanam Aulam, ut potentissimum Turcarum Imperatorem nostro nomine conveniat, et pro oratore ab illo ad salutandos nos antea ablegato plurimas nomine nostro gratias persolvat. Ipsi quidem ven. fratri diligenter mandavimus, ut vos, et quaecunque ad vestram cntholicaeque Ecclesiae causam in amplissima Ottomana ditione pertinent, eidem Imperatori nostris verbis impensissime commendet. Nec dubitamus, quin Imperator ipse sua iam sponte erga vos benevolus maiori porro benignitate rebus vestris faveat, et neminem ex suis subditis catholicae religionis causa vexari permittat. Iam vero memoratus Sidensis AEppus nostrae in vos caritatis studia uberius declarabit illis ex Sacris Praesulibus, primoribusve nationum vestrarum, quos CPli adesse contigerit; atque inde postmodum ad nos rediturus divertet, prout res et occasio tulerit, ad nonnulla alia Orientis loca; ut, quemadmodum in mandatis a nobis habuit, Ecclesias Catholicorum cuiusque ritus inibi sitas nostro nomine invisat, nostrisque verbis amantissime alloquatur et consoletur nostros ven. fratres dilectosque filios, quos in locis illis invenerit. Idem vero et ipsis tradet, et cum reliquis vestrum communicandas curabit nostras hasce literas, testes, uti diximus, nostrae in catholicas vestras nationes propensissimae voluntatis, et per quas vobis omnibus notum facimus et confirmamus, nihil potius nobis fore, quam ut de vobis ipsis et de catholicae apud vos religionis statu quotidie magis bene mereamur. Quare cum inter alia relatum ad nos sit, in regimine ecclesiastico vestrarum nationum quaedam esse, quae ob anteacti temporis calamitatem incerta adhuc manent vel minus apte constituta, libenter equidem aderimus auctoritate

nostra apostolica, ut ad normam ss. canonum servatisque ss. Patrum institutis rite omnia componantur et ordinentur. Omnino autem sartas tectas habebimus peculiares vestras catholicas liturgias; quas plurimi sane facimus, licet illae nonnullis in rebus a liturgia Ecclesiarum Latinarum diversae sint. Enimvero liturgiae ipsae vestrae in pretio pariter habitae fuerunt a praedecessoribus nostris, utpote quae et commendantur venerabili antiquitate suae originis, et conscriptae sunt lingvis, quas Apostoli aut Patres adhibuerant, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur. Ad hanc Sedis Apostolicae rationem erga catholicas Orientalium Liturgias plura spectant Romanorum Pontificum decreta et constitutiones, quae de illis conservandis latae sunt: inter quas laudare sufficiet literas apostolicas Benedicti XIV decessoris nostri, eas praesertim, quarum initium ‚Allatae sunt,' datas die 26 Iul. 1755. Eodem pertinet, quod sacerdotibus Orientalibus in Occidentem venientibus nedum liberum est proprio nationis suae ritu celebrare in sacris Latinorum aedibus, sed patent etiam diversis in locis ac Romae praesertim templa in peculiarem ipsorum usum aedificata. Iusuper nec monasteria defuerunt Orientalis ritus, nec domicilia alia excipiendis Orientalibus destinata, nec etiam collegia in eum finem condita, ut Orientalium filii sive soli sive cum aliis adolescentibus ad literas sacrasque scientias atque ad clericalem disciplinam informentur, et idonei fiant ecclesiasticis muneribus deinceps in sua cuiusque natione obeundis. Quamvis autem aliqua ex his institutis recentiorum temporum calamitate perierint, nonnulla tamen adhuc supersunt, ac florent; in quibus, ven. fratres, dil. filii, praeclarum sane documentum habetis singularis benevolentiae, qua Sedes Apostolica vos resque vestras prosequitur. Ceterum scitis iam, nos in vestris religiosis negotiis procurandis adiutrice opera uti nostrae Congregationis plurium S. R. E. Cardinalium, cui a Propaganda fide nomen est. At vero studium bene de vobis merendi commune est et aliis plurimis tum Romanis tum exteris, qui in alma hac urbe morantur. Quo in numero nonnulli ex latino atque etiam ex vestris orientalibus ritibus Praesules piique alii viri consilium nuper inierunt de pia societate cum in finem instituenda, ut sub auctoritate memoratae nostrae Congregationis cultum apud vos

Catholicae Religionis et uberiores eiusdem progressus quotidianis piis precibus, collata aliqua stipe, et omni ope atque opera sua iuvare conniterentur. Qua de re cum relatum ad nos fuerit, commendavimus equidem et probavimus pium illorum consilium, ac svasores ipsis fuimus, ut ei operi sine mora manum admoveant. Post haec ad vos speciatim verba nostra convertimus, qui aliis praecestis, ven. fratres Catholici Orientalium Antistites cuiusque gradus : ut collaudato iterum vestro et vestri etiam Cleri zelo in sacris ecclesiasticisque muneribus obeundis hac porro hortatione nostra addamus vobis animos ad virtutem. Itaque obtestamur vos in Domino Deo nostro, ut coelesti eius auxilio freti advigiletis maiori usque alacritate ad custodiam dilectarum ovium, nec desistatis praelucere ipsis verbo et exemplo, ut ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Incumbant alacriter in eandem curam Presbyteri, qui sub vobis sunt, et animarum praesertim curatoribus instate, ut decorem diligant domus Dei, foveant populi pietatem, sancta sancte administrent, et minime neglectis ceteris officii sui partibus peculiari utantur diligentia in informandis pueris ad rudimenta christianae doctrinae, atque in reliqua fideli plebe verbi Dei pabulo cum sermonis facilitate pro eius captu enutrienda. Summa autem illis vobisque ipsis sedulitate curandum est, ut fideles omnes solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, gratias agentes Deo luminum et misericordiarum Patri, quod in tanto rerum discrimine constantes per eius gratiam permanserint in catholica communione unicae Christi Ecclesiae, vel reversi porro ad illam fuerint, dum alii ex popularibus suis vagantur adhuc extra unicum idem ovile Christi, a quo illorum patres iamdudum misere exiverant.

Post haec abstinere non possumus, quominus caritatis et pacis verba his etiam loquamur Orientalibus Christum colentibus, qui a communione Sanctae huius Petri Sedis alieni sunt. Etenim urget nos Christi caritas, ut iuxta eius monita et exemplum dispersas oves sequi per invia quaeque et aspera, atque illarum infirmitati succurrere connitamur, ut in septa dominici gregis tandem aliquando regrediantur. Audite igitur sermonem nostrum vos omnes, quotquot in Orientalibus ac finitimis plagis christiano quidem nomine gloriamini, sed cum S. Romana Ecclesia communionem minime habetis; ac vos potissimum, qui

penes illos sacris muneribus estis addicti, aut maiori etiam eccles. dignitate fulgentes ceteris praesidetis. Recogitate ac memoria repetite veterem Ecclesiarum vestrarum conditionem, quum mutuo inter se et cum reliquis catholici orbis Ecclesiis unitatis vinculo conglutinabantur : et considerate deinceps, num quidquam vobis profuerint divisiones, quae postmodum subsequutae sunt, et quibus factum est, ut nedum cum Ecclesiis Occidentalibus sed neque inter vos ipsos retinere potueritis antiquam sive doctrinae sive sacri regiminis unitatem. *Memineritis Symboli fidei, in quo nobiscum profitemini, credere vos unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam;* atque hinc perpendite, num ipsa haec sanctae et apostolicae Ecclesiae catholica unitas in tanta illa vestrarum ecclesiarum divisione inveniri possit, dum vos ipsi eam agnoscere abnuitis in communione Romanae Ecclesiae, sub qua aliae per totum mundum frequentissimae Ecclesiae in unum corpus coaluere semper et coalescunt. Atque ad rationem eius unitatis, qua fulgere Catholica Ecclesia debet, penitius intelligendam memoria recolite orationem illam in Ioannis Evangelio consignatam, (c. 17) in qua Christus Unigenitus Dei Filius Patrem pro suis discipulis ita precatus est: ‚Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos;' et subinde adiecit: ‚Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti; et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus; ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.' Verum idem humanae salutis auctor *Christus Dominus unicae illius, adversus quam portae inferi non praevalebunt, Ecclesiae suae fundamentum posuit in Apostolorum principe Petro, cui claves dedit regni coelorum, pro quo rogavit, ut non deficeret fides eius, addito etiam mandato, ut fratres in ea confirmaret, cui denique pascendos commisit agnos et oves suas, atque adeo totam Ecclesiam,* quae in veris Christi agnis atque ovibus est. *Atque haec pertinent pariter ad Romanos Antistites Petri successores, quandoquidem post Petri mortem Ecclesia usque ad consummationem seculi duratura fundamento, super quod aedifi-*

cata a Christo fuit, carere non potest. Quare *S. Irenaeus,* Polycarpi, qui Ioannem Apostolum audierat, discipulus, ac deinde Lugdunensis Eppus, quem Orientales non minus quam Occidentales inter praecipua Christianae antiquitatis lumina recensent, dum adversus haereticos sui temporis referre vellet doctrinam ab Apostolis traditam, supervacaneum existimavit omnium Ecclesiarum apostolicae originis enumerare successiones, affirmans satis sibi esse, ut allegaret contra illos doctrinam Ecclesiae Romanae, propterea, quod ‚ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.' Novimus commune vobis studium esse, ut doctrinae adhaereatis a maioribus vestris custoditae. Sequimini igitur veteres Antistites, et Christifideles Orientalium omnium regionum, de quibus innumera prope monumenta demonstrant, ipsos cum Occidentalibus consensisse in reverenda Romanorum Pontificum auctoritate. Inter praecipua ex Oriente ipso eius rei documenta praeter Irenaei locum paulo ante laudatum commemorare hic iuvat, quae quarto Ecclesiae seculo gesta sunt in causa *Athanasii* Alexandrini Antistitis, sanctitate non minus quam doctrina et pastorali zelo clarissimi, qui ab Orientalibus quibusdam Praesulibus in Concilio praesertim Tyri habito iniustissime condemnatus et ab Ecclesia sua pulsus Romam venit, ubi venerunt etiam alii ab Oriente Eppi a suis item sedibus per iniuriam deiecti. ‚Eppus igitur Romanus (qui erat Iulius decessor noster) cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae fidei doctrinam consentientes in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit. Scripsit etiam Orientalibus Eppis, reprehendens eos, quod in supradictorum causis non recte iudicassent, et quod Ecclesiarum statum turbarent.' (Sozomenus l. 3. H. E. c. 8.) Initio etiam seculi V *Ioannes Chrysostomus* CPnus Antistes vir item longe clarissimus, qui Chalcedone in Synodo ad Quercum per summam iniuriam condemnatus fuerat, confugit et ipse per literas et internuncios suos ad Sedem hanc Apostolicam, et a decessore nostro S. Innocentio I innocens declaratus est. Praeclarum aliud veneratae a vestris maioribus Romanorum Pontificum auctoritatis documentum extat in *Chalcedonensi Syn-*

odo anni 451. Enimvero Eppi, qui in illam ad sexcentum convenerant, ac pene omnes (paucis scilicet exceptis) ex Oriente erant, post literas Romani Pontificis S. Leonis M. in secunda Concilii actione perlectas clamaverunt: Petrus per Leonem ita loquutus est. Subinde autem Synodo ipsa pontificiis legatis praesidentibus absoluta iidem Concilii Patres in gestorum relatione ad Leonem missa eum per memoratos legatos congregatis Eppis sicut membris Caput praefuisse affirmarunt. Ceterum non ex solis Chalcedonensis Concilii actis, sed, ex reliqua etiam Orientalium veterum Synodorum historia proferre liceret monumenta alia quamplura, ex quibus constat, Romanos Pontifices in Synodis praesertim Oecumenicis primas habuisse partes, eorumque auctoritatem et ante Conciliorum celebrationem et his porro absolutis fuisse imploratam. Atque etiam extra Conciliorum causam afferre possemus alia Patrum veterumque Orientalium seu scripta seu gesta longe plurima, ex quibus item apparet supremam auctoritatem Rom. Pontificum viguisse iugiter apud maiores vestros in Oriente universo. Sed quoniam nimis longum foret ea omnia hoc loco recensere, et quae iam indicavimus satis sunt ad rei veritatem ostendendam: heic tantum coronidis loco memorabimus, quemadmodum vetustissima aetate, ipso scilicet Apostolorum aevo, gesserunt se *Corinthii* fideles in dissensionibus, quibus ipsorum Ecclesia gravissime turbata fuerat. Nimirum Corinthii dissensiones illas suas per literas et per Fortunatum ad eas perferendas huc profectum detulerunt ad S. Clementem, qui paucis post Petri mortem annis Romanae Ecclesiae Pontifex factus fuerat. Clemens autem re graviter considerata rescripsit per Fortunatum ipsum et per adiunctos et internuncios suos Claudium Ephebum et Valerium Vitonem, a quibus Corinthum perlata est celebratissima illa S. Pontificis Romanaeque Ecclesiae epistola, quae tum penes Corinthios ipsos, tum penes alios Orientales tanto in pretio habita fuit, ut subsequenti etiam tempore in pluribus Ecclesiis publice legeretur.

Iuxta haec *hortamur vos atque obtestamur, ut absque ulteriori mora redeatis ad communionem sanctae huius Petri Sedis, in qua verae Christi Ecclesiae fundamentum esse et maiorum vestrorum aliorumque veterum Patrum traditio, et* quae antea commemoravimus *Christi Domini verba in Sanctis Evangeliis relata demonstrant.* Nec enim fieri unquam poterit, ut in

unius sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae communione sint, qui divulsi esse voluerint a soliditate petrae, super quam Ecclesia ipsa divinitus aedificata est. Ac *nulla sane ratio est, qua vos ab hoc ad veram Ecclesiam sanctaeque huius Sedis communionem reditu excusare valeatis.* Nostis enim in rebus ad divinae religionis professionem spectantibus nihil esse tam durum, quod pro Christi gloria aeternaeque vitae retributione non sit perferendum. At vero ad nos quod attinet, testamur et confirmamus, nihil nobis antiquius esse, quam ut vos ad communionem nostram redeuntes nedum nulla, quae durior videri possit, praescriptione affligamus, sed ex constanti Sanctae huius Sedis instituto peramanter et paterna prorsus benignitate excipiamus. Itaque non aliud vobis imponimus oneris, quam haec necessaria: nimirum ut ad Unitatem reversi consentiatis nobiscum in professione verae fidei, quam Ecclesia Catholica tenet ac docet, et cum Ecclesia ipsa supremaque hac Petri Sede communionem servetis. Hinc ad vestros sacros ritus quod attinet, reiicienda solummodo erunt, si quae in illos separationis tempore irrepserint, quae eidem fidei et unitati catholicae adversentur; atque his demtis sartae tectaeque vobis manebunt veteres Liturgiae vestrae Orientales, quas pro illarum venerabili antiquitate et ceremoniis ad fovendam pietatem idoneis apud nostros decessores in pretio fuisse, atque a nobis pariter plurimi fieri in priori harum literarum parte iam declaravimus. Insuper deliberatum fixumque nobis est, ut erga sacros ministros, sacerdotes, et Praesules, qui ex istis nationibus ad unitatem catholicam revertantur, eandem teneamus rationem, qua decessores nostri tum proximae, tum superioris aetatis multoties usi sunt; ut illis scilicet servemus gradus et dignitates suas, atque hinc illorum non minus quam reliqui catholici orientalis Cleri opera utamur ad cultum catholicae religionis inter populares suos tuendum ac dilatandum. Denique tum ipsos tum laicos, qui ad communionem nostram redierint, eadem qua ceteros Orientis Catholicos benevolentia complectemur, imo et iucundum nobis erit omni studio conniti, ut de his aeque ac de ipsis quotidie magis bene mereamur. Utinam clementissimus Deus dare dignetur sermoni huic nostro vocem virtutis; utinam studiis benedicat fratrum filiorumque nostrorum, qui nobiscum de salute vestrarum animarum solliciti sunt; utinam ea humilitatem nostram consolatione laetificet, ut

inter Orientales Christianos catholicam unitatem restitutam videamus, et in unitate ipsa novum habeamus subsidium ad veram Christi fidem in gentibus etiam a Christo alienis magis magisque propagandam. Nos quidem non intermittimus idipsum a Deo misericordiarum et luminum Patre per Unigenitum suum Redemtorem nostrum in omni oratione et obsecratione suppliciter poscere, eundemque in finem invocare patrocinium Beatissimae Deiparae Virginis, et SS. Apostolorum, Martyrum, Patrum, quorum praedicatione, sangvine, virtutibus, et scriptis vera Christi Religio propagata olim per Orientem et conservata est. Desiderio autem desiderantes gratulari tandem de vestro reditu in Ecclesiae Catholicae gremium, vobisque benedicere tamquam fratribus filiisque nostris, interea cunctos, qui modo in Oriente locisque conterminis sunt, Catholicos Patriarchas, Primates, AEppos, Eppos, Clericos, laicos iterata nostrae flagrantissimae caritatis testificatione prosequimur, eisque omnibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae die 6. Ianuar. 1848. — **Acta Pii IX. I. 78.**

1163.

Pii IX Allocutio de obitu AEppi Parisiensis eo momento interveniente, quo cives intestino bello ab invicem dissidentes ad pacem et concordiam hortaretur. 1848.

MON. Cum illustris Metropolitanae Parisiensis Ecclesiae viduitati hodierno die consulere properemus, Venerabiles Fratres, Pontificiae Nostrae caritatis officium postulat, ut in amplissimo vestro consessu honorificam, ac desiderii plenam mentionem faciamus de clarissimo eiusdem Ecclesiae Antistite, ex cuius acerbissima morte maximum quidem dolorem accepimus. Optime iam intelligitis, Nos loqui de Venerabili Fratre Dionysio Augusto Affre, qui pietate, mansuetudine, zelo, aliisque Sacerdotalibus virtutibus exornatus in illa Dioecesi regenda ac moderanda omnem impendit operam, ut catholicam religionem defenderet, ecclesiasticam disciplinam assereret, et oves suae fidei traditas ab venenatis pascuis arceret, ad salutaria

propelleret, ac miseros et calamitosos omni ope et opera iuvaret, foveret, erigeret et verbis iuxta atque exemplis omnes Christo lucrifaceret. Qui quidem Antistes tanto suum gregem est prosequutus amore, ut boni pastoris munere splendide functus insigne et admirabile christianae caritatis exemplum ac pergratum Deo, Angelis, et hominibus spectaculum exhibuerit. Ubi enim proximo mense Iunio luctuosissimum civile bellum Lutetiae Parisiorum exarsit, ipse, veluti probe nostis, sui omnino immemor, ac de communi aliorum salute unice anxius atque sollicitus, et violentos cruentosque civium motus restinguere, ac damna, caedes, ruinas a suo grege penitus avertere summopere exoptans, christiano prorsus et episcopali animo gravissima quaeque despiciens pericula, non dubitavit sese in praeliantium manus immittere. Hinc dum dimicantes inter se cives ad pacis, quietis, tranquillitatis ac mutuae concordiae sensus studia atque consilia amantissime revocare contenderet, letali vulnere accepto paulo post dedit animam suam pro ovibus suis. Atque omnes perspiciunt quantam universus tum inclytae Gallicae Nationis, tum totius catholici orbis Episcopatus et Clerus gloriam fuerit adeptus ex hoc praeclaro christianae caritatis facto, quod certe nulla unquam silebit aetas, nulla serae posteritatis delebit oblivio. Ardentissima autem illa caritas, qua idem Venerabilis Frater pro suo grege omnique Galliae Natione se Deo Optimo Maximo quasi holocausti hostiam obtulit, ac summa religio et pietas, qua hilaris mortem obivit, Nos merito sperare iubent, ut ipse ex miserrima mortalis huiusce vitae statione ad aeternam beatamque patriam advolaverit, ibique a Divino Pastorum Principe immarcescibilem perceperit gloriae coronam. Verumtamen cum ea sit humanae naturae fragilitas, atque conditio, ut religiosa etiam corda de mundano pulvere saepe sordescant, pro defuncti Antistitis anima clementissimo misericordiarum Patri preces, supplicationes, sacrificia offerre haud omisimus. Quod quidem non solum privatim, verum etiam publicis exsequiis praestitimus solemni ritu in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica peractis, in quibus et Nos ipsi adesse voluimus cum nonnullis e vestro Ordine, ac omnibus Venerabilibus Fratribus Episcopis in hac alma Urbe Nostra morantibus, et eiusdem Basilicae Canonicorum Collegio, ut praeter morem aliquam eximiae Viri memoriae ac virtuti significationem palam publiceque exhiberemus.

Iam vero in eam profecto spem erigimur fore, ut idem Antistes Galliam, quam vivens tantopere dilexit, in coelesti etiam regno benigne respiciens, suis apud Deum precibus imploret, ut ibi cunctis erroribus et calamitatibus omnino amotis, catholica fides, virtus, pietas cum omni vera prosperitate magis in dies vigeant et floreant. Atque hic, Venerabiles Fratres, eidem illustri Gallicanae Nationi meritas debitasque laudes tribuere gaudemus, quod turbulentissimis quoque temporibus, ac tristissimis rerum vicibus insignia sui in catholicam religionem atque in hanc Petri Cathedram amoris, obsequii et venerationis specimina praebere non destitit.

Denique cum videamus incredibili sane animi Nostri moerore quibus quantisque malorum procellis Christiana Respublica ubique iactetur, quibusque monstrosis opinionum commentis ac deliramentis improvidae, praesertim imperitorum hominum, mentes magno cum sanctissimae nostrae religionis et civilis ipsius societatis detrimento deplorandum in modum decipiantur et exagitentur, Nobis temperare non possumus, quin hac quoque occasione utamur, quo Vos, Venerabiles Fratres, ac Nos ipsos vel maxime excitemus, ut in humilitate cordis Nostri numquam desinamus dies noctesque clamare ad Dominum Deum nostrum, ut omnipotenti sua virtute imperet ventis et mari, et faciat tranquillitatem, atque in multitudine misericordiae suae errantes homines de errorum tenebris, et vitiorum coeno ad veritatis et iustitiae semitas propitius reducere dignetur. — **Acta Pii IX.** I. 150.

1164. 1165.

Pius IX creat **Patriarcham Babylonensem Nationis Chaldaicae:** hic vero suam subiectionem erga Cathedram Petri profitetur. 1848.

1164. MON. *Allocutio.* Gratum Nobis est, Ven. Fratres, aliquid vobis de orientali Ecclesia posse nuntiare, quae quanto longioribus distat intervallis, tanto magis paternam Nostram ca-

ritatem et Apostolicam sollicitudinem excitat ad illius statum cognoscendum et prosperitatem procurandam. Memineritis, a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro Venerabilem fratrem Nicolaum Isaiam Iacobi iam Hadirbegianum in Perside Archiepiscopum ex consilio Congregationis christianae Fidei Propagandae Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis fuisse constitutum. Cum autem ipse Venerabilis Frater Patriarchatum eumdem in manibus Nostris dimiserit, ac Nos eiusmodi renunciationem exceperimus, et probaverimus, eadem Congregatio Decretum a Nobis sancitum edidit, quo Venerabilis Frater Iosephus Audo Episcopus Amadiensis vacantis Sedis custos, seu Vicarius Patriarchalis Chaldaicae Nationis fuit nominatus, eique munus commissum, ut Venerabiles Fratres illius gentis Episcopos de hac abdicatione certiores faceret, ac simul omnia diligenter peragenda curaret, quo novi Patriarchae electio rite, et celeriter fieri posset. Itaque superiori anno exeunte Chaldaicae Nationis Antistites in Mossulensem civitatem convenere, ibique die vigesima sexta Decembris ipsum Venerabilem Fratrem Iosephum Audo Patriarcham Babylonensem suis suffragiis renunciarunt. Quae quidem electio postero die iisdem adstantibus Antistitibus, ac maxima laetantis populi frequentia post sacrum solemne fuit promulgata, iis omnibus adhibitis caeremoniis, quae in huiusmodi occasione peragi solent. Hinc suffragatores Episcopi suas ad hanc Apostolicam Sedem dederunt Literas, quibus electionem ab ipsis factam nuntiarunt, efflagitantes ut electio ipsa eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate confirmaretur. Atque ipse Venerabilis Frater Iosephus una cum Catholicae Fidei professione obsequentissimam ad nos misit Epistolam, qua suam electionem significans luculentissimis sane verbis suam erga Nos et hanc Petri Cathedram pietatem, observantiam et obedientiam profiteri laetatur, atque humillime rogat, ut eum in Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis suprema Nostra auctoritate confirmare, ac Pallii honore decorare velimus. Nos igitur rebus omnibus per eandem congregationem Christianae Fidei Propagandae praepositam accurate perpensis atque probatis, iuxta ipsius Congregationis sententiam eo sane libentius huius electionis confirmationem impertiri existimamus, quod probe noscamus, ipsum Venerabilem Fratrem Iosephum eximia pietate, virtute ac prudentia secundum scientiam zelo,

et catholicae religionis studio aliisque praeclaris dotibus esse exornatum. Accedit etiam, ut a fide dignis testimoniis acceperimus, summum fuisse gaudium atque laetitiam, qua illi fideles affecti sunt, ubi primum noverunt ad hunc amplissimum gradum eumdem Venerabilem Fratrem electum fuisse. Ex quo evenit, ut ea profecto spe sustentemur fore, ut ipse singulari cura, studio, alacritate, vigilantia omnes boni pastoris partes implere ac maiorem Dei gloriam ac dilectarum ovium salutem procurare contendat. Quapropter ipsum Venerabilem Fratrem Iosephum Audo in Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis confirmandum, uti iam indicavimus eique Pallii honorem tribuendum censuimus.

1165. *Patriarchae professio.* Singularia, Beatissime Pater, quibus in nuper habito Consistorio Reverendissimum Patrem Iosephum Audo cumulasti beneficia, tum eius confirmatione in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum, tum assignatione Sacrosancti Pallii, quod illi per me Sanctitas Tua duxit destinandum, singulares etiam exposcunt ut Tibi, qualitercumque valeo, illius nomine referam gratiarum actiones.

Debitum hoc dum venerabundus exsolvo, Sanctitati Tuae perspectum, testatumque velim, tot tantisque collatis Pontificiae benignitatis muneribus, non Patriarcham modo, sed universam Tibi mirum in modum devinctam fore Chaldaeorum Ecclesiam, quae proinde in obedientia et obsequio erga Sanctam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram constantem usque ad effusionem sanguinis se profiteri gloriabitur. Id ut votis omnibus expeto, ita et eventurum, auxiliante Domino, confido, praesertim si validissimo fulciatur praesidio Apostolicae Tuae benedictionis, quam pro Patriarcha, Episcopis, Clero, ac universo Populo Chaldaico, Sanctitatis Tuae pedibus provolutus, humillime atque obsequentissime imploro. — **Acta Pii IX** I. 154. ss.

1166.

Pius IX PP. electionem Eppi **Moguntini** a Capitulo factam reiicit novamve electionem fieri iubet, A. 1849.

MON. Capitulo Moguntino. Dilecti filii etc. Quisque vestrum iam probe intellexerit, non mediocri nobis molestiae fuisse electionem a vobis factam presbyteri ‚Leopoldi Schmid' in istius Moguntinae Ecclesiae Eppum, cum nullum acceperitis responsum vestris literis die 15 proximi mensis Martii datis, quibus de ipsa electione nos certiores fecistis, ac simul postulastis, ut illam suprema nostra auctoritate apostolica sancire vellemus. Quae quidem electio a nobis probari non potuit, quandoquidem ex pluribus et variis aeque ac gravibus et fidedignis testimoniis ac documentis ad nos perlatis novimus, eundem presbyterum illis carere dotibus, quae ex sacrorum canonum praescripto ad gravissimum eppalis ministerii munus recte atque utiliter obeundum omnino requiruntur. Interea eiusdem Electi decori prospicere volentes illum monendum curavimus, ut huic suae electioni nuntium ultro remitteret, ea spe freti fore, ut ipse eiusmodi monitis obsequeretur. Nunc autem cum cognoverimus, haec monita nihil apud eum valuisse, has Vobis scribimus literas, quibus significamus *commemoratam electionem a nobis reprobari et reiici: nam pro supremi nostri Pontificatus officio de animarum salute atque istius dioecesis prosperitate summopere solliciti illud intensissimo sane studio curare debemus, ut dioecesis ipsa bono committatur Pastori.* Quapropter dum *per has literas ex speciali gratia veniam tribuimus, ut ad novam electionem procedere possitis,* nobis temperare non possumus, quin vos vehementer moneamus, hortemur, atque excitemus, ut inprimis memoria repetentes ac serio meditantes in conspectu Domini, qua sententiarum et verborum gravitate Tridentina Synodus Sess. 24. c. 1. de. ref. eos omnes edoceat et commoneat, qui ad promotionem praeficiendorum suam operam praestant, quique alienis communicantes peccatis mortaliter peccant, nisi digniores et Ecclesiae magis utiles

praefici diligenter curaverint, in hac nova electione officii vestri memores esse velitis, ac propterea omnem humanum affectum penitus deponentes, et Dei gloriam atque istius Ecclesiae utilitatem prae oculis unice habentes, vestra suffragia in eum conferre studeatis, qui iuxta Apostoli doctrinam et sacrorum canonum sanctiones iis prae ceteris polleat virtutibus, quibus nostram confirmationem mereri, et eppale ministerium in aedificationem corporis Christi implere possit. In eam porro spem erigimur fore, ut vos, dil. filii, nostris hisce monitis ac desideriis sedulo libenterque obsequentes, nihil potius, nihil antiquius habeatis, quam talem nunc facere electionem, quae vobis laudi, Ecclesiae laetitiae, et nobis gaudio sit futura, cum praesertim e vestro etiam ipso collegio eiusmodi electionem agere possitis. *Quodsi praeter hanc nostram spem et expectationem contigerit, ut qui hac quoque vice electus fuerit, eppali dignitate minime dignus reperiatur, haud omittemus pro nostra pontificia sollicitudine et potestate isti Ecclesiae Antistitem praeficere.* Ac dum a Deo O. M. humiliter exposcimus, ut vobis in abundantia divinae suae gratiae semper propitius adesse dignetur, paternae nostrae in vos caritatis testem apost. bened. vobis ipsis, dil. filii, amanter impertimur. Datum Neapoli in suburbano Portici die 7. Dec. 1849. — *Die Mainzer Bischofswahl und der Informativprocess.* Mainz. 1850. p. 28.

1167.

Pius IX. in Encyclica ad Praesules Italiae tum opportuna media ad errores in fide et moribus exstirpandos commendat, tum in specie **Socialismum ac Communismum** perstringit. A. 1849.

MON. Nostis et Nobiscum una conspicitis, Venerabiles Fratres, quanta nuper perversitate invaluerint perditi quidam veritatis, iustitiae et honestatis cuiusque inimici, qui sive per fraudem, omnisque generis insidias, sive palam et tamquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, effraenatam co-

gitandi, loquendi et impia quaeque audiendi licentiam quaquaversus diffundere contendunt inter fideles Italiae populos, et catholicam Religionem in Italia ipsa labefactare, ac si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Apparuit tota diabolici eorum consilii ratio tum aliis nonnullis in locis, tum in alma praesertim Urbe, Supremi Pontificatus Nostri Sede, in qua, Nobis abire inde coactis, liberius, paucis licet mensibus, debacchati sunt; ubi divinis humanisque rebus nefario ausu commiscendis, eo tandem illorum furor pervenit, ut spectatissimi Urbani Cleri, et Praesulum sacra inibi Nostro iussu impavide curantium turbata opera et auctoritate despecta, vel ipsi interdum miseri aegroti cum morte colluctantes, cunctis destituti religionis subsidiis, animam inter procacis alicuius meretricis illecebras emittere cogebantur.

Iam vero etsi deinceps Romana eadem Urbs, et aliae Pontificiae Ditionis provinciae, Deo miserante, per Catholicarum Nationum arma civili Nostro regimini restitutae fuerint, ac bellorum tumultus in aliis pariter regionibus Italiae cessaverit, non destitere tamen nec sane desistunt improbi illi Dei hominumque hostes a nefando suo opere, sin minus per apertam vim, aliis certe fraudulentis nec semper occultis modis urgendo. Verum infirmitati Nostrae supremam totius Dominici gregis curam in tanta temporum difficultate sustinenti, et peculiaribus huiusmodi Ecclesiarum Italiae periculis vehementer afflictae, non levis inter aerumnas consolatio est ex pastorali Vestro studio, Venerabiles Fratres, cuius multa nobis documenta, et in medio praeteritae tempestatis turbine non defuerant, et nova in dies clarioraque obveniunt. Ipsa autem rei gravitas urget Nos, ut pro debito apostolici officii Fraternitatibus Vestris, in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, acriores sermone atque hortationibus Nostris addamus stimulos ad praelianda constanter una Nobiscum praelia Domini, atque ad ea omnia concordibus animis providenda ac praestanda, quibus, Deo benedicente, et damna reparentur quaecunque Religioni sanctissimae per Italiam illata iam sint, et imminentia in posterum pericula propulsentur.

Inter multiplices fraudes, quibus praedicti Ecclesiae hostes uti consueverunt ad Italorum animos a Fide catholica abalienandos, asserere etiam, et quaquaversus clamitare non erubescunt, catholicam Religionem Italae Gentis gloriae, magnitu-

dini et prosperitati adversari ac propterea opus esse, ut illius loco Protestantium placita et conventicula inducantur, constituantur et propagentur, quo Italia pristinum veterum temporum, scilicet ethnicorum, splendorem iterum acquirere possit. In quo sane illorum commento haud facile quis existimaverit, num detestanda magis est vesanae impietatis malitia, vel impudentia mentientis improbitatis.

Etenim spirituale emolumentum ut de potestate tenebrarum in Dei lumen translati et iustificati Gratia Christi haeredes simus secundum spem vitae aeternae, hoc scilicet animarum emolumentum, a catholicae Religionis sanctitate dimanans, eius profecto est pretii, ut quaecumque huius mundi gloria et faustitas in comparatione illius plane in nihilum esset computanda. „Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?“ *) At vero tantum porro abest, ut temporalia illa detrimenta Italorum Genti ob verae Fidei professionem acciderint, ut imo Religioni catholicae in acceptis referre illa debeat si Romano labante Imperio non in eam conditionem deciderit, in quam Assyrii et Chaldaei, Medi, Persaeque et Macedones Populi, multos antea dominati per annos commutata deinceps temporum vice, dilapsi fuerant. Etenim nemo prudens ignorat, per sanctissimam Christi Religionem effectum esse, ut Italia non solum a tot ac tantis, quibus obruebatur errorum tenebris fuerit erepta, verum etiam ut inter antiqui illius imperii ruinas, et barbarorum tota Europa grassantium incursiones, ad eam nihilominus gloriam et magnitudinem prae ceteris totius mundi nationibus se provectam conspiceret, ut per sacram Petri cathedram singulari Dei beneficio in ipsa collocatam latius atque solidius praesideret religione divina, quam praefuerat olim dominatione terrena.

Atque ex ipso hoc Apostolicae habendae Sedis singulari privilegio, et ex Religione catholica firmiores exinde in Italiae Populis radices obtinente alia porro permulta, eademque insignia beneficia profecta sunt. Siquidem Sanctissima Christi Religio verae sapientiae magistra, humanitatis vindex, ac virtutum omnium foecunda parens, avertit quidem Italorum animos ab infelicis illius glo-

*) Matthaei XVI. 26.

riae splendore, quam illorum maiores in perpetuo bellorum tumultu, in exterorum oppressione, atque in longe maximo hominum numero, ex eo quod vigebat iure belli, ad durissimam captivitatem redigendo posuerant, sed una simul Italos ipsos Catholicae veritatis luce collustratos ad sectandam iustitiam et misericordiam, atque adeo ad praeclara etiam pietatis in Deum, et beneficentiae erga homines aemulanda opera excitavit. Hinc in praecipuis Italiae urbibus admirari est, sacra templa, et alia Christianorum temporum monumenta, haudquaquam per cruentos labores hominum sub captivitate gementium, sed ingenuo vivificae caritatis studio confecta, et pia cuiusque generis instituta, quae sive ad Religionis exercitia, sive ad educationem iuventutis, et literas, artes, disciplinas rite excolendas, sive ad miserorum aegritudines et indigentias sublevandas comparata sunt. Haec igitur divina Religio, in qua tot quidem nominibus Italiae salus, felicitas et gloria continetur, haec scilicet Religio illa est, quam ab Italiae populis reiiciendam inclamant? Lacrimas cohibere non possumus, Venerabiles Fratres, dum conspicimus aliquos nunc Italos reperiri, improbos adeo, misereque illusos, ut pravis impiorum hominum plaudentes doctrinis in tantam Italiae perniciem conspirare cum ipsis non reformidant.

Sed vero ignotum vobis non est, Venerabiles Fratres, praecipuos illos huius scelestissimae machinationis architectos eo tandem spectare, ut populos omni perversarum doctrinarum vento agitatos, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque ad nefaria novi *Socialismi* et *Communismi* systemata traducant. Norunt autem et longo multorum seculorum experimento comprobatum vident, nullam sibi consensionem sperari posse cum Ecclesia catholica, quae scilicet in custodiendo divinae revelationis deposito nihil unquam detrahi patitur propositis Fidei veritatibus, nihil illis per nova hominum commenta admisceri. Idcirco consilium inierunt de Italis populis traducendis ad Protestantium placita et conventicula; in quibus ut illos decipiant, non aliud esse dictitant, quam diversam verae eiusdem christianae Religionis formam, in qua, aeque ac in Ecclesia catholica, Deo placere datum sit. Interea minime ignorant, profuturum summopere impiae suae causae principium illud quod in Protestantium placitis praecipuum est, de Sacris scilicet Scripturis privato uniuscuiusque iudicio intelligen-

dis. Exinde enim facilius sibi fore confidunt, ut primo quidem Sacris ipsis Literis perperam interpretatis abutantur ad errores suos, quasi Dei nomine, diffundendos; subinde autem ut homines superbissima illa de divinis rebus iudicandi licentia inflatos propellant ad communia ipsa iusti, honestique principia in dubium revocanda.

Absit tamen, Venerabiles Fatres, ut Italia, ex qua, ob Sedem Apostolici Magisterii Romae constitutam, nationes aliae incorruptos salutaris doctrinae latices haurire solitae sunt, fiat illis in posterum lapis offensionis et petra scandali; absit, ut dilecta haec Dominicae Vineae pars in direptionem cedat omnium bestiarum agri; absit ut Itali Populi, venefico Babylonici calicis haustu dementati, parricidalia contra matrem Ecclesiam arma suscipiant. Nobis quidem, uti et Vobis, in haec tanti periculi tempora occulto Dei iudicio reservatis, cavendum omnino est, ne fraudes atque impetus hominum contra Italiae Fidem conspirantium extimescamus, nostris quasi viribus superandos; cum nostrum consilium et fortitudo sit Christus, et sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus [1]) Agite igitur, Venerabiles Fratres, advigilate impensius super creditum gregem, eumque a rapacium luporum insidiis et aggressionibus tueri contendite. Communicate invicem consilia, pergite, ut iam institutistis, coetus habere inter Vos, ut malorum initiis, et praecipuis pro locorum diversitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis, sub auctoritate ac ductu Sanctae huius Sedis promptiora illis remedia comparare valeatis, atque ita una Nobiscum concordissimis animis, totoque pastoralis studii robore curas laboresque Vestros, Deo adiuvante, in id conferatis, ut omnes hostium Ecclesiae impetus, artes, insidiae, molimina irrita fiant.

Ea vero ut in irritum cadant, satagendum omnino est, ne populus de Christiana Doctrina, ac de Lege Domini parum instructus, et diuturna in multis grassantium vitiorum licentia hebetatus, paratas sibi insidias, et propositorum errorum pravitatem agnoscere vix possit. A Vestra igitur pastorali sollicitudine vehementer exposcimus, Venerabiles Fratres, ut nunquam intermittatis omnem adhibere operam, quo crediti Vobis fideles

---

[1]) Ex S. Leone Magno Epist. ad Rusticum Narbonensem.

sanctissima Religionis nostrae dogmata ac praecepta, pro cuiusque captu, diligenter edoceantur, simulque moneantur, et excitentur omnimodis ad vitam moresque suos ad illorum normam componendos. Inflammate in eum finem Ecclesiasticorum hominum zelum, illorum praesertim, quibus animarum cura demandata est, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, et habentes ob oculos Tridentini Concilii praescripta [1]) maiori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianae plebis instructionem incumbant, et sacra eloquia, ac salutis monita in omnium cordibus inserere studeant, annunciando ipsis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant.

Speciatim vero procurandum est, ut fideles ipsi impressum in animis habeant, alteque defixum dogma illud sanctissimae nostrae Religionis, quod est de necessitate catholicae Fidei ad obtinendam salutem [2]). Hunc in finem summopere conducet, ut in publicis orationibus fideles laici una cum Clero agant identidem peculiares Deo gratias pro inaestimabili catholicae Religionis beneficio, quo ipsos omnes clementissime donavit, atque ab eodem Misericordiarum Patre suppliciter petant, ut eiusdem Religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur.

Interea Vobis certe peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive a Fraternitatibus Vestris suscipiant Sacramentum Confirmationis, per quod summo Dei beneficio specialis gratiae robur confertur ad Fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam. Nec porro ignoratis, eundem in finem prodesse, ut ipsi a peccatorum sordibus, per sinceram illorum detestationem, et Sacramentum Poenitentiae expiati, saepius devote percipiant sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo spiritualem esse constat animarum cibum et antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur, atque adeo symbolum unius illius corporis,

[1]) Sess. V cap. 2—Sess. XXIV cap. 4 et 7 de Ref.

[2]) Hoc dogma a Christo acceptum, et inculcatum a Patribus atque a Conciliis, habetur etiam in Formulis Professionis Fidei, tum in ea scilicet, quae apud Latinos, tum in ea, quae apud Graecos, tum in alia, quae apud ceteros Orientales Catholicos in usu est.

cuius Christus caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. [1])

Equidem non dubitamus, quin Parochi, eorumque adiutores et Sacerdotes alii, qui certis diebus, ieiuniorum praesertim tempore, ad praedicationis ministerium destinari consueverunt, auxiliarem Vobis operam sedulo in his omnibus sint praestituri. Attamen illorum operae adiungere interdum oportet extraordinaria subsidia Spiritualium Exercitiorum, et Sacrarum Missionum, quas, ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles benedicente Domino esse constat tum fovendae bonorum pietati, tum peccatoribus, et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificet, et uberioribus coelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis constantius abhorreat.

Ceterum in his omnibus Vestrae, ac Sacerdotum Vobis auxiliantium curae eo inter alia spectabunt, ut fideles maiorem horrorem concipiant illorum scelerum, quae cum aliorum scandalo patrantur. Nostis enim, quantum diversis in locis excreverit eorum numerus, qui Sanctos Caelites, vel ipsum quoque Sacrosanctum Dei Nomen palam blasphemare audent, aut in concubinatu vivere dignoscuntur cum incestu interdum coniuncto, aut Festis diebus servilia opera apertis etiam officinis exercent, aut Ecclesiae praecepta de ieiuniis ciborumque delectu pluribus quoque adstantibus contemnunt, aut alia diversa crimina simili modo committere non erubescunt. Meminerit igitur, Vobis instantibus, fidelis populus, et serio consideret magnam peccatorum huiusmodi gravitatem et severissimas poenas, quibus illorum auctores plectendi erunt tum pro reatu cuiusque criminis proprio tum pro spirituali periculo, in quod fratres suos pravi sui exempli contagione induxerunt. Scriptum est enim: *Vae mundo a scandalis..... Vae homini illi per quem scandalum venit* [2]).

Inter diversa insidiarum genera, quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque Societatis inimici populos seducere annituntur, illud certe in praecipuis est, quod nefariis consiliis suis iamdiu

[1]) Ex Trid. Sess. XIII. Decr. *de SS. Euchar. Sacramento* Cap. 2.

[2]) Matthaei XVIII.

paratum in novae Artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque in eo toti sunt, ut impios libellos et Ephemerides ac Pagellas mendacii, calumniarum, et seductionis plenas edere in vulgus, ac multiplicare quotidie non intermittant. Imo et praesidio usi Societatum Biblicarum, quae a Sancta hac Sede iamdudum damnatae sunt [1]), Sacra etiam Biblia praeter Ecclesiae regulas [2]) in vulgarem linguam translata, atque adeo corrupta, et in pravum sensum infando ausu detorta diffundere, illorumque lectionem sub Religionis obtentu fideli plebi commendare non verentur. Hinc pro sapientia Vestra optime intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta Vobis vigilantia, et sollicitudine adlaborandum sit, ut fideles oves a pestifera illorum lectione prorsus abhorreant; atque ut de divinis nominatim Literis meminerint, neminem hominum id sibi arrogare posse, ut suae prudentiae innixus illas ad suos sensus contorquere praesumat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia; cui quidem soli a Christo Domino mandatum est, ut Fidei depositum custodiat, ac de vero divinorum eloquiorum sensu, et interpretatione iudicet. [3])

Ad ipsam vero pravorum Librorum contagionem comprimendam perutile erit, Venerabiles Fratres, ut quicumque penes Vos sint insignis, sanaeque doctrinae Viri alia parva item molis scripta, a vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem Fidei, ac salutarem populi instructionem. Ac Vestrae hinc curae erit, ut eadem scripta, uti et alii incorruptae pariter doctrinae, probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum ac personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur.

Omnes autem, qui una Vobiscum in defensionem Fidei allaborant, eo speciatim spectabunt, ut pietatem, venerationem,

---

[1]) Extant ea super re, praeter alia praecedentia Decreta, Encyclicae Literae Gregorii XVI datae postridie Nonas Maii MDCCCXLIV, quae incipiunt — *Inter praecipuas machinationes* — cuius sanctiones Nos quoque inculcavimus in Encycl. Epist. data 9 Novembris 1846.

[2]) Vid. Reg. 4. ex iis, quae a Patribus in Conc. Tridentino delectis conscriptae, et a Pio IV approbatae fuerunt in Const. *Dominici gregis* 24 Mart. 1564: et additionem eidem factam a Congr. Indicis, auctoritate Ben. XIV 17 Iun. 1757 (quae praemitti solent Indici Libr. prohibitor.)

[3]) Vid. Tridentinum Sess. IV in Decret. *De editione et usu Sacrorum Librorum.*

atque observantiam erga supremam hanc Petri Sedem, qua Vos, Venerabiles Fratres, tantopere excellitis, in vestrorum fidelium animis insinuent, tueantur, alteque defigant. Meminerint scilicet fideles populi, vivere hic, et praesidere in Successoribus suis Petrum Apostolorum Principem [1]), cuius dignitas in indigno etiam eius haerede non deficit [2]). Meminerint, Christum Dominum posuisse in hac Petri Cathedra inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum [3]), et Petro ipsi claves dedisse Regni Caelorum [4]), ac propterea orasse, ut non deficeret fides eius, eidemque mandasse, ut confirmaret in illa fratres [5]); ut proinde Petri Successor Romanus Pontifex in universum Orbem teneat primatum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor existat [6]).

In qua sane erga Romanum Pontificem populorum communione, et obedientia tuenda, brevis et compendiosa via est ad illos in Catholicae veritatis professione conservandos. Neque enim fieri potest, ut quis a Catholica fide ulla unquam ex parte rebellet, nisi et auctoritatem abiiciat Romanae Ecclesiae, in qua extat eiusdem Fidei irreformabile Magisterium a Divino Redemtore fundatum, et in qua propterea semper conservata fuit ea, quae est ab Apostolis traditio. Hinc non modo antiquis haereticis, sed etiam recentioribus Protestantibus, quorum ceteroquin tanta in reliquis suis placitis discordia est, illud commune semper fuit, ut auctoritatem impugnarent Apostolicae Sedis, quam nullo prorsus tempore, nullaque arte aut molimine, ne ad unum quidem ex suis erroribus tolerandum inducere potuerunt. Idcirco hodierni etiam Dei et humanae Societatis hostes nihil inausum relinquunt, ut Italos populos a Nostro Sanctaeque eiusdem Sedis obsequio divellant; rati nimirum tum demum posse sibi contingere, ut Italiam ipsam impietate doctrinae suae, novorumque systematum peste contaminent.

Atque ad pravam hanc doctrinam, et systemata quod attinet, notum iam omnibus est, illos eo potissimum spectare, ut

---

[1]) Ex Actis Ephesini Concilii Act. III et S. Petro Chrysologo Epist. ad Eutychen.

[2]) Leo M. Sermon. in Anniv. Assumpt. suae.

[3]) V. Matthaei XVI 18.

[4]) Matthaei XVI v. 19.

[5]) Lucae XXII 31 32.

[6]) Ex Concilio Oecumenico Florentino in Definit. seu Decr. Unionis.

libertatis et aequalitatis nominibus abutentes, exitiosa *Communismi* et *Socialismi* commenta in vulgus insinuent. Constat autem, ipsis seu *Communismi*, seu *Socialismi* magistris, diversa licet via ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris praesertim status homines suis deceptos fallaciis, et faustioris conditionis promissione illusos, continuis commotionibus exagitent, atque ad graviora paulatim facinora exerceant; ut postmodum illorum opera uti possint ad superioris cuiusque Auctoritatis regimen oppugnandum, ad expilandas, diripiendas vel invadendas Ecclesiae primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates, ad omnia tandem violanda divina humanaque iura, in divini cultus destructionem atque in subversionem totius ordinis civilium Societatum. In tanto autem Italiae discrimine Vestrum munus est, Venerabiles Fratres, omnes pastoralis studii nervos intendere, ut fidelis populus agnoscat perversa huiusmodi placita et systemata, si ab illis decipi se patiatur, in aeternam pariter ac temporalem eius perniciem fore cessura.

Moneantur itaque fideles curae Vestrae concrediti, pertinere omnino ad naturam ipsam humanae societatis, ut omnes Auctoritati obtemperare debeant legitime in illa constitutae; nec quidquam commutari posse in praeceptis Domini, quae in Sacris Literis ea super re annuntiata sunt. Scriptum est enim: „Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei [1]." Et rursus: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt [2]."

Sciant praeterea, esse pariter naturalis atque adeo incommutabilis conditionis humanarum rerum, ut inter eos etiam, qui in sublimiori auctoritate non sunt, alii tamen aliis, sive ob di-

---

[1]) S. Petri Epist. I Cap. II 13 seq.

[2]) S. Pauli Epist. ad Romanos XIII 1 seq.

versas animi, aut corporis dotes, sive ob divitias, et externa huiusmodi bona praevaleant: nec ullo libertatis, et aequalitatis obtentu fieri unquam posse, ut aliena bona, vel iura invadere, aut quomodolibet violare licitum sit. Perspicua hoc quoque in genere, et passim inculcata extant in Sacris Literis divina praecepta, quibus nedum ab occupatione alienarum rerum, sed ab ipso etiam eius desiderio districte prohibemur [1]).

Sed meminerint insuper pauperes, et miseri quicumque homines quantum ipsi debeant Catholicae Religioni, in qua intemerata viget, et palam praedicatur Christi doctrina; qui beneficia in pauperes, vel miseros collata perinde haberi a se declaravit, ac si facta sibi ipsi fuissent [2]): atque omnibus praenuntiatam voluit peculiarem rationem, quam in die Iudicii habiturus est de iisdem misericordiae operibus, sive scilicet ad praemia aeternae vitae fidelibus tribuenda, qui illis vacaverint, sive ad illos, qui ea neglexerint, aeterni ignis poena mulctandos [3]).

Ex qua Christi Domini praenuntiatione, aliisque Illius circa divitiarum usum, earumque pericula severissimis monitis [4]), in Ecclesia Catholica inviolate custoditis, factum porro est, ut pauperes et miseri apud Catholicas gentes in longe mitiore, quam apud alias quaslibet, conditione versentur. Atque hi quidem in regionibus nostris uberiora adhuc subsidia obtinerent, nisi plura instituta, quae Maiorum pietate comparata fuerant ad ipsorum levamen, extincta nuper repetitis publicarum rerum commotionibus, aut direpta fuisse. De reliquo pauperes nostri, Christo ipso docente, meminerint, non esse cur tristes sint de conditione sua: quandoquidem in paupertate ipsa facilior eis parata via est ad obtinendam salutem, dummodo scilicet suam indigentiam patienter sustineant, et non re tantum, sed spiritu pauperes sint. Ait enim: „Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Coelorum [5])."

Sciat etiam fidelis populus universus, veteres Reges ethni-

---

[1]) Exodi XX 45 17 — Deuteronomii V 19 21.

[2]) Matthaei XVIII 15 XXV 40 45.

[3]) Matthaei XXV 34 seq.

[4]) Matthaei XIX 23 seq. — Lucae VI 4 XVIII 22 seq. — Epist. Iacobi V 1 seq.

[5]) Matthaei V 3.

carum Gentium, aliosque in illis publicarum rerum Praesides multo gravius frequentiusque abusos fuisse potestate sua: atque hinc Religioni nostrae sanctissimae in acceptis referendum esse cognoscat, si Principes Christianorum temporum reformidantes, Religione admonente, *iudicium durissimum*, quod *his, qui praesunt, fiet;* et destinatum peccantibus supplicium sempiternum, in quo *potentes potenter tormenta patientur* [1]) iustiori erga subiectos populos et clementiori regimine utuntur.

Agnoscant denique crediti Vestris Nostrisque curis fideles, veram perfectamque hominum libertatem, et aequalitatem in Christianae Legis custodia positam esse; quandoquidem Deus Omnipotens, qui fecit *pusillum et magnum*, et cui *aequaliter cura est de omnibus* [2]), *non subtrahet personam cuiusquam*, *nec verebitur magnitudinem cuiusquam* [3]), ac diem statuit *in quo iudicaturus est Orbem in aequitate* [4]), in suo unigenito Christo Iesu, qui *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius* [5]).

Quod si fideles iidem paterna suorum Pastorum monita, et commemorata superius Christianae Legis mandata despicientes, a supradictis hodiernarum machinationum promotoribus decipi se patiantur, et in perversa *Socialismi* et *Communismi* systemata conspirare cum illis voluerint, sciant serioque considerent, thesaurizare se sibimetipsis apud Divinum Iudicem thesauros vindictae in die irae; nec quidquam interea ex conspiratione illa temporalis in populum utilitatis, sed nova potius miseriarum et calamitatum incrementa obventura. Non enim datum hominibus est, novas stabilire societates et communiones naturali humanarum rerum conditioni adversantes; atque idcirco conspirationum huiusmodi, si per Italiam dilatarentur, non alius esse exitus posset, nisi ut hodierno publicarum rerum statu per mutuas civium contra cives aggressiones, usurpationes, caedes labefactato funditusque convulso, pauci tandem aliqui, multorum spoliis locupletati, summum in communi ruina dominatum arriperent.

---

[1]) Sapientiae VI 6 7.
[2]) Sapientiae VI 8.
[3]) Ibidem.
[4]) Actorum XVII 31.
[5]) Matthaei XVI 27.

Iam vero ad fidelem populum avertendum ab impiorum insidiis, et in professione custodiendum Catholicae Religionis, atque ad verae virtutis opera excitandum, magna, ut probe scitis, vis est in illorum vita et exemplo, qui divinis se ministeriis manciparunt. Verum, proh dolor! non defuere per Italiam aliqui, pauci illi quidem, Viri Ecclesiastici, qui ad Ecclesiae hostes transfugae non minimo illis ad fideles decipiendos adiumento fuerunt. Sed Vobis certe, Venerablíles Fratres, novo illorum lapsus stimulo fuit, ut acriori in dies studio in Cleri disciplinam advigiletis. Atque hic in futurum quoque tempus, pro eo ac debemus, prospicere cupientes, temperare Nobis non possumus, quin commendemus denuo, quod in prima nostra ad totius Orbis Episcopos Encyclica Epistola inculcavimus [1]), nempe ut nemini cito manus imponatis [2]), sed in Ecclesiasticae Militiae delectu maiorem usque diligentiam adhibeatis. De iis praesertim, qui sacris Ordinibus initiari desiderent, inquirere et diu multumque investigare opus est, num ea doctrina, gravitate morum, et divini cultus studio commendentur, ut certa spes affulgeat fore, ut tamquam lucernae ardentes in Domo Domini, eorum vivendi ratione, atque opera aedificationem et spiritualem Vestro gregi utilitatem afferre queant.

Quoniam vero ex Monasteriis recte administratis ingens in Ecclesia Dei splendor atque utilitas dimanat, et Regularis etiam Clerus adiutricem Vobis in procuranda animarum salute operam navat, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, in mandatis damus, primum quidem ut religiosas familias cuiusque Dioecesis Nostro nomine certiores faciatis, Nobis peculiares aerumnas ingemiscentibus, quas multae illarum in recenti calamitoso tempore perpessae sunt, non levi interea consolationi fuisse animorum patientiam, atque in virtutis, et Religionis studio constantiam, quibus plurimi ex religiosis hominibus ad exemplum se commendarunt; etsi aliqui non defuerint, qui suae professionis obliti cum magno bonorum scandalo, et Nostro fratrumque suorum dolore turpissime praevaricati sunt: deinde vero, ut Praesides earumdem Familiarum, et superiores, ubi opus fuerit, illarum Moderatores Nostris verbis adhortemini, ut pro sui offi-

---

[1]) 9 Novembris 1846.

[2]) 1 ad Timoth. V 22.

cii debito, nulli parcant curae atque industriae, quo Regularis Disciplina, ubi servatur, magis in dies vigeat et floreat, et ubi vero detrimentum aliquod passa fuerit, omnino reviviscat, et redintegretur. Moneant instanter iidem Praesides, arguant, increpent religiosos illarum Alumnos, ut serio considerantes quibus se votis Deo obstrinxerunt, illa diligenter reddere studeant, suique Instituti regulas inviolate custodiant, et mortificationem Iesu in suo corpore circumferentes ab iis omnibus abstineant, quae propriae vocationi adversantur, et operibus instent, quae caritatem Dei ac proximi, perfectaeque virtutis studium praeseferant. Caveant praesertim supradicti Ordinum Moderatores, ne ulli ad religiosa Instituta aditum faciant, nisi cuius antea vitam, mores atque indolem accuratissime expenderint; ac deinde illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tyrocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cuiusque Instituti ratione procurare possint. Super his autem deliberatum fixumque Nobis est, ut ea omnino serventur, quae ad Religiosarum Familiarum bonum statuta praescriptaque sunt in Decretis a Nostra Congregatione super Statu Regularium die 25 Ianuarii superiori anno editis, et Apostolica Nostra Auctoritate sancitis.

Post haec ad Secularis Cleri delectum revocato sermone, commendatam in primis volumus Fraternitatibus Vestris instructionem, et educationem minorum Clericorum; quandoquidem idonei Ecclesiae Ministri vix aliter haberi possunt, quam ex illis, qui ab adolescentia et prima ipsa aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint. Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae Tyrones a teneris annis, quoad eius fieri poterit, in Ecclesiastica Seminaria recipiantur, atque inibi, tamquam novellae plantationes succrescentes in circuito Tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque literas et minores maioresque disciplinas, praesertim sacras addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cuiusque erroris periculo alienam.

Quoniam vero haud facile Vobis continget Minorum omnium

Clericorum eruditionem in Seminariis perficere, et ceteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem Vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, Venerabiles Fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in Vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad Catholicae doctrinae normam exigatur, et conveniens in illas iuventus ab idoneis et probitate ac religione spectatis Magistris ad veram virtutem, bonasque artes et disciplinas instituta, opportunis muniatur praesidiis, quibus structas sibi ab impiis insidias agnoscat, et exitiales eorumdem errores devitet, atque ita sibi et christianae, ac civili reipublicae ornamento et utilitati esse possit.

Eo autem in genere praecipuam Vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super Professoribus Sacrarum Disciplinarum, et in reliquis omnibus quae Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in his maxime, quae Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cuiusque suspicione immunes. Commonete Animarum Curatores, ut seduli Vobis adiutores sint in iis, quae scholas respiciunt infantium et iuvenum primae aetatis; quo destinentur ad illas Magistri, et Magistrae probatissimae honestatis, et in pueris aut puellis ad Christianae Fidei rudimenta instituendis libri adhibeantur a Sancta hac Sede probati. Qua in re dubitare non possumus, quin Parochi ipsi exemplo illis sint, et Vobis sedulo instantibus, in pueros ad Christianae Doctrinae primordia instruendos quotidie magis incumbant, eamque instructionem ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint [1]). Iidem vero admonendi erunt, ut in suis sive ad pueros, sive ad reliquam Plebem instructionibus habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Tridentini Concilii, et S. Pii V immortalis memoriae Decessoris Nostri iussu editum, alii porro Summi Pontifices, ac nominatim fel. record. Clemens XIII cunctis animarum Pastoribus denuo commendatum voluit, tamquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram, sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium* [2]).

[1]) Tridentium Sess. XXIV. 4. — Bened. XIV. Const. *Etsi minime* 7 febr. 1742.

[2]) In Encyclicis Literis ea de re ad omnes Episcopos datis 14 Iunii 1761.

Haud sane mirabimini, Venerabiles Fratres, si de his fusiori aliquantulum calamo scripsimus. Enimvero prudentiam Vestram minime fugit, periculoso hoc tempore Vobis Nobisque ipsis omni industria atque opera, ac magna animi firmitate connitendum et invigilandum esse in illis omnibus, quae Scholas, et puerorum ac iuvenum utriusque sexus instructionem et educationem attingunt. Nostis enim, hodiernos Religionis, humanaeque Societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas omnes artes conferre, ut iuveniles mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant. Idcirco etiam nihil intentatum, nihil prorsus inausum relinquunt, ut Scholas et Instituta quaelibet iuventutis educationi destinata, ab Ecclesiae auctoritate, et a Sacrorum Pastorum vigilantia omni ex parte subducant.

Iuxta haec firma spe sustentamur fore, ut carissimi in Christo Filii Nostri omnes Italiae Principes Fraternitatibus Vestris potenti patrocinio suo adfuturi sint, quo in supradictis omnibus muneri Vestro uberius satisfacere valeatis; nec dubitamus, quin iidem ipsi Ecclesiam, et omnia tam spiritualia quam temporalia eius iura tueri velint. Id quidem religioni congruum est, avitaeque pietati, qua se in exemplum animatos ostendunt. Illorum quoque sapientiam non latet, initia malorum omnium, quibus tantopere affligimur, a detrimentis repetenda esse, quae Religioni Ecclesiaeque Catholicae iamdiu, praesertim vero a Protestantium aetate, irrogata fuerant. Perspiciunt scilicet ex depressa saepius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum in divinis et Ecclesiasticis praeceptis impune violandis, factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga Civilem Potestatem, et hodiernis publicae tranquillitatis inimicis planior inde pateret via ad seditiones contra Principem commovendas. Perspiciunt etiam, ex occupatis non raro direptisque, ac palam divenditis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis iure spectantibus, contigisse, ut decrescente in populo reverentia erga proprietates religionis destinatione consecratas, multi hinc faciliores praeberent aures audacissimis novi *Socialismi* et *Communismi* assertoribus, qui alias pariter aliorum proprietates occupari ac dispertiri, aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscuntur. Perspiciunt insuper recidisse paullatim in civilem Potestatem impedimenta illa, quae iamdiu multiplici fraude comparata fue-

rant ad cohibendos Ecclesiae Pastores, ne sacra sua Auctoritate uti libere possent. Perspiciunt denique calamitatum, quibus urgemur, nullum aliud invenire posse promtius et maioris virtutis remedium, quam ut refloreat in tota Italia splendor Religionis Ecclesiaeque Catholicae, in qua diversis hominum conditionibus, et indigentiis opportunissima praesto esse praesidia non est dubium.

Siquidem (verbis utimur S. Augustini) „Catholica Ecclesia non solum ipsum Deum, sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complectitur, ut omnium morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud illam medicina praepolleat. Ipsa pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exercet et docet. Ipsa feminas viris suis non ad explendam libidinem sed ad propagandam sobolem, et ad rei familiaris societatem casta, et fideli obedientia subiicit; et viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute subiungit, parentes filiis pia dominatione praeponit. Ipsa fratribus fratres Religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quam sanguinis, nectit, omnemque generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae, voluntatisque nexibus, mutua caritate constringit. Ipsa dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adhaerere: et dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum magis, quam coercendum propensiores facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungit. Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus exhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria [1]).“

Nostrum igitur Vestrumque est, Venerabiles Fratres, ut nulli parcentes labori, nulla unquam difficultate deterriti, toto

[1]) S. Augustini de Moribus Cathol. Ecclesiae Lib. I.

pastoralis studii robore tueamur in Italis populis cultum catholicae Religionis, et non solum obsistamus alacriter impiorum conatibus, qui Italiam ipsam ab Ecclesiae sinu avellere commoliuntur, sed etiam degeneres illos Italiae filios, qui iam eorumdem artibus seduci se passi fuerint, ad salutis viam revocare annitamur.

Verumtamen cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum descendat, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Venerabiles Fratres, et coelestem luminum et misericordiarum Patrem publicis privatisque precibus orare supplicite atque obsecrare non intermittamus, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, avertens faciem suam a peccatis nostris, omnium mentes et corda virtute gratiae suae propitius illustret, ac rebelles quoque ad se compellens voluntates, Ecclesiam Sanctam novis victoriis et triumphis amplificet; quo in tota Italia, imo et ubique terrarum, merito pariter ac numero populus ei serviens augeatur. Invocemus etiam Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae praevalido apud Deum patrocinio suo quod quaerit invenit, et frustrari non potest, atque una Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum eius Paulum omnesque Sanctos Coelites, ut Clementissimus Dominus, eorum intervenientibus precibus, flagella iracundiae suae a fidelibus populis avertat; et cunctis, qui Christiana professione censentur, tribuat propitius per gratiam suam et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea quae sunt apta sectari.

Demum, Venerabiles Fratres, Nostrae in Vos studiosissimae voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu, Vobis ipsis et Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae Vestrae concreditis peramanter impertimur. — Datum Neapoli in Suburbano Portici die VIII Decembris Anni MDCCCXLIX. Pontificatus Nostri An. IV. — **Acta Pii IX.** I. 198.

1168.

Nonnulli Eppi Galliae Parisiis congregati Concilium Nationale celebrari petunt, summumque erga S. Sedem Apost. obsequium profitentur, A. 1849.

MON. Reverentiam et obsequium ad Apost. Sedem, quam Sanctitas Vestra tot et tantis praecelsis virtutibus inter inauditas aerumnas, velut lilium inter spinas, tam praeclare exornat, filiali pietate ante omnia deferimus; et una simul *ad Cathedram Petri, in qua nos antiqua religione, fide integra potiorem agnoscimus principatum, ac plenitudinem potestatis, cui claves traditae sunt,* nos in partem sollicitudinis licet impares vocati, et ipsi inter rerum et temporum angustias positi nostra depromimus vota. Paternitatem Vestram non latet, quanta in multis gravioris momenti circa disciplinam quaestionibus laborent varietate nostrae omnes omnium Galliarum provinciarum Ecclesiae. Eppi quidem a longo tempore de gravi dolent conditione, qua ipsis inhibitum est, quin synodaliter coadunari possint. Singuli enim sua sapientia singulos pascunt greges, sed saepe saepius alius alia adhibet media; unde infirmis ponitur offendiculum, et Pastorum minuitur imo pessumdatur auctoritas; unde etiam in ardua et excelsa pro religione et ecclesiastica libertate, aut regulari et per canones statuta disciplina difficilius vel adgrediendo fortes vel perficiendo constantes evadunt. Et ecce dum omnia hominum instituta iteratis atque iteratis tempestatum procellis concutiuntur et prope evelluntur, nec est qui possit manum admovere Ecclesiis nostris, divina opitulante misericordia liberior evenit conditio et ministrantur media, quibus, si lubeat, omnium Provinciarum se coadunent Eppi, ac conficiant quae iuxta canonum statuta pro temporibus sunt peragenda. Ipsi magnates, quibus Deo summe bono volente commissa sunt gentis nostrae gubernacula, liberam pandunt viam. In tali nostrarum rerum momento ad Sanctitatem Vestram, cui agnos et oves Christus commisit, fidenti animo concurrimus, Vestram Caritatem

deprecantes, ut *Concilium plenarium* totius gentis Gallicanae ordinare dignemini. Et nobis quidem omnibus esset pergratissimum audire verba, quae procederent de labiis vestris, et frui eloquiis, quae procederent de ore vestro: at si de absentia Patris fore est ut filii doleant, saltem per Delegatum nobis in concilio praesideatis. — Lutetiae Parisiorum 2 Cal. Mart. 1849. AEppus Parisiensis, et Eppi Comitiis Nationalibus intersidentes et alii Eppi Parisiis congregati. — *Acta et decreta C. Parisiensis.* p. IV.

1169—1184.

Concilia Galliae de suprema potestate Rom. Pontificis, A. 1849—1856.

1169. MON. **C. Parisiense.** *1849.* Tit. I. cap. I. Inprimis recordantes *institutionem Christi, qui suam aedificavit Ecclesiam super Petrum et eius successores,* et cum S. Irenaeo Romanam Ecclesiam eam esse agnoscentes, ad quam oportet omnes Ecclesias convenire propter potiorem eius principalitatem, *profitemur secundum constantem Ecclesiae traditionem et S. Conc. Florentini definitionem:* ‚S. Apost. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecum. Conciliorum et in sacris canonibus continetur.‘ Quo dogmate praemisso, amplectimur omnes et singulas S. Sedis Apost. Constitutiones dogmaticas, uti et illas, quae universalem Ecclesiae disciplinam respiciunt, specialiter quae a conclusione C. Tridentini usque in hodiernam diem prolatae et promulgatae sunt. Declaramus etiam ac docemus, eas seculari sanctione non indigere, ut tamquam norma credendorum et conscientiae regula ab omnibus suscipiantur. Insuper salutaribus regiminis ecclesiastici regulis inhaerentes, *huius Concilii Provincialis decreta S. Sedi, quae singula expendat et recognoscat, unanimi*

sententia submittere statuimus. Sacerdotes autem et fideles saepius monitos volumus, ut omni quidem tempore sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, *oculos suos ad illam Petri Cathedram convertant, in qua residet fidei soliditas, eminet suprema clavium potestas, et unde unitatis vigor per totum Ecclesiae corpus diffunditur.* — **Acta C. Paris.** p. 30.

1170. **C. Remense.** *1849.* Tit. II. c. 1. Inter tot et tanta errorum circumfusorum pericula ut non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, totis praecordiis amplectimur S. Ecclesiam Catholicam, quae est columna et firmamentum veritatis, et contra quam portae inferi non praevalebunt. Et *quoniam Christus ipse supra Petrum eiusque successores suam aedificavit Ecclesiam, profitemur cum S. Oec. C. Florentino,* S. Ap. Sedem etc. (ut supra) — *Convertamus* igitur *oculos ad Sedem beati Petri Apostoli, qui est petra et crepido Catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum*; (C. Chalced.) scientes *magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud Sedem Apost. fontem consistere* (Ep. Afric. ad Theod. PP.), et *fidem Petri, qui in propria Sede vivit et praesidet, et fidei veritatem quaerentibus praestat*, (S. Petr. Chrys.) *numquan defecisse, nec usque in finem defecturam esse.* Unde *sequentes in omnibus Ap. Sedem, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas, et ei in omnibus consentientes, pro deposito fidei incorrupte custodiendo, acquiescimus et toto animo adhaeremus omnibus Constitutionibus Apostolicis novatorum errores damnantibus.* — **Acta C. Remensis.** p. 40.

1171. **C. Turonense.** *1849.* Decr. II. In supremo ordinis ecclesiastici gradu evangelica doctrina et apostolicae traditiones Pontificem Romanum sublimem demonstrant. Profitemur secundum fidem catholicam et Conciliorum Generalium definitiones, S. Ap. Sedem etc. (ut supra ex C. Flor.) *Ad illam* igitur *Sedem, in qua fides praedicatur, et servatur unitas, necesse est propter potentiorem illius principalitatem omnem convenire Ecclesiam,* hoc est, eos, qui sunt undique fideles. *Huc*, ut verbis utamur Innocentii I, *referendae sunt quaestiones, super anxiis praesertim rebus, ut inde quae sit tenenda sententia, noverint omnes.* Nihil siquidem satius iudicamus, quam ut *regulae formam secuti, quam toto semper orbe servatam novimus,*

arcana Apost. Sedis consulamus, unde velut de natali suo fonte aquae sanctae, doctrinae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant. Quocirca iisdem principiis innixi, quae a Patribus nostris accepimus, ac posteris integra Deo iuvante trademus, *Summorum Pontificum constitutiones* dogmaticas omnes, illas praesertim quae his ultimis temporibus prodierunt, accipimus, sicuti et constitutiones, quae universalem Ecclesiae disciplinam respiciunt, illis nos omnino subiicientes ea, qua par est, filiali obedientia. Profitemur enim ac declaramus, *eas absque seculari sanctione esse pro omnibus obligatorias, tamquam credendorum normam et conscientiae regulam.* Eadem observantia iuramenti memores a nobis in consecratione praestiti, quod nunc toto cordis affectu renovamus, *mandata apostolica* sive ad huius provinciae disciplinam, sive ad nostram personalem agendi rationem referantur moderandam, *humiliter recipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus, et faciemus ab aliis observari.* Tandem *Sedis Ap. iudicio proponere ac submittere statuimus omnia ac singula huius Synodi decreta,* ut nostrorum antecessorum vestigia secuti reverentiam Summo Pontifici debitam exhibeamus, *cunctique Christifideles agnoscant, suos Pastores per omnia consentire cum illo supremo Pastore, cui a D. N. I. C. ovium simul et agnorum, Epporum scilicet et fidelium cura commendata est. — Decr. III.* Romano Pontifici proxime accedunt in divina Eeclesiae hierarchia Eppi. Norunt omnes, Dominum nostrum, cum beatissimo Petro Ecclesiam universalem regendam commisisset, alios etiam Apostolos elegisse, quos eiusdem sacerdotii participes effecit: in quorum persona constans est SS. Patrum traditio Eppis a Christo dictum fuisse: Sicut misit me Pater etc. Unde, ut ait C. Tridentinum, in Apostolorum locum successerunt, positi a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei. Hac Pastorum auctoritate innixa Ecclesia perfecta Unitate coalescit. *Petri Cathedrae firmiter consociati Eppi, ad eam sacerdotes fidelesque mutua coniunctione colligant* ita, ut si quis ab eorum parte ac iurisdictione deficiat, is ordinem divinitus constitutum gravissime perturbet. — Cum igitur tale sit vinculum unitatis, quo suis Eppis plebs christiana, Eppi autem Summo Principi sacerdotum, Vicario Christi adunantur, ut merito a SS. Patribus dictum fuerit, unum atque indivisum Eppatum esse, cuius a sin-

gulis in solidum pars tenetur: non mirum, quod Romani Pontifices assidue invigilaverint, ne Epporum iura ullo modo laederentur. Eppos fratres suos et coëppos nominarunt, veluti in partem sollicitudinis apostolicae vocatos atque assumtos, nec unquam passi sunt illorum venerabili auctoritati quidquam derogari. Has traditiones servantes, et memores praesertim definitionum C. Tridentini, et Summorum Pontificum, inprimis bullae Pii VI quae incipit ‚Auctorem fidei' declaramus: *Eppos a Sancta Sede institutos* superiores esse sacerdotibus et fidelibus cum sacro ordine tum ea qua praecellunt auctoritate docendi, regendi et gubernandi Ecclesiam sibi commissam, ipsis ius competere condendi statuta ad moderandam dioecesis disciplinam, et iudicandi causas spirituales, quae ad clericos seu fideles spectant, *salva tamen quae sacris canonibus et Apost. Sedi debetur reverentia et obedientia.* — **Acta C. Turon.** p. 23.

1172. **C. Avenionense.** *1849.* In *Prologo* Concilii: — Ad *S. Petri Sedem, unde in christianam rempublicam quaecunque bona, quaecunque prospera Deo favente promanant,* respicere, memoresque erigere animos condecet. Huic igitur *Apost. Sedi et sacro Ecclesiae vertici tantae felicitatis originem referendam agnoscimus. Illius monitis,* illius venerandis svasionibus et praeceptis in Synodum convenientes *obtemperamus, qui Ecclesiae Dei praecipuam curam gerens velut communis omnium Eppus a Deo constitutus* ministrorum Dei praesenti tempore in Galliis concilia congregat. Quapropter ad hanc Petri Cathedram humili et amantissimo animo conversi, *alta voce cum S. Florentinae Synodi Patribus confitemur:* S. Apost. Sedem et Romanum Pontificem etc. *ut supra.* Et hanc libentissime confessionem emittimus, *antiquis retro et peculiariter huius nostrae Galliae Cathedrae Petri semper addictissimae Patribus consonantes*, cum beato Irenaeo Lugdunensi in ea potiorem principalitatem agnoscentes, ad quam omnem Ecclesiam convenire necesse est; et cum beato Hilario Pictaviensi *Petrum nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignamque aedificatione illius petram, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret, factum esse.* Verum non solum Apostolicae Sedi et ipsi Romano Pontifici fidem, obsequium et reverentiam cordis nostri obtestamur, sed etiam in egregium Pontificem *Pium IX,* qui nulli decessorum suorum impar hodierno tempore principalem Ecclesiae

Cathedram exornat summis virtutibus ac meritis, nostrae pietatis et venerationis testimonium exhibere operae pretium est. Beatus certe non solum quod per os ipsius quam non revelavit caro et sangvis sed Pater qui in coelis est confessio Petri in universo mundo personat, sed quod communicans Christi passionibus ipse quoque per crucem exaltatur ut omnia pertrahat ad Christum. Beati pedes evangelisantis bonum, annunciantis pacem, et ideo extra Civitatem exulantis. Beatum Caput tot angustiarum spinis circumdatum, cui quae Christo sunt potestate et infirmitate propria, sunt ipsi cum illo participatione communia. *Sic a diebus antiquis consecratus est Summi Pontificatus apex; sic veneranda omnibus seculis effecta est prima illa sedes, in qua totam doctrinam cum sangvine Petrus, et postea tot ac tanti Pontifices profuderunt.* Lacrymas simul et gaudia miscent Catholici ubique terrarum Eppi tot Patris omnium fidelium doloribus commoti, tanta mentis placiditate animique constantia recreati, illamque ipsi benedictionem a Pastorum Principe repromissam votis omnibus adprecantur: Beati eritis, cum vos oderint homines etc. Luc. 6, 22. — *Tit. I. Cap.* 2. Fides Catholica decretis Conciliorum universalium et *constitutionibus dogmaticis Summorum Pontificum* definitur ac sancitur. — Saepius *successor illius, qui in Concilio Hierosolymitano dixit* ‚Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere,' *sententiam profert ipsa Principis Apostolorum auctoritate;* nam ut ait S. Coelestinus: Petrus in sede sua semper vivit et praesidet; ad Ecclesiam Romanam, teste Irenaeo, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, illiusque auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia et universales semper Synodi amplectentes in cunctis sequutae sunt. Memoranda est inprimis fidei formula, cui Patres Concilii 8 subscripserunt: ‚In Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum ac praecipue sanctorum Sedis Apost. Praesulum sequentes in omnibus constituta. — Quoniam sicut praediximus, sequentes in omnibus Apost. Sedem, et observantes eius omnia constituta speramus, ut in una communione, quam Sedes Apost. praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae Religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos a communione Ec-

clesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.' Ex quibus facile dignoscitur, omnes, qui catholico nomine censentur, arctissimo teneri officio Ecclesiam audire, quae ipsis veram fidem doctrinamque a Christo acceptam proponit et credendam indicit, ac *deberi decretis Conciliorum Generalium et constitutionibus Summorum Pontificum de doctrina fidei decernentium plenam et absolutam mentis et oris obedientiam:* unde docendi sunt fideles hoc officium, et ad illud libenti animo, prout Christi discipulos et Ecclesiae filios decet, obeundum incitandi, ipsis etiam proposita, quam subituri sunt omnes refragantes et increduli, poena aeterna. — *Ex literis Metropolitae ad Pium IX PP. pro confirmatione Concilii.* — Deo certe gratias debemus maximas, quod omnia digne omnino ac religiose toto illo tempore (Synodi) peracta sint, et non aliud quam illius honorem inquisierint ii omnes, qui quocunque titulo ac modo partem in opere Concilii habuere. *Omnes ad unum Patres atque etiam omnes inferioris ordinis sacerdotes Sanctae Sedi Apostolicae et Sanctitati Vestrae addictissimos sese probavere ac devotissimos.* In illis omnibus emicuere rectae fidei amor, maxima a profanis novitatibus aversio, zelus disciplinae, animus vere sacerdotalis. — In ultima nostra Sessione decreta illa omnia una ac greges nostros nosque ipsos Pastores consecravimus sacratissimo cordi Iesu. Ex illo bonorum omnium fonte per intercessionem B. Virginis potentissimam fluant gratiae, quibus et Pastores sancte doceant atque regant, ac populi ipsos ad progrediendum in via Dei audiant et sequantur. Ut vero illa coelestia dona in nos populosque nostros promanare mereamur, *profitemur et hoc necessarium esse, nempe a Sanctitate Vestra probari confirmarique Concilii huius nostri decreta, hinc enim referent et assertam doctrinae veritatem et manifestae robur unitatis.* — Avenione 30 Ianuar. 1850. — *Acta C. Avenion.* p. 1. 6. App. 3.

1173. **C. Tolosanum.** *1850.* Tit. t. c. 1. Nihil hisce periculosis temporibus Concilio Provinciali necessarium magis visum est, quam ut de Hierarchia Ecclesiastica et praesertim de Summo Pontifice et Episcopis doctrinam a recentioribus novatoribus impugnatam omnes fideles edoceret, eamque ad memoriam clericorum etiam sacerdotum revocaret. *Christus Salvator noster* regressurus ad Patrem, *domum suam, columnam et firmamentum*

veritatis, Ecclesiam scilicet Dei vivi, in omnes gentes diffundendam *super unum Petrum Apostolorum principem, tamquam supra petram solidissimam ac immobile fundamentum aedificavit; cui omnimodam in spiritualibus concessit potestatem* his verbis: Ego dico tibi, quia tu es Petrus etc. Et: Ego rogavi pro te etc. Et: Pasce agnos meos, pasce oves meas. His Scripturarum testimoniis edocti, et SS. Patrum traditionem sequentes, ac praecipue Concilii Florentini definitionem, Patres Concilii Provincialis Tolosani haec de Summo Pontifice tenent et praedicant: I. Sanctam Ap. Sedem et Rom. Pontificem etc. *ut in Syn. Florentina.* II. *Haec igitur apostolica supremaque Sedes omnium Ecclesiarum mater et magistra iure divino constituta centrum est indefectibile catholicae unitatis,* in quo velut in arce inexpugnabili Petrus per Romanum Pontificem loquitur, semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet, atque praesidet, et praestat quaerentibus fidei veritatem. III. Ad hanc ergo Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, non solum pro eiusdem fidei conformitate, sed etiam per illam reverentiam, subiectionem et obedientiam, quae eius supremae in Ecclesiam universalem gubernandam potestati debentur. Quapropter *declaramus et contestamur, Apostolicis Constitutionibus independenter ab omni seculari sanctione ita inesse vim ac nativum robur, ut sint norma credendorum agendorumve regula, qua vere et coram Deo omnes obstringuntur.* IV. Maiorum exempla et maxime S. Exsuperii Tolosani Eppi veneranda vestigia sectantes statuimus, in causis maioribus aut gravioribus et anxiis, quae suboriri possent, quaestionibus nihil a nobis decernendum, quin huius *supremae Sedis oraculum* consuluerimus. *Cuncta* enim *eius responsa atque mandata veluti ab apostolico culmine vel potius ab ore Patris Patrum delapsa humiliter accipiemus,* quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus et faciemus ab omnibus observari. — VI. Antiquis ac salutaribus institutis et maxime constitutioni ‚Immensa aeterni' fel. rec. Sixti V obsequentes, praedecessorumque nostrorum viae insistentes, decernimus, huius Synodi decreta non ante promulganda, quam a Romano Pontifice recognita et approbata fuerint. — *Acta C. Tolosani.* p. 25.

1174. **C. Aquense.** *1850.* Tit. II. c. 6. Ad Romanum Pontificem et Eppos exclusive iure proprio ecclesiastica pertinet pote-

stas. Ad Romanum quidem Pontificem Christi Vicarium, cui in persona beati Petri totius gregis pascendi et regendi cura demandata est; ad Eppos vero, de quibus proprie teste Coelestino Papa ait apostolus: posuit Spiritus S. Eppos regere Ecclesiam Dei. — Eppi Summo Pontifici velut Capiti membra inhaerentes, utpote non Petri quidem sed apostolorum ceterorum in potestate ordinaria successores, horum vices, locum, gradum in Ecclesia Dei iure tenent haereditario. — *Cap.* 7. Inter apostolos, quos Dei Filius duces et magistros Ecclesiae suae dedit, unum prae ceteris elegit, quem primum, caput, et principem eorum constituit, quem Cepham sive *Petrum* a se vocatum in proemium emissae ab ipso confessionis *fundamentum Ecclesiae suae posuit, cui claves ceteris communicandas soli commisit*, pro quo singulariter rogavit, ut non deficeret fides eius, et quem fratres confirmandi auctoritate insignivit, *cui* tandem *totius gregis pascendi curam ita absolute et indiscrete demandavit, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* (Bern. et Leo.) Hic Primatus Petri pro statuenda, fovenda, illaesaque servanda Ecclesiae unitate institutus non minus quam unitas ipsa perpetuus esse debuit: perpetui enim aedificii perpetuum esse fundamentum, perpetuae societatis perpetuum esse ducem oportet. Ideoque Petro Romae, ubi suam sedem fixerat, defuncto in *Romanos Pontifices* eius successores haereditario divinoque iure suprema haec potestas transiit. Hinc ab incunabulis Ecclesiae perpetuo et ubique dictum et creditum fuit, Romanum Pontificem esse Petri successorem; hinc illa Rom. Pontificum series numquam interrupta toties contra haereticos et schismaticos invocata; hinc romana cathedra semper et ubique vocata cathedra Petri et sedes propria, in qua Petrus in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Haec est illa sedes unanimi plausu a patribus conclamata: cathedra unica, prima de dotibus, unde unitas sacerdotalis exorta est, et in qua una unitas ab omnibus servanda. Haec Ecclesia omnium ecclesiarum mater et magistra, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam. Haec felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sangvine profuderunt, ubi fides non potest sentire defectum, et in qua immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina. Haec tandem

petra, super quam Ecclesia est Domini voce aedificata, et in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. Hanc ergo patrum, conciliorum, et summorum pontificum doctrinam toto animo amplexantes, profitemur et declaramus: Apostolicam Sedem Romanumque Pontificem in universum orbem tenere primatum, et centrum esse totius communionis ecclesiasticae necessarium; ipsumque Rom. Pontificem verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput etc. *ut in C. Flor.* Haec autem docendi, pascendi et regendi potestas cum sit suprema, plena, numerisque omnibus absoluta, vera est hoc ipso non solum dirigendi, sed iubendi, leges ferendi et sanciendi, iudicandi et poenas decernendi auctoritas, cui omnes obedire tenentur, et veri nominis iurisdictio, cui populi populorumque pastores subiacent; adeo, *ut in iure ecclesiastico Summus Pontifex nihil non possit, ubi id exposcit necessitas aut iusta Ecclesiae utilitas.* Praeterea cum divina sit et Ecclesiae omnino necessaria auctoritas illa et iurisdictio, *nemini fas est illius exercitium suspendere aut restringere. Qui autem liberam inter Romanum Pontificem et fideles praesertim Eppos qualicunque modo communionem interrumperet, hoc ipso divinam Ecclesiae constitutionem evertere et ipsius unitatem dirimere attentaret.* — **Acta C. Aquensis.** p. 25.

1175. **C. Bituricense.** *1850.* Tit. I. *Decr. de Summo Pont.* Primum quidem mentis oculos et cordis affectus convertimus ad sanctam illam Ap. Sedem beatissimi Petri, quem divinitatis suae assertorem egregium Christus Dominus posuit Ecclesiae suae inexpugnabile fundamentum, cuius fidem numquam defecturam promisit, mandans, ut confirmaret fratres suos, cui claves regni coelorum et plenam ligandi atque solvendi commisit potestatem, atque pascendos totius ovilis sui agnos et oves concredidit. Et *quoniam tota a seculis conclamat traditio, Petrum per Romanum Pontificem loqui, et semper in suis successoribus vivere et iudicium exercere, et ipsius cathedram omnium Ecclesiarum matrem esse et magistram: ideo plena fide et ex intimis praecordiis cum S. Oec. Conc. Florentino profitemur:* S. Ap. Sedem etc. *ut supra.* Quaecunque igitur credenda, quaecunque servanda decernit Summus Pontifex, haec credenda et servanda amplectimur, quae damnat et respuenda iudicat, haec damnamus et respuimus, declarantes insuper, sanctione quavis potestatis civilis nullatenus indigere apostolicas constitutiones

tum dogmaticas tum disciplinares. Summus ab omnibus Christifidelibus et ministris rependatur honor et plenum peramanter praestetur obsequium beati Petri successori, quem omnium Patrem et Dominum fecit Christi caritas et auctoritas, et *haeresis nota affecti maneant, qui Primatum eius figmentum humanum apostolicis seculis ignotum ausi sunt asserere. Reprobata etiam maneat contumeliosa Domini extranei appellatio, qua Beatissimum Patrem nonnulli attentaverunt appellare.* — **Acta C. Bituricensis.** p. 26.

1176. **C. Burdigalense.** *1850.* Tit. IV. c. 1. Quod de Summo Pontifice definierunt *Florentini* Patres, hoc et nos toto animo profitemur: Sanctam nempe Apost. Sedem etc. *ut supra.* Ad Romanam igitur Ecclesiam tamquam ad unitatis catholicae centrum, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. Primatus enim ille tum honoris tum iurisdictionis divinitus beato Petro eiusque successoribus collatus in omnes omnino Christifideles extenditur, nec ullis aut locorum aut temporum restringitur limitibus, cum integrum ovile, agnos videlicet et oves, in perpetuum pascere, fratresque suos nullo prorsus excepto confirmare a Christo Petrus iussus fuerit. Idcirco plane S. Cypriano assentimur dicenti: Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Omnia proinde decreta et leges, quae ab Ap. Sede prodeunt, profitemur veram esse ac sinceram pro universali Ecclesia credendorum normam et conscientiae regulam. Deus quippe, ut ait S. Augustinus, in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Unde *eorum omnium temeritatem damnamus, qui supremae Summi Pontificis auctoritati refragantes, de sententiis eius ac iudiciis ad Ecclesiam appellare non metuunt,* quasi a Capite suo Ecclesia divelli unquam possit, aut alibi esse quam ubi Petrus. Errores ergo quoscunque quovis tempore et modo a S. Sede damnatos damnamus, signanterque ea omnia, quae in bulla ‚Auctorem fidei' S. P. Pius VI improbat, reprobat et damnat, pro improbatis, reprobatis et damnatis habenda profitemur. Ad Ap. Sedem referendae sunt causae maiores, et iuxta Innocentii I verba quaestiones super anxiis rebus, ut inde quae tenenda sit via

perspectum habeatur. *Hic residet auctoritas, quae Concilia Oecumenica iure proprio convocat, illis praeest, illorum decreta confirmat, et ab iis, prout opus est, dispensat. Hic eminet Summus ille Pastor*, qui per universum orbem solus dioeceses instituit vel supprimit, coadunat vel dividit, iisque praeficit Epos, et *iurisdictione immediata ubique pollet.* Quaecunque tandem iura, quaecunque praerogativae Summo Pontifici competunt, ea omnia filiali affectu summaque observantia agnoscimus et reveremur. Hanc porro observantiam, hoc obsequium praestando Ecclesia quaeque particularis multo magis sibi consulit, quam ipsi omnium Ecclesiarum matri et magistrae. Ibi enim iuxta S. Innocentii verba universis et murus est et securitas, ibi portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium. Quo demum plenius testatum faciamus, quali corde, mente et animo Romano Pontifici, Pastorum Principi, omniumque fidelium Patri devoveamur et adhaereamus, nos Apost. Sedis non tantum mandata recepturos humiliter et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus. — *Epistola Concilii ad Papam pro confirm. Conc.* Ad Sanctitatem Vestram acta et decreta C. Burdigal. summa subiectione ut obedientes filii transmittentes, ante omnia nihil magis curae habemus, quam ut declaremus perspicue ea, quae animis nostris firmiter insident circa S. Sedem, Summosque Pontifices. Opportunum enim adest tempus loquendi, et Parenti optimo sensus nostros solenniter pandendi. Duo et amplius effluxerunt secula ab ultimo Concilio Burdigalensi, sub Emin. Cardinali Francisco Escoubleau de Sourdis a. 1624. Quaedam aera nova post Concordatum a. 1801 provinciae nostrae Burdigalensi exorta est, assumto ad Metropoleos regimen piae memoriae D. Carolo Francisco d' Aviau Dubois de Sanzay, cuius Galliae fidem invictam, labores indefessos, scientiam praeeminentem undique miratae sunt. Nullum fere latet apud nostrates, imo apud plurimos exteros, quam prona quamque devota fuerit mens venerandi huius Praesulis erga Cathedram Apostolicam et sacrum Ecclesiae Verticem eiusque divinas praerogativas; multa namque eius scripta, quae usquedum extant, moestitiam illius exerunt de omnibus, quae Romanam Sedem laedere nata erant. In his intimi pectoris pia vota effundit, ut gens nostra nullis cedat aliis reverentia et submissione

Vicariis Christi debita. Vestigiis tam eximii Pontificis insistentes, qui defunctus adhuc loquitur, sensibus eius penitus assentimur, ideoque quasi pietatis eius nostraeque monumentum haec quae sumus dicturi simul profitemur. Sancta Sedes Apostolica seu Romanus Pontifex in universum orbem Primatum obtinet, perennemque apostolatum ac pastoralem curam Petro et successoribus Petri a Christo tradita exercet. Inde omnium Ecclesiarum iura dimanant, et cum sit omnium Ecclesiarum mater et magistra, ad illam propter potentiorem eius principalitatem necesse est omnes Ecclesias convenire. *Impiam reiicimus doctrinam eorum, qui Summi Pontificis iurisdictionem ad certos limites restringere voluerunt, quique eum praesidem Ecclesiae eo solum titulo agnoverunt, ut aliorum Praesulum negligentiam suppleret.* Ad eum usque contemtus cumulum in Romanum Pontificem processerunt, ut ei nullam in aliis dioecesibus nisi occurrentibus extraordinariis casibus iurisdictionem relinquerent. Nos tales doctrinas abhorrentes, Pii VI Constitutiones ‚Super soliditate petrae' et ‚Auctorem fidei' pie ac veneranter amplectimur. Beatum Petrum in Summo Pontifice legitime viventem, fideique veritatem quaerentibus praestantem cum S. Petro Chrysologo reveremur. Agnoscimus cum Adriano I Christum vices suas reliquisse cuique summo Pontifici, ut Capiti omnium Ecclesiarum per orbem refulgenti. Cum duobus Caesaribus Graeco Latinoque Eugenium IV Patrem orbis terrarum nominantibus ita nos Pium IX Parentem nostrum omniumque fidelium Christi, ut pios filios decet, laeti profitemur, idemque de omnibus Romanis Pontificibus, qui legitimam hanc supremam auctoritatem adierunt, sentimus. Eundem habemus ut omnium Christianorum doctorem, *cuius auctoritas sine Concilio sufficit*, iuxta S. Flavianum ad S. Leonem M. scribentem, ut destruatur haeresis. Occupat enim Sedem, in qua teste Tertulliano est finis quaerendi, statio credendi, expunctio inveniendi. Ipsum a Domino Iesu Christo accepisse plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam certissime credimus: nihil enim excipitur ubi distingvitur nihil, nec modo ovium sed et pastorum ille solus omnium Pastor est. Unde *detestamur insaniam quorumdam novatorum, qui Eppum quemlibet Pontifici Romano adaequarunt.* Petrus in persona et per os successorum loquitur in solemnibus fidei definitionibus, et in Cathedra Apostolica novimus

integram et veram christianae religionis soliditatem. His principiis innixi *nullam partem habemus cum iis, qui restringere praesumunt quascunque praerogativas vel iura Summo Pontifici collata. Nec dubitamus apostolicae potestatis usum a Spiritu S. dirigi, quando etiam causarum gravitate id exigente illa potestas Canones praetermittit*, ut egit Pius VII in negotio Concordati Gallici. Etenim si tunc litera canonum mortua rescidisset usum potestatis Apostolicae, adhuc tetrum schisma subsisteret; extinctum est vero tanti Pontificis auctoritate, ipsiusque prudentiae benedicimus, deplorantes dissidentium obcoecationem, qui suum schisma lugendum Constitutionis civilis schismati substituerunt. Cum S. Francisco Salesio aegre ferimus dissidia suscitari inter potestatem pontificalem et civilem. Hoc ipso consilio Iudaei blandiebantur Caesari, quem penitus oderant, ut Christum, cui calumniabantur, perderent. Romanorum Pontificum vota Christi desideriis consentanea sunt, nempe ut omnes unum sint in fide et caritate. Hinc fieri praecipiunt obsecrationes, orationes et postulationes pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus. *Numquam Deo dante divellemur a cathedra unitatis, in qua posita est doctrina veritatis.* Ibi enim fides tuta spirat, fides scilicet, pro qua rogavit Christus ne deficeret, et in qua iussit ut Apostolorum Princeps confirmaret fratres suos. Nec tantae dementiae erimus, ut orationem illius, cuius velle est posse, audeamus in aliquo vacuam putare, cum omnium haereticorum commenta tam per Petrum quam per successores suos fuerint convicta, expugnata ac reprobata, cum etiam fratrum corda in fide Petri, quae nec deficit nec usque in fine deficiet, confirmata fuerint. (Verba sunt Leonis IX.) Scimus ibi potissimum resarcienda damna fidei, ubi fides, ait S. Bernardus, non potest sentire defectum. *Haec est* autem *huius praerogativa Sedis, quae certa scientia pronunciat; cuius definitiones solemnes a Conciliis Generalibus semper fuerunt receptae, numquam reiectae; qua approbante Concilia fiunt Generalia; qua improbante Generalia non sunt;* cuius tandem, ut cum Antecessoribus nostris a. 1653 loquamur, iudicia pro sancienda fidei regula divina ac summa auctoritate nituntur, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur. *Confitemur* etiam *iudicium Romani Pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum*

Ecclesiarum : tali enim assensu expectato ianua aperiretur pervicaciae novatorum, qui numquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent Ecclesiarum ipsos condemnantium consensum, ut funesta saepius constitit experientia. Hanc igitur sententiam a Legatis Adriani II in octavo Concilio Oecum. prolatam amplectimur : nobis, inquiunt, non licet rescindere iudicium Sacrorum Romanorum Pontificum, hoc enim contrarium est canonicis institutis. Ecclesiarum Galliae decus et splendor ‚Fenelonius' AEppus Cameracensis non expectavit aliarum Ecclesiarum consensum, post condemnationem Romae pronunciatam libri a se publicati : *Roma locuta est, causa finita est.* Eadem mens, eaedem dispositiones in nobis sunt, et, ut speramus, in nobis erunt et permanebunt erga S. Sedem, ut a nobis discant clerus populusque curae nostrae creditus, quemadmodum oracula Petri suscipienda sint, quando animadvertent alacritatem Epporum suorum in eis amplectendis et proclamandis, statim atque satis sibimet innotuerint, nec aliud tunc nisi simplicis adhaesionis et acceptationis iudicium praestabimus. Et haec sunt, Beatissime Pater, quae declaranda censuimus vix inchoato Concilio nostro Burdigalensi. — — *Acta C. Burdigal.* p. 23.

1177. **C. Albiense.** *1850.* Tit. II. decr. 2. Fide certum est, S. Apost. Sedem etc. *ut in C. Florent.* Quapropter agnoscimus et profitendum censemus : 1. *Romanum Pontificem* canonice electum, *sive Romae sive alibi sedeat, caput esse atque centrum catholicae unitatis*, et in tota Ecclesia honoris et iurisdictionis primatum tenere, quem ei contulit ipsemet Christus in persona beati Petri, cuius est successor legitimus. 2. *Ipsius solius esse Eppos creare, confirmare, et instituere per orbem universum, Concilia oecumenica convocare, eis praeesse, ac eorum acta propria auctoritate munire et confirmare, qua deficiente nullum robur obtinerent; posse etiam maiores causas cognoscere, appellationes ab Epporum iudiciis suscipere, et suam ubique terrarum iurisdictionem exercere.* 3. Quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia ‚Tu es Petrus etc.' : in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, et servabitur. *Cum* igitur *S. Sedes sit in fide indefectibilis, ubi per decretum solemniter emissum Summus Pontifex proponit aliquid ut catholica fide credendum, ab omnibus huiuscemodi decreto etiam*

internus debetur assensus. 4. Propter supremam illam perpetuam et numeris omnibus absolutam potestatem pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam populorum ipsos pastores, quae Summo Pontifici vi primatus divinitus accepti competit (Pius VI.) : *leges condere potest, quibus universi christiani veram obedientiam praestare tenentur, quae proprio robore valent, independenter ab acceptatione subditorum et assensu aut sanctione secularis potestatis, et a quibus nemo, nisi ipso Summo Pontifice consentiente, dispensari et eximi potest.* 5. Ipsi pariter competit ab omnibus dispensare etiam Conciliorum Generalium legibus: uno verbo, ubi de iure positivo et disciplina eccles. agitur, nihil est quod in casu necessitatis aut magnae utilitatis, de quo ipsius est diiudicare, facere non valeat. 6. *Omnium Epporum est, hisce praesertim difficillimis temporibus, quibus omnis impetitur et nutat auctoritas, invigilare et adlaborare, ut omnes Romano Pontifici arctissimis coniuncti vinculis huic unitatis centro firmiter adhaereant, et undequaque firma et inconcussa perseveret Apostolica illa potestas, ex qua omnis Eppalis et sacerdotalis auctoritas dimanat et roboratur.* — **Epistola AEppi ad Summum Pont. pro confirm. Conc.** — Optatissimum Sanctitati Vestrae nuntium deferimus, certam eam faciendo omnia quam optime se habuisse in Concilio nostro, singulorum manifestam apparuisse pietatem, sanam doctrinam, disciplinam, et *inprimis quemlibet reverentia, obsequio et filiali affectu enituisse erga Romanam Ecclesiam* et dignissimum, qui ipsi praeest, Summum Pontificem. Nobis omnibus magis atque magis persvasum fuit, nihil optabilius esse, quam ut coniunctiora fiant inter se singula Ecclesiae membra, *Christi Vicarium circumsistant, ei fideliter obsequantur, et firmioribus cum ipso unitatis vinculis adstringantur :* nosque igitur ea obedientia ac concordia veluti clypeo impervio muniendos adversus tela, quibus nos impetunt tot infensissimi religionis hostes. *Non latet nos,* Beatissime Pater, *a Gallia,* quam singulari amore prosequitur Sanctitas Vestra, *crebris olim consauciata fuisse vulneribus Rom. Pontificum corda : sed iam ex plerisque animis evulsae sunt antea insitae opiniones, quibusque laboravit, fere discussae vertigines,* moxque, ut confidimus, dulcissima ex illa percipietis solatia. — Albiae 2 Octobr. 1850. — **Acta C. Albiensis.** p. 41.

1178. **C. Lugdunense.** *1850.* — Decr. IX. De Summo Pontifice. 1. Quamdiu Christus in terris visus est et cum hominibus conversatus est, Ecclesiae, quam efformaverat, dux ipse fuit et supremus moderator. In ea fovenda, docenda, pascenda, regenda totus erat, spirans in eam spiraculum vitae, ut usque ad extrema terrae cresceret in augmentum Dei. Ad Patrem reversurus suam non dereliquit sponsam, sed invisibiliter ad finem seculi in ea permanens visibilem sibi Vicarium elegit, et Caput Ecclesiae constituit Simonem Petrum, cui suae erga eam caritatis universa munera demandavit. 2. Ecclesiae nimirum, si civitatis imagine adumbratur, *Petrus est fundamentum:* Tu es Petrus etc. Si coeli ianua declaratur, *Petrus est coelestis clavicularius:* Tibi dabo etc. Si ovile apellatur, *Petrus est supremus Pastor:* Pasce etc. Si demum, uti revera est, columna et firmamentum veritatis nuncupatur, *Petrus est certum fidei munimen:* Ego rogavi etc. 3. Quoniam vero adversus Ecclesiam supra Petrum fundatam portae inferi non praevalebunt, immortalis Ecclesiae inconcussum fundamentum perpetuo manere necesse est. *Petrus* igitur *in Ecclesia Christi semper vivit, Petrus in singulis successoribus loquitur, ut in omnem terram exeat vox eius* et ipsius verba in fines orbis terrae. *Hanc supremi Pastoris vocem omnes sciunt oves ex ovili, quod est universa Ecclesia. Hanc ab apostolicis temporibus audierunt cuncti tum orientalis tum occidentalis plagae doctores. Huic omnia a Nicaeno ad Tridentinum acclamaverunt oecumenica Concilia.* Hanc dulcissimam universalis Pastoris vocem scimus et nos, qui in loco pascuae a Domino collocati, Lugdunensi videlicet Ecclesia, ab Irenaeo cum amore Petri purissimam hausimus fidei substantiam. Os nostrum a 16 seculis ad beati Petri Cathedram patet, et ut splendidissimum ei amoris et obedientiae praestemus obsequium, in ipsasmet Parentis nostri voces erumpimus: ‚Ad hanc Ecclesiam maximam et antiquissimam et omnibus cognitam, in gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.‘ Quin ut manifestius appareat Ecclesiae Lugdunensis haud interrupta traditio, singulari animi exultatione commemoramus, sexcentis abhinc annis in hanc nostram civitatem ex omnibus Europae et Asiae partibus convenisse Eppos in Oecumenicam Synodum coactos, et solemni-

ter utraque lingva, graeca et latina, de Gregorio X proclamasse, quod nos Pio IX proclamamus: esse Vicarium Christi, successorem Petri, rectorem universalis Ecclesiae. 4. Summus quidem Pontifex, legitimus Petri successor, habet in universa Ecclesia primatum honoris et iurisdictionis, ita, ut ex eo tamquam e spiritualis auctoritatis fonte omnia procedant, et ad eum tamquam ad centrum unitatis omnia conveniant. *Proprio iure et absque ulla a Potestatibus temporalibus dependentia, decreta facit circa fidem, mores, et Ecclesiae disciplinam, quibus omnes Christiani corde et animo subiici debent. Est supremus Iudex, ad quem maiores et difficiliores causae omnium Ecclesiarum definiendae referuntur.* 5. Nos itaque his principiis adhaerentes, apostolicis constitutionibus specialem assensum renovandum duximus, quibus a Pio VI ad Pium IX omnes Summi Pontifices errores damnaverunt recentiores. 6. *Si quis* igitur *cum nonnullis huius aevi scriptoribus asserere vel supponere praesumat Romani Pontificis spiritualem primatum quasi Principis extranei auctoritatem contemni vel renui posse, aut ab humano iure originem duxisse, ab omnibus ut impius habeatur, catholico nomine prorsus indignus.* 7. Utinam hoc novum reverentissimi amoris et obsequii testimonium aliquid afferat levaminis Pontifici Maximo, qui immenso fidelium dolore nuper ab Urbe exulare coactus, nunc vero Gallia nostra Ecclesiae primogenita sic volente et invictis armis praeeunte in suam ditionem Romanam restitutus est: cuius principatus temporalis supremo Ecclesiae regimini tam mirabili Dei ordinatione fuit annexus, ad tutum et liberum spiritualis potestatis exercitium! — *Epistola ad Pium IX PP. pro confirmatione Concilii.* — Quae in Concilio nostro decreta confecimus, ut firma et suprema auctoritate roborata maneant, quam maiori possumus reverentia ad Sanctitatem Vestram duximus dirigenda. Vestrum est, Sanctissime Pater, ex illis expungere quae expungenda sunt, in illis corrigere quae correctione indigent, illis addere quae addenda Vobis placuerint. *Iudicium* quippe *Beatitudinis Vestrae nobis erit iudicium Petri, Petro per os Vestrum loquente.* Non enim nos praeterit, ad Vicarium Christi pertinere, in fide confirmare fratres suos, et pascere agnos et oves. Quapropter necesse est ad Vestram potiorem principalitatem omnes convenire totius Ecclesiae Eppos, ut a Vobis lumen accipiant, quod in greges sibi commissos valeant effundere. Id

sentiunt idque profitentur, Beatissime Hierarcha, Concilii Provincialis Lugdunensis Eppi de venerata auctoritate Vestra, quam semper devotissimo affectu et obsequio prosequentur. — Lugduni, die Iulii 31, a. 1850. — *Acta C. Lugdunensis.* p. 30. et XX.

1179. **C. Rothomagense.** *1850.* Decr. VI. 1. Patres C. Rothomagensis aperte profitentur: Romanum Pontificem totius esse Caput Ecclesiae, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem, ipsique in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. potestatem traditam fuisse. *Suum* igitur *erga S. Ap. Sedem obsequium et amorem uno ore testantur*, simulque preces et obsecrationes Deo offerunt, ut suum in terris Vicarium tot ac tantis tribulationibus et angustiis probatum quam maxima gratia et virtute ornare ac munire dignetur. 2. Si, ut par est, intimo animi dolore ingemuerunt de rebus novissime Romae peractis, unde non solum Romanae Civitati, sed ipsimet Ecclesiae gravissima imminerent mala, non minori gaudio audierunt, Summum Pontificem fuisse Deo misericorditer providente Urbi suae redditum, communi ope Catholicarum gentium, ac praesertim auxilio et armis gentis Gallicanae. 3. — Demum hisce praedecessorum suorum verbis sincera mente adhaerentes: ‚Meminimus hoc esse a Gregorio IX nostrae genti nostrisque Ecclesiis praeconium concessum, quod in fervore fidei christianae et devotione Apost. Sedis non sequatur alias gentes sed antecedat,‘ (Epp. Gall. ad Clementem XIII.) illud magis ac magis promereri velle ipsi profitentur. — *Acta C. Rothomagensis.* p. 25.

1180. **C. Senonense.** *1850.* Tit. I. cap. 1. De Ecclesia et de Romano Pontifice ipsius Capite. Ut inter tot errorum tenebras fidelibus nobis commissis rectum tramitem ostendamus, quo securi ducantur ad veritatem, ante omnia ipsos rogamus, ut oculos dirigant ad Civitatem in monte positam, Ecclesiam scilicet Dei a Christo in Petro et supra petram fundatam. — Christus ut unitatem manifestaret, Ecclesiamque faceret inconcussam, fundamentum posuit Petrum dicens: Tu es Petrus etc. — Ideo *Romanum Pontificem Petri successorem agnoscentes, Ecclesiam Romanam omnium ecclesiarum matrem et magistram profitemur, in qua fides Petri vivit et praesidet numquam defectura,* ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. Quocirca nos provinciae Senonensis Metropoli-

tanus et Eppi in Concilio congregati volumus frequenter fidelibus inculcari hoc solemne Florentinae Synodi decretum: Definimus Romanum Pontificem etc. Igitur sciant omnes, si qua exoriatur circa fidem aut mores controversia, *Romani Pontificis esse, doctrinas approbare vel reprobare, confutare errores, tenenda determinare;* tum in iis, quae spectant ad disciplinam, eiusdem esse sive leges novas condere, sive antiquos canones redintegrare et urgere, sive eosdem relaxare vel immutare, prout locorum vel temporum necessitas expostulaverit. — Nec grave cuiquam iugum videatur sed svave, per quod sic omnes ad unitatem compinguntur, ut ad singulos descendat Pastoris Supremi sollicitudo, ideoque illud Claraevallensis cuilibet usurpare liceat: Tu Princeps Epporum, tu haeres Apostolorum, tu potestate Petrus, unctione Christus. Tu, cui claves traditae, cui oves creditae; habent alii sibi assignatos greges singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium Pastor. — *Ex epistola Concilii ad Papam pro eiusdem confirmatione.* Ad pedes Sanctitatis Vestrae provinciae Senonensis Eppi in Concilio congregati, quae coram Deo et in Christo, ut sperant, confinxerunt decreta, deponere festinant, siquidem *optime noverunt sibi ad hanc principalem Cathedram conveniendum esse, unde Petrus in successoribus, et ipse Christus in Petro loquitur.* Quapropter constitutioni Sixti PP. V filiali affectu obsequentes ea recognitioni vestrae libenter submittimus, ut si quid irrepserit Ecclesiae legibus non satis accomodatum, si quid Patrum traditionibus minus consonum, si quid S. Sedi ingratum, illud emendare, corrigere, auferre, pro certa et suprema scientia velitis. — Senonis, die 15 Sept. 1850. — *Acta C. Senon.* p. 15. 82.

1181. **C. Auscitanum.** *1851.* Tit. I. c. 1. — *Evangelicis institutis et Conciliorum definitionibus inhaerentes circa ecclesiasticae potestatis plenitudinem beato Petro et legitimis eius successoribus a Christo immediate collatam, Summorum Pontificum constitutiones amplectimur tamquam veras credendi et agendi regulas, quae fideles omnes vi propria obligant independenter a cuiuslibet potestatis sanctione aut acceptatione.* — Tit. II. c. 1. Christus suam in terris Ecclesiam constituens usque ad consummationem seculi permansuram, et portis inferi omnino invincibilem, *Petrum* principem apostolorum fundamentum po-

suit. Ille agnorum simul et ovium pastor, claves regni coelorum accepit cum plena potestate ligandi et solvendi super terram; ipse contra quaslibet satanae machinationes factus est fratrum confirmator in fide indefectibilis, in quo firmum voluit Christus constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda ex membris quantumcunque dissitis mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret. Mirabilem illam constitutionem omnibus retro seculis toties et tam unanimi Patrum et Conciliorum concentu celebratam summo cordis affectu suscipimus et veneramur. Profitemur, quod hodie sicut olim et in futurum Petrus velut in propria sede vivit et praesidet, nempe in Romano Pontifice, qui iuxta fidem in Conc. Florentino definitam in universum orbem tenet primatum etc. *ut in C. Flor.* Quapropter damnamus eos omnes, qui Sedi Apostolicae non consentientes ab eius et ideo totius Ecclesiae communione se sequestrant; qui extra hanc domum agnum comedit, profanus est, et qui non colligit cum Petro, spargit. *Damnamus eos, qui solum nomine Pontificis primatum retinentes hunc ut merum unitatis symbolum habent, non autem ut verum munus et officium divinitus collatum pascendi universalem Ecclesiam, quasi ceteris Eppis honoris tantum gradu non autem supremae potestatis amplitudine antecellat. Damnamus eos, qui apostolicum primatum non ab ipso Christo immediate institutum dicunt, sed a communitate fidelium, quippe quae democratico more regiminis sui formam instituere potuerit.* — Sacerdotes enixe hortamur in Domino, ut populos sibi commissos depulsis omnibus haereticalibus dicteriis, sanam de auctoritate Pontificia doctrinam doceant. Memores verbi S. Ambrosii ‚ubi Petrus, ibi Ecclesia,' semper et in omnibus nobiscum immotae Apost. Sedi corde et ore adhaereant, confidentes, quod sicut ductore Petro praeteritas Ecclesiae nostrae tempestates salvi evasimus, ita in soliditate Petrae firmati contra quaslibet futuras diaboli fraudes subsistemus invicti. — *Epistola AEppi ad Papam pro confirm. Conc.* — Nostra nunc, ut par est, afferimus decreta ad beati Petri Sedem, ut ab illo veritatis centro recognita et emendata, ex hoc eminenti auctoritatis fonte firmata ovium et pastorum mentes et actus in viam salutis tuto in futurum dirigere valeant. — Ante omnia fidem, quam integram Romana tenet Ecclesia, professi sumus, depulsis

impiis quibuscunque erroribus, quos a priscis temporibus ortos mira eloquii aut potius diaboli arte nuper innovare apud nos inquieti animi conati sunt, in rei christianae et totius societatis ruinam. Nec alio quam dudum probato armorum genere hostibus illis occurrendum esse censuimus, Ecclesiae scilicet magisterio et *illa limpidissima petra, quae ab ipso Christo electa iam non solum gigantem unum deiecit, sed et quoscunque insurgentes hostes prosternere novit.* — Romae 17 Nov. 1851. — *Acta C. Auscitani.* p. 33. 43.

1182. **C. Remense** *1853.* Cap. 5. Etsi omni tempore necesse sit errores repellere, quibus obedientia Summo Pontifici debita labefactatur aut imminuitur, peculiares tamen nostris in temporibus nostrisque regionibus adsunt rationes, cur catholica ista obedientia ita praemuniatur, ut inter omnia discrimina, inter omnes assultus et laqueos integra atque intacta remaneat. Inter quas rationes specialiter annumeramus librum, sine nomine auctoris typis mandatum, cui titulus: ‚Sur la situation presente de l' Eglise Gallicane relativement au droit contumier;' qui non solum ad Eppos, sed etiam ad seminariorum superiores missus et a pluribus iam ecclesiasticis perlectus est. Quidquid sit de illusionibus, quibus conscientia auctoris verum sui operis characterem sibi ipsi occultare potuit, manifestum est, hunc librum ad hoc spectare, ut potestatis pontificiae exercitium restringatur. Tradit enim aut insinuat: I. *Non solius Papae iudicio solvendam esse quaestionem de conciliandis inter se iure reservationum quod Summo Pontifici competit, et iure proprio Eppi ad ordinariam suae dioecesis gubernationem;* et introducendum esse ius consuetudinarium tamquam regulam, iuxta quam haec lis dirimenda est. 2. *Non improbabilem esse opinionem, secundum quam Papae urgenti abolitionem consvetudinis iuri communi contrariae* in aliquibus dioecesibus existentis *Eppi possunt legitimam oppositionem facere*, saltem donec rationes necessitatis recognitae fuerint. 3. In regione, ubi arcta fuit Ecclesiam inter et statum politicum colligatio, *rationabilem fuisse consvetudinem, qua Constitutiones Apostolicae ad Ecclesiae disciplinam spectantes tamquam obligatoriae non reputabantur, quin prius in dioecesibus promulgatae fuissent praevio potestatis civilis placito.* 4. In praesenti Eppos Galliarum posse legitime vi consvetudinis nullas Constitutiones Apostolicas disci-

linam respicientes, si excipiantur casus extraordinarii, agnoscere tamquam pro se obligatorias, quae antea non promulgatae fuerunt in Galliae dioecesibus. 5. Eppum in praesenti quaestionis statu legitime posse apud nos vi principiorum iuris de consvetudinibus excludere a sua dioecesi non modo tantum provisorio, sed absoluto, liturgiam Romanam. 6. In haud paucis suis decisionibus recentibus Congregationes Romanas, a Summis Pontificibus pro generali Ecclesiae administratione institutas sequi viam bono Ecclesiarum Galliae nocivam. 7. Necessitatem recurrendi Romam iuxta decisionem Congr. Concilii pro casu, in quo aliquis sacerdos feriretur suspensione ex informata conscientia, sibi videri plagam auctoritati metropolitanae inflictam. 8. Nullam apparere rationem praetensionis, qua Congregatio Romana Concilii sub praetextu supplendi omissiones, sibi arrogavit ius introducendi additiones in acta conciliorum provincialium. 9. Impulsionem, quae ad amplectendam Liturgiam Romanam inducit, haud probandam esse. Et plura alia, quae cum his assertionibus connectuntur. *Praedictas assertiones et opiniones, alias tamquam sanae doctrinae contrarias, alias tamquam saltem menti Ecclesiae adversas, sanctae Sedi Apost. et sub aliquo respectu Eppis iniuriosas, summopere improbandas ducimus et improbamus.* Insuper etsi Conciliorum prov. continuationem a se exoptari innuat, nihilominus suggerit aliam viam ab Eppis sequendam, ita ut collectionem Ecclesiarum Galliae, quae nullum peculiare auctoritatis et iurisdictionis centrum habent, exhibeat tamquam corpus, quod deliberare, agere, decernere possit. Introducit itaque principium regiminis eccles. perturbativum, et periculis gravidum, cum in futurum exurgere possint circumstantiae, prout praeteriti temporis experientia docet, in quibus schismaticis tentaminibus plurimum faveret. Perspicuum est, hoc placitum extra viam rectam aberrare. Equidem Ecclesiae mos est, imo et praeceptum, Eppos plurimis de rebus decernere communi consilio et actu, quando id suarum dioeceseon utilitas postulaverit. Sed Ecclesia, quae est acies bene ordinata, et in qua omnia ex ordine fiunt, non voluit has communes sanctiones concertatione arbitraria absque regulis, et sine Summi Pontificis interventu confici. Sapientissimo enim ordine constitutum est, primo ut Eppi uniuscuiusque provinciae ad Concilium rite celebrandum vocante Metropolitano in unum conveniant; deinde ut omnium

Conciliorum provincialium decretis priusquam publicentur S. Sedis iudicio submissis Epporum actio in Capite Ecclesiae ad unitatem redacta vere communis efficiatur. Cum ergo Eppis incumbit officium declarandi aut statuendi communi sanctione regulas circa doctrinam, mores et res ecclesiasticas, Synodi provinciales sunt via bona, Ecclesiae praxi consentanea, canonibus praescripta, S. Sedi Apostolicae probata, quam solam, nisi adsint obstacula et extraordinariae necessitates urgeant, et tunc quidem cum intentione submittendi quamprimum res actas Summo Pontifici a nobis tenendam esse profitemur. Indigitavimus huius libri summam. Iam vero si quaeratur, unde profluat spiritus ille, quem in eo reprobavimus, quique totum ipsum quasi inficit, rem penitus scrutantibus nobis apparet, situm esse hunc fontem in duabus opinionibus, *quarum prior negat auctoritatem Summi Pontificis supremam esse pro gubernanda Ecclesia potestatem et declarat aliam esse potestatem quae ipsi superior sit; posterior vero qua affirmatur, solemnia Summi Pontificis iudicia in causis fidei ex cathedra prolata de se reformabilia esse,* eorumque irreformabilitatem ab aliqua extrinseca sanctione pendere. Ex quo enim Vicarii Christi auctoritas qualis est non agnoscitur, facile intelligitur, qua ratione multipliciter in ipsam peccari possit. Quapropter *duas istas opiniones in ecclesiis, seminariis, et scholis nostrarum dioeceseon doceri omnino prohibemus.* — **Acta C. Remensis.** p. 25.

1183. **C. Burdigalense.** *1853.* Cap. I. 1. Quod semper in intimo corde fovimus, quod in ultima huius nostrae provinciae synodo, nec, ut audivimus, sine aliqua Summi Pontificis consolatione, unanimi ore praedicavimus de divino Primatu, de universali iurisdictione et plenissima successoris Petri potestate, ante omnia volumus hic rursus eadem omnium huiusce provinciae tam feliciter auctae Epporum unanimitate, maiorique si fieri possit animi alacritate profiteri. Imo cum hisce tribus abhinc annis aliqua prodierit super haec contradictio, et quoniam hoc praecipuum inter alia officium synodis particularibus incumbit, ut promulgent novas constitutiones, sanctiones, literasque Pontificias, ac etiam, ut ait Benedictus XIV, sacrarum urbis Congregationum decreta, si quae de novo prodierint ad universum Clerum spectantia: ut hanc, quam adeo solemniter emisimus, nostrae fidei pietatisque admodum filialis professionem, factis et opere

compleamus, declaramus: 2. nos cum maxima reverentia amplecti literas encyclicas, quae incipiunt his verbis ‚Inter multiplices,' a Summo Pontifice ad omnes Eppos Galliarum nuper directas, easque volumus actis huius Concilii annecti, quo facilius ac certius ad omnium notitiam possint devenire; reprehendentes quidquid in eis reprehenditur, reprobantes et condemnantes quidquid reprobant et condemnant; consilia, monita, agendi regulas, quae a Summo Pontifice tanta sapientia et dilectione traduntur, palam ac sine ambiguitate accipientes; toto affectu congaudentes, quod ubi primum de iis literis et earum tenore auditum est, illico tantus animorum ardor deferbuerit, cunctique repente compositi fuerint ad pacem. 3. In hac vero tam laudanda ac pene unanimi omnium docilitate, submissione, obedientia ac reverentia indignandum nobis foret de improbo sane libello nuper edito, cui titulus ‚Observations sur l' Encyclique', si in animos fidelium et maxime sacerdotum valere possent, quae tanta audacia et iniquitate imprudentissimus auctor effutivit. Non enim dubitavit palam asserere, Christi Vicarium potuisse aliqua suadere et in his literis revera svasisse Ecclesiis Galliarum exitiosa, ab ipso nos in malitiam fuisse inductos, in qua si perseveraverimus, et nos et rex noster (Summum intelligit Pontificem) pariter peribimus; et alia bene multa eiusdem et forsan maioris tum erga Sedem Apost. tum erga cunctos fere Eppos Gallicanos contumeliae. 4. Et cum pari spiritu et eadem mente conflata etiam, quod maxime lugendum, a viris ecclesiasticis aliquot alia scripta prodierint, iisque quorumdam publica iudicia faverint, ex aperto et inveterato in aliis Ecclesiae odio, in aliis autem ex animorum sibi placentium et semetipsos fallentium mala pervicacia: eadem reprobatione comprehendimus non tantum eos, qui talia scribunt, sed et eos qui consentiunt et plaudunt scribentibus. Nominibus quidem parcimus, meliora de ipsis in posterum confidentes, sperantesque malum non eousque deducendum fore, ut patientia et longanimitas pastorum in offensionem ac ruinam ovium suarum vertatur. 5. Insuper duorum auctorum opera, unius nempe presbyteri Peruani (*Vigil*), alterius in Taurinensi Athenaeo professoris (*Nuitz*), erroribus contra eccles. potestatem referta, et solemnibus S. Sedis iudiciis damnata ac reprobata reiicimus, et pro damnatis ac reprobatis habemus. 6. Declaramus insuper non posse sine scandalo ac detrimento anima-

rum, nec sine iniuria et contemtu S. Sedis praedicari, quae omni data occasione aliqui palam praedicant de S. Congregationibus Romanis, quodque inprimis de ‚S. Congr. Indicis librorum prohibitorum' dictitant, eius nempe decreta a Summo Pontifice probata nullius apud nos esse valoris et roboris: cui temeritati conscientia fidelium, et insita animis summae auctoritatis saluti ipsorum consulentis reverentia, indeque christianorum Bibliopolarum religio et prudentia, ac ipsa iudicum civilium aequitas hoc nostro tempore feliciter contradicunt. 7. Idcirco non possumus non mirari simul et dolere de mentis obcoecatione, qua perculsus auctor operis, cui titulus ‚Histoire de l' Eglise de France, composée sur les documents originaux et authentiques,' in octavo istius historiae volumine non tantum renovat sed et aggravat quae scripserat erronea in septem prioribus per decretum S. Congr. Indicis damnatis. Posthabitis enim pastoralis caritatis monitionibus, lapsus suos inani conatu defendens, eadem passim recinit, videlicet: Summos Pontifices iura sua praetergressos fuisse; ad dominandum unice intentos, omnem eccles. potestatem ad se attrahere voluisse; Concordata non in Ecclesiae bonum, sed in proprium commodum iniisse, quae ideo nonnisi in malum religionis ubique cesserint; et cum sacra Esclesiae iura secularis principatus saepius invaserit, eosdem Pontifices sanctione canonica has impias invasiones per Concordata roborasse, sicque ipsos modernum Gallicanismum creasse, vel potius quodam veluti baptismo consecrasse; ipsum tandem ius Concordata ista ineundi ex dominationis appetitu in Summis Pontificibus ortum audet asserere, et a potestate divinitus eis concessa prorsus alienum. Ceteros eiusdem Scriptoris errores quid commemoremus de Summi Pontificis auctoritate, de iure liturgico, de Ordinibus Religiosis, de orationibus vocalibus, de mala disciplinae veteris abdicatione, imo et de antiquae, ut impie queritur, doctrinae mutatione? Notare sufficiat eius zelum amarum, animum malevolum, ignominiae paternae non condolentem, sed insultantem, bonis et Ecclesiae amicis utique iniquum, eius autem hostibus perpetuo faventem, quo fit, ut notis eorum calumniis historicam fidem libenter et facile concedat. Non ita didicimus Christum eiusque veritatem. Et sane dolendum a sacerdote sic patriae nostrae scribi eccles. historiam, tot et tantis Sanctorum exemplis refertam, ut in fidelium scandalum vertatur, cum et ipsa scandala

S. Literae et Scriptores Ecclesiastici in divini operis argumentum et assistentiae coelestis evidentiam, indeque in fidelium eruditionem et aedificationem convertere non omittant. 8. Dum scripta eiusmodi S. Sedi infensa reprobamus, absit tamen, ut iis accinamus, qui cum de doctrina eius familiae presbyterorum Cleri institutioni iamdiu addictae disputant, devotionem eiusdem et pietatem erga ipsam S. Sedem videntur extenuare. Quod enim devotionis, pietatis et observantiae profitemur studium Romano Pontifici apostolorum principis successori, ex illa ecclesiasticorum hominum familia nos hausimus praecipue. 9. *Nostram* autem *Summo Pontifici obedientiam non in reiiciendis tantum erroribus vel pravis opinionibus ab ipso reprobatis profitemur : sed, quod ad nos proprius attinet, in abiiciendis etiam iis usibus vel consvetudinibus in nostras Ecclesias etiam a longo tempore sensim inductis, quas ipse in suae divinae potestatis imminutionem vergere iudicaret.* Nec obstabit frequentioris ad Romanam Sedem recursus necessitas, vel in quibusdam arctioris disciplinae aliqua molestia. 10. Quisnam autem de Sedis Apostolicae in hoc iudicio vel sapientia vel aequitate diffidat, cum multa iam iuri communi derogantia, sed hodierno Galliarum Ecclesiae statui necessario connexa in ultimo nostro Concilio Burdigalensi a. 1850 probaverit; et, quod maius est, in recentioris alterius Concilii decretis eas regulas recognoverit, ex quibus plurimas nostrarum Ecclesiarum consvetudines, illasque maxime, quae solae nobis in pretio esse possunt, non improbandas confidimus. — *Epistola pro confirm. Concilii ad Summum Pontificem.* Non sine speciali divinae providentiae ductu factum est, ut Rupellae celebraretur hocce provinciae nostrae Concilium, cuius acta ad pedes Sanctitatis Vestrae reverenter deponimus. Illa quidem pauca numero sunt, sed multo minus quanta sint, quam unde veniant, attendendum arbitrabitur Vestra Beatitudo : cum res satis admiratione digna sit, ex diversis orbis christiani partibus convenisse Eppos strictissimo Apostolicae Cathedrae vinculo unitos, in eam ipsam Civitatem, quam elegerant olim fidei catholicae hostes, veluti Romanae rupis aemulam, ibique novatorum quorumdam ausus temerarios retusos fuisse, unde omnium errorum commenta impune prodierant. Quis sperasset in urbe nuper adhuc omni publico cultu privata tot incessuros esse Praesules infulatos, coacervatis benedicturos turbis, quae

genibus flexis, cervice pie inclinata fusisque lacrimis quasi rorem divinum hanc benedictionem ab animarum suarum suscipere-rent pastoribus, quos omni honore sanctaque laetitia prosequerentur? Deploravit quondam admirabilis ille S. Franciscus Salesius non solum Genevae suae sed etiam Rupellae nostrae miseram sortem, in quibus diabolus quamdam imitationem Sedis Romanae simulare conatus fuerat. Quanto igitur gaudio exultare debuit, dum e coelo ibidem prospiceret oves Dei docibiles, quae nobiscum agnoscebant Cathedram Apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, Romanumque Pontificem cunctorum Christianorum Patrem et Doctorem, cuius examini, confirmationi aut reformationi omnia quae egeramus subiicienda non ignorabant! In hac antiqua pseudo-reformationis arce, ubi vix quaedam familiae catholicae olim remanserant, reliquiae tantum supersunt haeresis morientis. Populus enim, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Nec dubitandum est, quin ceterae oves adhuc errantes serius ocyus donum fidei electum feliciter agnoscant sincereque amplexentur. Viderunt quippe unam mentem omnium, pastorum scilicet oviumque erga Sedem hanc inconcussam, quae in universum terrarum orbem Primatum tenet. In cunctis idem animadverterunt obsequium filialis obedientiae Summo Ecclesiae Vertici debitae. Et dum ad pristinam pietatem, quae in solo Sponsae Christi gremio fovetur, populum fidelem revocaremus, dum antiquos recentesque errores damnaremus, dum Cordi immaculato Beatissimae Virginis Mariae provinciam nostram devoveremus: adeo vultus fidelium adstantium ardentes, adeo mentes eorum commotae apparebant, ut sola templi veneratio illos cohibere videretur, quin omnes simul conclamarent: ‚Tibi soli adhaeremus, in te sola vivemus, alma fides, fides sancta, fides catholica, apostolica Romana. A nobis discedat in aeternum mendacii pater, discedant impia eius dogmata, ipsorumque patroni. Nullam partem habere volumus cum superbis inferorum portis. Suscipiat ac refoveat nos Cor tuum immaculatum, cui nosmetipsos secum devoverunt Pastores nostri, o Mater pulcrae dilectionis, Virgo fidei vexillum, in qua est gratia omnis viae et veritatis, tu quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.‘ Haec repetere videbantur pia viarum emblemata, quae certatim undique collocata fuerant;

haec suo modo recinebat virorum, mulierum, senum, iuvenum, infantium, magnorum et pusillorum religiosa exultatio. Benignis ergo oculis respiciat Sanctitas Vestra haec qualiacunque nostri Concilii acta, quae tot et tantis beneficiis causam praebuerunt adhuc viventem. Ceterum non cupimus, ut ista in lucem prodeant qualia nunc S. Sedi subiiciuntur, si mutari aut emendari debeant; sed qualia prodeunda censuerit oculatissimus Iudex, quem nullus praeterit naevus, quique prudentia coelitus irradiata veritatem, fidem ac opportunitatem absque ullo erroris periculo numquam non aptissime perspicit ac definit. — *Acta C. Burdigalensis.* p. 23.

1184. **C. Burdigalense.** *1856.* Tit. I. c. 2. Dum occasione proclamandae definitionis de immaculato conceptu BMV. Romae congregarentur magno et ab antiquis temporibus inaudito numero Eppi, hac oblata opportunitate *id sibi praestandum censuit Summus Pontifex, ut ad tot ven. fratres suos e cunctis orbis partibus verba faceret, quibus tamquam voce ipsa beatissimi Petri, qui vivit vivetque in successoribus suis, recreati atque erecti novo veluti robore munirentur* ad quaerendam commissarum ovium salutem, ad Ecclesiae curam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam. — Nos quidem praeclara Pontificiae allocutionis documenta et monita prae oculis semper habentes, hos praesertim errores notandos et castigandos in nostra praesenti Provinciali Synodo, haec doctrinae catholicae aut eccles. disciplinae puncta praecipue stabilienda duximus, de quibus nos Summus Pastor potissimum sollicitos esse voluit. *Nullum* enim *alium ducem praeter Petrum novimus, cuius Cathedrae omnes et singuli pariter devincimur, ideoque nexu firmiori invicem consociamur.* Quo melius magisque faustum nihil nobis esse potest: memoria quippe tenemus, veteres illos catholicae fidei propugnatores de pertinacissimis haeresibus retulisse victoriam, quando scilicet una secum et cum Apostolica Sede tamquam cum duce suo coniuncti milites firmo animo erectoque in certamen descendissent. — *Acta C. Burdigalensis* p. 6.

1185.

Synodus plenaria Praesulum **Hiberniae** de Romano Pontifice, A. 1850.

MON. *De fide catholica.* — 2. — Firmissime et constantissime eam profitemur fidem, atque ab omnibus nostrae iurisdictioni subiectis teneri volumus, quam a Christo Domino per Apostolos acceptam SS. apostolica *Romana* profitetur Ecclesia, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, extra quam nec vera fides, neque salus aeterna inveniri potest; cuius quidem Ecclesiae visibile in terris caput est Romanus Pontifex, successor beati Petri principis Apostolorum, in universum orbem tenens Primatum, et verus Christi Vicarius, omnium christianorum pater et doctor, cui pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam plena a D. N. I. C. potestas in beato Petro tradita est. (C. Flor.) Itaque quidquid Romana Ecclesia de fide divina credendum proponit, ex intima cordis sententia credimus et credere debemus; et quidquid reiicit et damnat, reiicimus et damnamus; ac propterea errores omnes, quos Romani Pontifices tamquam fidei adversos proscripserunt, nos proscribimus et damnamus, atque pro virili parte conabimur, ut nullum eorum vestigium in nostris dioecesibus inveniatur. — *Plenarium Conc. Hiberniae.* p. 6.

1186.

Pius IX PP. ad Eppum Nanceiensem et Tullensem de secta ‚Vintrasii' in Gallia. A. 1851.

MON. Gravissimae ac multiplices supremi nostri Pontificatus occupationes, quibus continenter distinemur, ac pene obruimur, obstiterunt, quominus tuis literis die 4 proximi mensis Novembris datis statim responderemus, quemadmodum vehementer

optavissemus. Summa enim animi nostri consolatione ex iisdem literis magis magisque intelleximus, ven. frater, quo sacerdotali zelo in catholicae fidei veritate tuenda, et qua eppali sollicitudine in tui gregis incolumitate procuranda praestes. Namque merito atque optimo iure vel maxime doles, cum ad tot alias nefarias societates, quibus fabricatores mendacii, et perversorum dogmatum cultores Ecclesiae Catholicae asperrimis hisce temporibus acerrimum bellum inferre, eamque, si fieri unquam posset, funditus evertere connituntur, accesserit exitialis secta a quodam laico homine **Petro Michaele Vintras**, Bajocensis dioecesis incola, undecim abhinc annis excogitata. Quam teterrimam sectam a ven. fratre Ludovico Francisco Bajocensium Eppo statim reprobatam rec. mem. Gregorius XVI praedecessor noster suis ad eundem Antistitem literis die 8 Nov. a. 1843. datis iam damnavit. Siquidem *abominabilis huius societatis homines simulata virtutis ostentatione haud extimescunt commentitium misericordiae opus, novumque apostolatum ex laicis conflatum hominibus confingere, et impudentissime asserere, Ecclesiam nunc in caligine et tota corruptione versari, ac tertium in Ecclesia Christi regnum annunciare, quod Spiritus S. regnum appellare non reformidant, et ausu prorsus temerario atque sacrilego divinam missionem sibi arrogantes haud pavent monstrosa quaeque opinionum commenta ac deliria in vulgus spargere, quae sibi divinitus manifestata, variisque visionibus ac prodigiis confirmata esse blaterant.* Quibus diabolicis prorsus artibus et molitionibus contra veram Ecclesiae Christi doctrinam irruentes et hanc Petri Cathedram eiusque auctoritatem plane despicientes, omnia conantur, ut fideles a catholicae fidei veritate avellant, eosque secum in errorem abripiant, atque in aeternae damnationis discrimen impellant. Summo quidem moerore conficimur, ven. frater, cum tam gravia damna sanctissimae nostrae religioni et christiano populo ab hac secta inferri noscamus, ac vehementissime doluimus, cum ex tuis literis acceperimus, tres ecclesiasticos tuae dioecesis viros, nempe germanos fratres ‚Baillard,' propriae vocationis plane immemores, et sacerdotalis dignitatis atque officii omnino oblitos, haud erubuisse eiusmodi sectae nomen dare, eiusque falsa et exitiosa dogmata amplecti et profiteri. Ac meritis te laudibus prosequimur, ven. frater, quod cognita eorumdem fratrum defectione haud omiseris pro egregia tua eppali vigilan-

tia in illos serio animadvertere, eosque ad tuum vocare tribunal, praevia suspensione lata, ut lupos a tuo ovili statim arceres. Pergratum autem nobis accidit consilium a te initum mittendi ad universum tuae dioecesis clerum encyclicam epistolam, qua ipsum de eiusmodi re certiorem facis, ac simul summopere hortaris et excitas, ut omni cura et studio suam operam sedulo impendat, quo fideles in catholicae veritatis et unitatis professione stabiles et immoti persistant, et numquam tum horum tum aliorum cuiusque generis illusorum fallaciis, insidiis et fraudibus se decipi, atque in errorem induci patiantur. Itaque, ven. frater, de hac tua pastorali sollicitudine, catholico Antistite plane digna, ex animo gratulamur, ac pro certo habemus, te alacriori usque contentione nihil unquam intentatum relicturum, ut catholicae Ecclesiae causam fortiter propugnes, eiusque salutarem doctrinam strenue tuearis, et gregem tibi concreditum a luporum aggressibus impavide defendas, eumque a venenatis pascuis arceas, et ad salutaria propellas. Denique hanc occasionem libentissime amplectimur, ut praecipuam nostram in te benevolentiam denuo testemur et confirmemus. Cuius quoque pignus adiungimus apost. benedictionem, quam toto cordis affectu tibi ipsi, ven. frater, cunctisque istius Ecclesiae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur. Datum Romae die 10 Febr. 1851. — **Dupanloup**, *Defense de la Liberte de l' Eglise.* Paris. 1861. II. 129.

Opportunum iudicamus, Breve etiam Gregorii XVI Papae, ad quod provocatio fit subnectere: Gregorius XVI etc. Ven. fratri Ludovico Francisco Eppo Bajocensi. Ubi novam impiorum hominum societatem in tua dioecesi exortam esse nobis significasti, ac nonnulla de ipsa societate scripta tum typis edita tum manu exarata misisti, has ad te literas dare vehementer optabamus. Verum propter gravissimas maximasque curas, et sollicitudines, quibus constanter distinemur, haud potuimus scripta illa statim legere et perpendere, quemadmodum nostris erat in votis, quo perversae huius societatis indolem nosceremus. Magno quidem cum animi nostri dolore ex pestiferis ipsis scriptis cognovimus, scelestos huius societatis homines mentita pietatis specie et captiosissimo sermonis genere in Christi gregem perditionis sectas introducere. Hinc ausu prorsus temerario atque sacrilego, transfigurantes se in apostolos Christi novam missionem divinitus in-

dictam sibi arrogant, commentitium fictumque misericordiae opus annuntiant, ut Christi Ecclesia eorum opera quodammodo reviviscat. Atque etiam arcana Angelorum aliorumque coelitum, et ipsius Christi alloquia, visiones, miracula in vulgus spargere, novum apostolatum ex laicis conflatum hominibus sibi assumere, tertium in Christi Ecclesia regnum proponere audent, quod Spiritus S. regnum appellare non reformidant, ut veritates Evangelio commissae, et nondum, quemadmodum blasphemando asserunt, satis et bene ab Ecclesia explicatae sua luce refulgeant, nova manifestentur dogmata, atque Ecclesia ipsa ex depravationis statu tandem emergat. Quae impia istius societatis commenta atque deliria plane congruunt cum mente illius perditi hominis, qui falso se Normandiae Ducem iactat, quique a Catholica Ecclesia iam descivit, atque huius Ap. Sedis auctoritate spreta ambulans in abominationibus suis et loquens perversa, eosdem prorsus execrabilis huius societatis errores, sensus, consilia diversis modis variisque rationibus profitetur, easdemque tenebricosissimas insidias ac pestem Christi gregi molitur. Omnia pene ab isto apostolatu vel manu scripta vel in lucem edita iam nobis penitus comperta atque explorata erant, propterea quod ea ipsa iamdiu ad nos pervenerant. Gravissimo certe moerore conficimur, ven. frater, cum videamus istius diabolicae societatis homines eo sane consilio tanta perversitate tantaque impudentia verae Christi Ecclesiae doctrinam invadere, atque in hanc Petri Cathedram irruere, eiusque auctoritatem contemnere, ut facilius atque liberius dominici gregis oves discerpant, mactent et perdant. Itaque, ven. frater, ea omnia, quae contra eandem societatem agere existimasti, maximopere approbamus, tuamque pastoralem vigilantiam eximiamque sollicitudinem meritis laudibus in Domino prosequimur. Etenim ministerium tuum egregie implens, nulla interposita mora vixdum in tua dioecesi tam detestabilem societatem latius in dies serpere novisti, illam omni studio reprobasti ac singulari diligentia gregem tuae curae commissum ab venenatis hisce pascuis arcere studiosissime contendens, tui praesertim cleri zelum opportunissimis literis et monitis excitasti, ut perditorum hominum impietas, licentia, conatus possint reprimi et cohiberi. Lupi enim sunt, et apri de silva ad laniandas dominicas oves, ad vineam Domini exterminandam parati, et intenti, atque omni exprobra-

tione, censura et ecclesiastica poena digni. Perge igitur, ut coepisti, ven. frater, ac pro tuo zelo, prudentia, perspectaque virtute pro viribus proeliare proelia Domini, nihilque intentatum relinque, ut fideles tibi concrediti stabiles in Cath. Ecclesiae fide permaneant, atque impiae huius societatis errores, fabulas, somnia diligentissime devitent atque reiiciant. Nos certe in humilitate cordis nostri enixis precibus Deum, cuius causa est, orare non desinemus, ut consilia actusque tuos coelesti suo praesidio adiuvet, atque confirmet. Interim remittimus tibi scripta, quae de istis illusoribus a te accepimus, ac certissimum praecipuae nostrae erga te benevolentiae pignus, apost. benedictionem ex imo corde depromtam, tibi tuoque gregi peramanter impertimur. Datum Romae die 8 Nov. 1843. — *L' Ami de la Religion. Paris. 1844. t. 120. p. 273.*

1187—1189.

Pius IX PP. in Allocutione Consistoriali 17. Febr. 1851. recenset: **AEppum Goanum in Indiis Orient.** errores suos retractasse, Sedique Apostolicae plenam submissionem promisisse, atque adeo ab ea Ecclesia ad Palmyrensem translatum, et in Coadiutorem AEppi Bracharensis renunciatum esse.

1187. MON. Inter novos diversarum Ecclesiarum Antistites, quos vobis, ven. fratres, in hodierno Conventu proposituri sumus, erit etiam ven. fr. *Ioseph a Sylva Torres, AEppus Palmyrensis*, quem Coadiutorem futurumque Successorem dare consilium est dil. filio nostro Petro Paulo S. R. E. Cardinali Figuereido AEppo Bracharensi. Opportunum vero reputavimus nostri eiusdem consilii rationem vobis breviter explicare, ut eorum, quae antea contigerant, memoria repetita notum cuique sit, quare et quibus usi cautionibus induxerimus animum ad memoratum Iosephum futuro Bracharensis Ecclesiae regimini destinandum. Erat idem Iosephus, ut sane nostis, *AEppus Goae in Indiis Orientalibus*, cuius Ecclesiae regimen decretum ei

fuerat a Gregorio XVI fel. rec. decessore nostro in Cons. secreto diei 19. Iun. 1843. In magno autem Orientalium illarum regionum numero et amplitudine, ad quas olim Goani AEppi sive ordinaria sive metropolitana iurisdictio pertinebat, complures tunc erant Vicarii Apostolici Antistiti eidem minime subditi, quos inibi Sancta haec Sedes catholicae scilicet religionis causa id postulante constituerat. Nam praeter illos, qui in latissimis regionibus Sinarum Imperii, aliisque conterminis per literas apostolicas Innocentii XII rec. mem. praedecessoris nostri (dd. 15. et 23. Oct. 1696.) a dioecesibus Pechinensi, Nanchinensi, et Machaonensi, atque a metropolitano Goanae Ecclesiae iure in perpetuum divulsis deputari iamdiu consveverunt, et praeter alios, qui postmodum aliis Indiarum locis destinati sunt, (Verapolitanus A. 1701. Avanus et Peguanus A. 1741. etc.) ipse etiam Gregorius XVI novos in Goanae Ecclesiae dioecesi ac metropolitana illius provincia Vicarios Apostolicos provisorio modo instituerat. Eo spectant notissimae eiusdem Summi Pontificis literae, quarum initium ‚Multa praeclare,' datae sub annulo piscatoris die 24. Apr. 1838, uti et aliae literae apostolicae, ac decreta nostrae Congr. Prop. fidei, quae illis aut praecesserant, aut pontificio postmodum iussu et auctoritate successerunt. Hanc decessoris nostri ampliorem providentiam mutata temporum ratio, et tuendae in Indiis atque amplificandae catholicae religionis causa flagitabat. Dum enim maior ipsa verae fidei propagatio maiorem in dies evangelicarum missionum et sacrorum operariorum numerum postularet, huic quidem sustinendo oneri impares omnino erant viri ecclesiastici, qui Lusitanorum ope illuc mitti aut ex indigenis institui solebant; postquam praesertim quae in Indiis plurima olim fuerant Lusitanae ditionis loca, nonnullis tantum cum urbe Goa et urbe Macao exceptis, in aliorum Principum potestatem transiverant; ut nihil porro dicamus de postremis Regni Lusitani calamitatibus, quae relationibus etiam inter Sanctam hanc Sedem et Lusitanum Gubernium interruptis eo rem adduxerant, ut et Goana, et illius Suffraganeae Ecclesiae una simul vacarent. Iam vero *ecclesiastici homines, qui tunc temporis easdem Ecclesias sive ex canonica Capituli deputatione sive alio quovis titulo administrabant, quaerentes quae sua erant non quae Iesu Christi, contradicere ausi sunt Vicariis Apostolicis a Gregorio XVI deputatis*, nec dubitarunt arrogare

sibi spiritualem auctoritatem super ecclesias et fideles illorum curae a Sede Ap. commendatos; ex quo eorum facinore haud leves difficultates, dissensiones, et scandala dimanarunt. Atque haec quidem ad religionem quod attinet Indicarum rerum conditio erat, cum instauratis Lusitani Gubernii cum Sancta hac Sede relationibus carissima in Christo filia nostra Maria Portugalliae et Algarbiorum Regina Fidelissima supradictum Iosephum a Sylva Torres decessori nostro praesentavit, ut ad Goanam Ecclesiam promoveretur. Iam vero Goana Civitas cum circumstantibus locis pertinebant adhuc uti et nunc pertinent ad Lusitanam ditionem, nec ulli ex Apostolicis Vicariis commendata illa fuerant, ideoque hac ex parte nihil impedimento erat, quominus Ecclesiae illi novus daretur Antistes. Sperare autem licebat, ipsos Apostolicos Vicarios alibi constitutos nihil porro molestiae a memorato Iosepho passuros. Siquidem Gregorius XVI antequam de ipso ad Goanam Sedem provehendo decerneret, plura eademque idonea testimonia acceperat de illius fide, doctrina et probitate, atque insuper noverat eundem de pontificiis decretis ad Vicarios Apostolicos pertinentibus ab Internuntio et Delegato Apostolico, qui Olyssipone degebat, fuisse praemonitum, denique idem Iosephus obedientiam et obsequium suum erga Romanum Pontificem Sedemque Apost. peculiaribus quoque literis declaraverat. Nihilo tamen minus praedecessor noster novum ipsum AEppum de Apostolicis Vicariis eorumque auctoritate sarta tecta habenda admonere voluit pontificiis literis, quas ea super re ad illum dedit die 8 Iul. 1843. quaeque eidem redditae fuerunt eo ipso tempore, quo apostolica diplomata delati AEppatus testimonium de more habentia Olyssiponem perlata sunt. Verum *Iosephus AEppus* insequenti adveniente anno 1844. Goam profectus *haudquaquam continuit se intra fines officii sui, sed sibimetipsi antiquam decessorum suorum auctoritatem asserere conatus est in locis quoque Apost. Vicariorum curae commendatis;* neque porro literis paruit, quibus iterum praedecessor noster Gregorius, ac sibinde nos ipsi illum ad saniora revocare consilia studuimus. Itaque facile nobis fuit perspicere, *providendum omnino esse, ut AEppus ille a Goanae Ecclesiae procuratione revocaretur.* Sed una simul consideravimus, rem fore gravissimarum difficultatum et periculi plenam, nisi Regium Lusitanum Gubernium nobiscum in id con-

sentiret. Itaque nostro extraordinario Internuntio et Delegato Apostolico, qui a. 1847. Romae aderat, et Olyssiponem redituras erat, in praecipuis mandatis dedimus, ut de revocando Goano Antistite ageret cum Regio Gubernio, negotiumque huiusmodi omni ope atque opera urgeret. Is post tractationem susceptam haud sane praetermisit insequenti anno 1848 referre de praecipuis conditionibus, quibus rem componi posse perspexerat, ac nos subinde curavimus, ut nostram super illis sententiam in tempore cognosceret. Sed literis, quae a Cardinali nostro Secretario Status die 8 Iulii datae in id fuerant, turbulento illo tempore interceptis aut aliter retardatis, tandem ipso illo anno ad exitum vergente, dum nos ab hac alma urbe discedere coacti Caietae substiteramus, perlatae illuc sunt literae et documenta ab Internuntio missa, ex quibus apparuit, ipsum die 21 mensis Octobris illius anni cum Regio Gubernio iam convenisse, *ut Praesul Iosephus ab Ecclesia Goana ad aliquam in partibus infidelium metropolitanam Ecclesiam transferretur, et Olyssiponem sine mora rediens munus interim obtineret Commissarii Bullae Cruciatae, atque insuper ut Coadiutor fieret futurusque successor AEppi Bracharensis, datis tamen ab eodem Iosepho ad nos literis, quibus suam Sedi Apostolicae submissionem atque observantiam testaretur,* denique ut ad ulteriores dissensiones praevertendas in novo postmodum Antistite in Goana Ecclesia constituendo atque adeo in diplomatibus apostolicis delati ei archieppalis muneris testibus mentio haberetur finium, intra quos auctoritatem suam exercere posset. Cognovimus una simul, Lusitanum Gubernium iussu Reginae Fidelissimae suas iam Goam misisse literas, ut AEppus Iosephus de his omnibus certior fieret, et Olyssiponem reverti non cunctaretur. Eodem tempore Regius apud Sanctam hanc Sedem Legatus, qui nos Caietam sequutus fuerat, a nobis regio nomine suppliciter postulavit, ut Praesuli Iosepho in Lusitaniam propediem redituro nedum munus tribueremus Commissarii Bullae Cruciatae, quo fungi interim deberet donec Bracarensis Ecclesia non vacaverit, sed etiam ut in Consistorio, quod illis diebus habituri eramus, illum constituere dignaremur Coadiutorem futurumque successorem AEppi memoratae Ecclesiae, siquidem dubitari minime posse dicebat, quin ille statim ad nos eas, quae superius indicatae sunt, submissionis literas scriberet. Haec sane postulatio, et supradictae

Pontificii Internuntii literae, inprimis autem quae ab eo conventa fuerant de futura Ecclesiae Bracharensis procuratione Praesuli Iosepho destinanda, nos tot iam tantisque aliis per eos dies angustiis circumdatos non parum sollicitos habuerunt. Obversabantur enim ante oculos quae Praesul ipse in Goano AEppatu fungendo perperam gesserat. Contra vero si nos ea, in quae noster Internuntius hanc circa rem consenserat, praestare abnuissemus, metuendum profecto erat nedum ut spes evanesceret, quam de removendo ab Indiis memorato Antistite conceperamus, sed etiam ut ab ipso eiusque asseclis ex nostra illa recusatione nova atque ad fucum faciendum apta arriperetur occasio maioribus illic dissidiis cum graviore religionis detrimento excitandis. Interim sperare ex alia parte licebat, memoratum Antistitem sacrae ceteroquin doctrinae bonorumque morum laude non destitutum, ubi ab occasionibus removeretur, quae illum Goae in transversum egerant, rediturum per Dei gratiam ad consilia meliora, et in novae Ecclesiae procuratione ita se porro gesturum, ut suae pariter atque ovium saluti consuleret. Hinc considerata, ut par erat, tota rei causa, et aliquibus ex vestro amplissimo Ordine in consilium adhibitis, ac memoria repetentes oeconomiam a decessoribus nostris in simili rerum gravitate et difficultate non semel adhibitam, induximus animum, ut meliori quam res ferret cautione accepta in expetitam destinationem assentiremur. Mandavimus igitur Cardinali nostro Prosecretario Status, ut Regio Legato respondens clare illi aperteque nostro nomine declaret, *nos quidem* in proximo, si id optaret, Consistorio *soluturos Iosephum Antistitem a vinculo Goanae Ecclesiae, eundem quoque translaturos ad metropolitanam aliam Ecclesiam in partibus infidelium existentem, ac subinde eidem munus collaturos Commissarii Bullae Cruciatae: ceterum Sanctam hanc Sedem, quod Regius ipse Legatus probe noverat, graves habuisse reclamandi causas contra AEppi gesta in regimine Ecclesiae Goanae, atque idcirco nos non posse omnino tuta conscientia destinare illi futuram procurationem Bracharensis Ecclesiae, nisi antea congruum documentum sive tales ab eo literas acciperemus, ex quibus constaret illum et dolere quae perperam gesserat, et statutum fixumque in animo habere, ut numquam in posterum ab officio declinet.* Acquievit nostrae huic declarationi Regius legatus, et de ratione literarum, quae

expectabantur, minime dubitans, postulare institit, ut ea, quae iam tunc perfici poterant, decerneremus. Quare *ad diem 22. Dec. supradicti a. 1848. in Consistorio Caietae coacto transtulimus Antistitem Iosephum a Goana Ecclesia ad AEppatum Palmyrensem in partibus infidelium, atque insequenti mense officium Commissarii Bullae Cruciatae novo eidem Palmyrensi AEppo demandavimus.* Hinc post aliquot menses Antistes ille in Lusitaniam reversus est. Nos itaque eidem Olyssipone iam commoranti significandum rursus mandavimus, quantam nobis sollicitudinem attulissent quae ipse in Indiis extra limites auctoritatis suae et contra Sanctae huius Sedis mandata gerere non dubitaverat, et nonnulla etiam quae paulo ante suum inde discessum in quibusdam suis literis seu scriptis indicaverat. *Iam vero gratum cordi nostro est, annunciare vobis, ven. fratres, Palmyrensem AEppum ita nobis fecisse satis, ut existimare debeamus, ipsum per Dei gratiam ad meliora consilia toto animo fuisse reversum. Ab eo enim literas accepimus datas die 18. Nov. superioris anni, atque iis conceptas verbis, quae hominem decent errata sua detestantem, et de meliori in posterum ratione tenenda suaque nobis adhaesione et obedientia factis ipsis constanter comprobanda sollicitum.* Subiicientur hae ipsae literae ante oculos vestros, atque una legetis nostrum ad illas responsum, in quo nostros illi sensus omni ex parte declarare non omisimus. Iuxta haec, ut initio diximus, Palmyrensem ipsum AEppum ven. fr. Iosephum a Sylva Torres promovere hodie consilium est ad munus Coadiutoris dil. filii nostri Card. AEppi Bracharensis, cum adiuncto iure, ut eidem in ecclesia ipsa succedat. Et quoniam in hoc suscipiendo consilio nihil certe nisi maiorem religionis utilitatem et apostolicarum in Indiis Missionum tranquilliorem felicioremque cursum spectavimus, firmam plane in spem erigimur fore, ut illud Deo benedicente in eundem finem atque in Bracharensis quoque ecclesiae emolumentum proficiat. Id quidem ab ipso misericordiarum Patre per Iesum Christum eius Filium in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione implorare contendimus, atque a vestra etiam pietate, ven. fratres, exposcimus, ut fervidas preces et supplicationes vestras nostris adiungere non intermittatis.

1188. *AEppus Palmyrensis, antea Goanus, errores suos retractat, plenamque obedientiam Summo Pontifici vovet, a.*

1850. Purissimus affectus, submissaque non solum observantia, quibus Beatitudinis Tuae sacram personam et istam D. Petri Sedem ex meo munere officioque prosequor gratissimo, in causa sunt, quod *vehementer doleo Beatitudini tuae fuisse molesta et nonnulla quae evenerunt dum Goae AEppus essem, et aliquas illius epistolae sententias quam 12 Cal. Febr. anteacti anni ad Sanctitatem tuam scripsi, et pastoralem etiam allocutionem, quam 6. Non. April. ipsius anni ibidem edidi.* Quum enim Dei beneficio catholicus sim, et Eppus simul, paternam Tuae Beatitudinis pietatem obsecro, ut has praesentes literas vultu digneris excipere benigno, persvasumque habere, nullatenus in praecedentibus me potuisse habere conatum, vel actus meae in Oriente administrationis extra culpam penitus ponendi, vel me de ipsis iactandi. Ex bullarum etiam promulgatione, quas memoratae adiunxi allocutioni, minime inferatur, Beatissime Pater, in meo animo consilium fuisse insistendi in aliquo erga S. Sedem eiusque decreta oppositionis genere. Illi enim affectu et non officio tantum coniunctus ea in debito semper habebo honore, *Tuaeque Sanctitati spondeo intimum obsequium valdeque submissam venerationem atque obedientiam erga Sacram Supremi Ecclesiae Principis personam in meis gerendis semper spectaturum.* Pro huius venerationis et obedientiae testimonio etiam per tuam singularem clementiam hoc mihi detur, Beat. Pater, ut eam non praetermittam opportunitatem tibi patefaciendi dolorem, quem verbis satis exequi non possum, quoque ob meum in dioecesi Goana acerbum invitumque statum fui extra modum confectus. Hic vero dolor maxime augebatur ob impotentiam, de qua laborabam, diversis typographicis silentium imperandi scriptis, quae longe aberant, ut caritatis ac reverentiae terminos custodirent. Has absolvens literas, Beatiss. Pater, *Sanctitatem* etiam *tuam suppliciter oro, leniter clementerque accipiendi non solum mea erga te, qui es in terris Christi Vicarius, omniumque fidelium Pastor et Magister, catholicaeque unitatis centrum, iustissimae adhaesionis canonicaeque subiectionis vota, sed etiam ingenuam quorumcunque dictorum vel factorum retractationem, quibus huic catholicae doctrinae meo in animo altis radicibus defixae, in qua Deo favente ad ultimum perseverare spero, refragari potuerim.* Benedictionem tandem efflagitans apostolicam, Beatitudinisque tuae admodum reverenter osculans pedes, Deum O. M. pro

tua pretiosissima vita valetudineque, ut meum est, semper orabo. Olyssipone, die 18. Nov. 1850. Iosephus, AEppus Palm.

1189. *Breve ad AEppum Palmyrensem, antea Goanum, de obligatione cuiusvis Eppi, Cathedrae Petri ex animo adhaerendi, eiusve iura defendendi, a. 1851.* Redditae sunt nobis tuae literae die 18 proximi mensis Nov. datae quibus pro purissimo, ut inquis, tuo affectu et submissa erga nos et hanc Petri Cathedram observantia vehementer doles, nobis molesta fuisse et nonnulla quae evenerunt, dum *Goae* AEppus eras, et aliquas sententias illius epistolae, quam XII Cal. Febr. praet. a. 1849. ad nos misisti, et pastoralem allocutionem a te ibidem eodem anno vulgatam sexto Non. Martii, non vero Aprilis, veluti tibi e calamo excidit. Hinc nos obsecras, ut persvasum habere velimus, te in praecedentibus nullatenus potuisse habere conatum vel actus tuae in Oriente administrationis extra culpam penitus ponendi, vel de ipsis te iactandi. Ac simul declaras in bullarum promulgatione, quas commemoratae allocutioni adiunxisti, numquam in tuo animo fuisse consilium insistendi in aliquo oppositionis genere erga hanc S. Sedem eiusque decreta. Profiteris enim, te, eidem Sedi affectu et non officio tantum coniunctum, eam in debito honore semper habiturum, ac nobis intimum obsequium valdeque submissam venerationem et obedientiam spondes. Pro cuius venerationis et obedientiae testimonio nobis summum patefacis dolorem, quem verbis satis exequi haud potes, quo extra modum confectus fuisti ob tuum in Goana dioecesi acerbum invitumque statum. Itaque nos etiam atque etiam suppliciter oras, ut non solum excipere velimus tua erga nos, qui Christi vicariam hic in terris gerimus operam, iustissimae adhaesionis canonicaeque subiectionis vota, sed etiam quorumcunque tuorum dictorum vel factorum retractationem, quibus catholicae doctrinae refragari potueris, quae in tuo animo altis radicibus est defixa, et in qua Deo favente ad ultimum perseverare speras.

Equidem, ven. frater, eiusmodi tui animi sensus, quos e puro corde, et conscientia bona, ac fide non ficta proficisci confidimus, gratissimi nobis fuerunt, et acerbissimum illum leniunt moerorem, quo praeterita tua agendi ratio nos nostrumque praedecessorem rec. mem. Gregorium XVI vehementer affecerat. Atque ea porro spe sustentamur fore, ut huic tuae decla-

rationi, quae catholicum Antistitem omnino decet, tua omnia consilia et actiones in posterum plane respondeant. Etenim haud ignoras, ven. frater, *catholico Eppo nihil potius, nihil antiquius esse debere, quam supremam huius beati Petri Sedis potestatem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ac Epporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ex animo venerari, eiusque Sedis iura, quae non humana, sed divina auctoritate nituntur, summopere vereri ac defendere, et Romano Pontifici firmiter adhaerere*, omnemque observantiam et obedientiam fideliter profiteri ac praestare, qui in eadem Sede collocatus in persona beatissimi Apostolorum Principis plenam ab ipso Christo Domino potestatem accepit pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam qua late patet regendi et gubernandi Ecclesiam. Atque optime scis, quanta cura et studio Catholicus Eppus in id inprimis incumbere debeat, ut catholicae Ecclesiae unitatem totis viribus foveat, tueatur, propugnet, quae sine debita erga hanc S. Sedem et Romanum Pontificem observantia et obedientia esse non potest, quaeque in eo potissimum sita esse dignoscitur, ut quamvis in populo Dei multi sint sacerdotes, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Neque te latet, quam indignum, quam perversum, quam miserrimum sit, fideles ac praesertim ecclesiasticos ab hac catholica unitate deflectere, et quantopere sint improbandi ac damnandi ii omnes, qui eiusmodi unitati quovis modo adversari, et eorum opera atque exemplo alios etiam ab illa avertere non extimescunt. Dum autem haec tecum loquimur, ven. frater, ea sane fiducia nitimur, ut catholicis hisce sensibus tu vere animatus, quemadmodum in commemorata tua epistola luculenter declaras, nihil antiquius habere velis, quam maioris consolationis causam nobis semper praebere, nihilque intentatum relinquere, ut qua opere qua verbo qua exemplo sinceram tuam erga nos et hanc S. Sedem fidem ostendas, omnesque tuas vires in catholicae Ecclesiae doctrinam eiusque unitatem tuendam ac propugnandam conferas, atque ita efficias, ut ii omnes, qui tuae Goanae administrationis facta agnoscunt, quique non mediocrem ex illis admirationem doloremque susceperunt, malam de te opinionem deponant, bonamque concipiant et habeant. Denique pontificiae nostrae in te caritatis testem et coelestium omnium munerum auspicem apost. benedictionem

tibi ipsi, ven. frater, peramanter impertimur. Datum Romae die 6 Ianuar. 1851. — *Acta Pii IX.* I. 265. ss.

1190.

Eppus Aurelianensis circa controversiam in Gallia enatam de influxu Ecclesiasticorum in rem politicam, Circulares literas ad Clerum suum dirigens, ad firmissimam adhaesionem et subiectionem erga Romanum Pontificem qua Caput Ecclesiae item ad unionem cum Eppo Dioecesano eundem Clerum hortatur, A. 1851.

MON. — — Si quando, nunc certe summopere necessarium est, ut omnes Eppi in summa reverentia, obedientia et caritate se uniant cum Romano Pontifice, qui successor Petri et Vicarius Iesu Christi in terris est, qui supremum caput et princeps omnium Epporum est, qui universalis Pastor non modo ovium sed et pastorum est, quem Iesus Christus pro angulari lapide et immobili fundamento totius Ecclesiae posuit, in quo plenitudo et firmitas potestatis apostolicae, praecipua praerogativa, et excelsus gradus Sedis Pontificiae continetur, Sedis unicae atque immortalis, in qua et per quam omnes Unitatem conservant. *(Huic adhortationi subnectit doctissimus Praesul sequentia SS. Patrum effata de Romano Pontifice:)* „Tu Princeps Epporum, — tu es, cui oves creditae sunt, — nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium Pastor, (S. Bern. de consid. 1. 2. c. 8.) — Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. (S. Hieron. ep. ad Damas.) — Romanam Ecclesiam omnium esse maximam et antiquissimam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire. (S. Iren. haer. l. 3. c. 3.) — In Ecclesia Romana semper apostolicae Cathedrae viguit principatus. (S. August. ep. 43. al. 162.) — Christus

ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. (S. Cypr. de Unit. Eccl.) — S. Petrus apostolorum princeps et caput, Ecclesiae Catholicae fundamentum, — qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. (C. Chalced.) — Definimus, Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. (C. Florent.) — Ob id vos, praedecessoresque vestros in summitate constituit (Christus), omniumque Ecclesiarum curam habere voluit, ut nobis succurratis. (S. Athanas. ad Felic. PP.) — Sedes Apostolica — in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. (Formula Hormisdae PP. cui Patres C. Gen. VIII. subscripserunt.) — Vexatur acerrime Romana beati Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum, et vincula unitatis in dies magis labefactantur, (Gregor. XVI. Encycl. 15. Aug. 1832.)“ — **Buss,** *Reformen im Dienst der kathol. Geistlichkeit Teutschlands.* Schaffhausen. 1852. p. 357.

1191. 1192.

Pius IX damnat opera ‚**Vigilii,**‘ et ‚**Nuytzii**‘ ob asserta iuribus ac doctrinis Ecclesiae et Primatus contraria. A. 1851.

1191. MON. Multiplices inter gravissimasque, quibus undique premimur, officii Nostri curas, et maximas huius temporis calamitates, quae in gliscenti rerum omnium novitate animum Nostrum sollicitant anguntque vehementer, illud accedit magnopere dolendum, quod Libri perniciosissimi e latebris Iansenistarum aliorumque huius generis hominum in diem erumpant, quibus huius seculi filii in persuasibilibus humanae sapientiae verbis loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se. Apostolici itaque Nostri Ministerii ratio postulat, ut Libros istiusmodi

solemniorem in modum ad Catholicae Religionis puritatem ac venerandam Ecclesiae disciplinam tuendam conservandamque proscribamus, et damnemus, ac Dominicum gregem a Pastorum Principe Iesu Christo humilitati Nostrae commissum ab exitiosa illorum lectione et retentione tamquam a venenatis pascuis omni sollicitudine praeservare, et avertere non praetermittamus.

Iam vero cum in lucem prodiisse acceperimus Librum seu Opus, sex tomis constans, hispanico idiomate exaratum, cui titulus „*Defensa de la autoridad de los Gobiernos y de los Obispos contra les pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima* 1848," atque ex ipsa Operis inscriptione satis intellexerimus, auctorem esse hominem in hanc Apostolicam Sedem malevolo animo affectum, haud omisimus illud pervolvere, ac facili negotio, quamvis non sine maximo cordis Nostri moerore, eumdem Librum plures Pistoriensis Synodi errores dogmatica Bulla *Auctorem Fidei* fel. rec. Pii VI Decessoris Nostri iam confixos renovantem, aliisque pravis doctrinis et propositionibus iterum iterumque damnatis undique redundantem novimus atque perspeximus.

Auctor enim, licet Catholicus, ac divino Ministerio, ceu fertur, mancipatus, ut indifferentismum ac rationalismum, quo se infectum prodit, securius, ac impune sequatur, denegat, Ecclesiae inesse potestatem dogmatice definiendi, Religionem Ecclesiae Catholicae esse unice veram Religionem, docetque cuique liberum esse eam amplecti ac profiteri Religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit: legem caelibatus impudenter aggreditur, et Novatorum more statum coniugalem anteponit statui virginitatis: potestatem, qua Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta Matrimonium dirimentia a principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat: Ecclesiae et personarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, a iure civili ortum habuisse asserit, nec illum pudet defendere, maiori aestimatione et obsequio prosequendam esse domum Oratoris alicuius Nationis quam templum Dei viventis: Gubernio laico attribuit ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: suadere nititur iis, qui clavum tenent publicarum rerum, ne obediant Romano Pontifici in iis, quae Episcopatuum et Epi-

scoporum respiciunt institutionem: Reges aliosque principes, qui per Baptismum facti sunt membra Ecclesiae, subtrahit ab eiusdem Ecclesiae iurisdictione non secus ac Reges paganos, quasi Principes Christiani in rebus spiritualibus et ecclesiasticis non essent filii ac subditi Ecclesiae: imo coelestia terrenis, sacra profanis, summa imis monstruose permiscens, docere non veretur, terrenam potestatem in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiorem esse Ecclesia, quae columna est et firmamentum veritatis: tandem ut alios quamplures omittamus errores, eo audaciae, et impietatis progreditur, ut Romanos Pontifices et Concilia Oecumenica a limitibus suae potestatis recessisse, iura Principum usurpasse, atque etiam in rebus fidei, et morum definiendis errasse infando ausu contendat.

Quamquam vero tot ac tanta in eodem Opere contineri errorum capita cuique facile innotescat; attamen Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes mandavimus, ut in nostra Universalis Inquisitionis Congregatione praefatum Opus in examen adduceretur, ac postea eiusdem Congregationis iudicium Nobis referretur. Porro Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Inquisitores Generales, praevia eiusdem Operis censura, et perpensis Consultorum suffragiis, memoratum Opus tamquam continens doctrinas, et propositiones respective *scandalosas, temerarias, falsas, schismaticas, Romanis Pontificibus et Conciliis Oecumenicis iniuriosas, Ecclesiae potestatis, libertatis, et iurisdictionis eversivas, erroneas, impias, et haereticas*, damnandum, atque prohibendum censuerunt.

Hinc Nos, audita praedictorum relatione, et cunctis plene ac mature consideratis, de consilio praefatorum Cardinalium, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratum Opus, in quo doctrinae, ac propositiones, ut supra notatae, continentur, ubicumque et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione huc usque impressum, vel in posterum, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus, et reprobamus, atque legi, ac retineri prohibemus, eiusdemque Operis impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a

qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere queat, omnino interdicimus.

Volentes, et Auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque Librum, seu Opus praedictum penes se habuerint, illud statim atque praesentes Literae innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare queat, volumus, et Auctoritate praefata decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae in Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui: sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent; ipsarum autem praesentium Literarum transsumtis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae. — Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X Iunii Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno V.

1192. Ad Apostolicae Sedis fastigium sola miserentis Dei clementia, nullo suffragio meritorum evecti, atque a caelesti Patrefamilias vineae suae custodiendae praepositi, omnino officii Nostri, ac muneris esse ducimus, si qua noxia germina excrevisse noscamus, ea succidere‘ atque evellere stirpitus, ne in Dominici agri perniciem altius radices agant, ac diffundantur. Et sane quum iam inde ab Ecclesiae surgentis exordio, tamquam in igne aurum, probari oportuerit electorum fidem, idcirco Apostolus vas electionis monitos iam tum fideles voluit surrexisse quosdam, qui „*convertunt et conturbant Evangelium Christi*“ (Ad Gal. 1.), quibus falsas doctrinas disseminantibus, Fideique

deposito detrahentibus, *„etiamsi Angelus evangelizet, praeterquam quod evangelizatum est“* anathema diceretur. Et quamquam infensissimi veritatis hostes profligati semper victique ceciderint, nunquam tamen destiterunt assurgere, acriusque exerere vires, quibus universam, si fieri posset, Ecclesiam labefactare niterentur. Hinc profanas manus iniicientes in Sancta, Apostolicae huius Sedis praerogativas, et iura invadere, Ecclesiae constitutionem pervertere, atque integrum Fidei depositum pessumdare ausu impio contenderunt. Porro etsi Nobis magno solatio sit Christi Servatoris promissio, qua portas inferi nunquam contra Ecclesiam praevalituras edicit, non possumus tamen non intimo cruciari animi angore, gravissimam animarum perniciem considerantes, quam ex effraeni pravos libros edendi licentia, perversaque impudentia, ac scelere quidlibet contra divina, ac sacra audendi latius in dies manare comperimus.

Iam vero in hac librorum undique grassantium peste, locum sibi vindicat Opus sic inscriptum *„Iuris Ecclesiastici Institutiones Ioannis Nepomuceni Nuytz in Regio Taurinensi Athenaeo Professoris“* itemque *„In Ius Ecclesiasticum universum Tractationes“ Auctoris eiusdem*, cuius nefarii Operis doctrina ex una illius Athenaei Cathedra sic diffusa est, ut selectae ex eo acatholicae theses ad disputandum propositae sint prolytis ephebis, qui lauream, seu doctoris gradum consequi adspirarent. In his vero libris, ac thesibus in speciem adserendi iura Sacerdotii, atque Imperii ii traduntur errores, ut pro salutaris doctrinae praeceptis venenata omnino pocula iuventuti porrigantur. Auctor siquidem pravis suis propositionibus, earumque commentis, illa omnia, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, praesertim Ioanne XXII, Benedicto XIV, Pio VI, ac Gregorio XVI atque a tot Conciliorum decretis, praesertim a Lateranensi IV, Florentino ac Tridentino damnata iamdiu, ac reiecta sunt, quodam fuco novitatis adspersa, atque illita Auditoribus proponere suis, ac typis edere non erubuit. Quandoquidem palam, et aperte in editis dicti Auctoris libris asseritur „Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam, vel indirectam. Divisioni Ecclesiae in Orientalem atque Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse; praeter potestatem Episcopatui inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili imperio vel expresse, vel tacite concessam, revo-

candam propterea cum libuerit a civili imperio: civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi consulere per potestatem indirectam negativam in Sacra; illi competere nedum ius, quod vocant, *exequatur*, sed vero etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis, ius Civile praevalere; nihil vetare alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad alium Episcopum, aliamque Civitatem transferri; nationalis Concilii definitionem nullam aliam admittere disputationem, et civilem administrationem, rem ad hosce terminos exigere posse: doctrinam comparantium libero Principi Romanum Pontificem, et agendi in universa Ecclesia, doctrinam esse, quae medio aevo praevaluit, effectusque adhuc manere: de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se Christianae, et Catholicae Ecclesiae filios." Plura quoque de Matrimonio falsa asseruntur. „Nulla ratione ferri posse Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem Sacramenti; matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse: iure naturae Matrimonii vinculum non esse indissolubile: Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint: causas Matrimoniales, et Sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; Ecclesiam sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo iure usam, quod a civili potestate mutuata erat; Tridentinos Canones (Sess. 24 de matrim. c. 4), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos." Quin addit „Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere: Bonifacium VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse." Plura denique de potestate Episcopali, de poenis haereticorum, et schismaticorum, de Romani Pontificis infallibilitate, de Conciliis temere atque audacter in hisce libris proposita occurrunt, quae

persequi singillatim, ac referre in tanta errorum colluvie omnino taedeat.

Quapropter compertum est, Auctorem per huiusmodi doctrinam, ac sententias eo intendere, ut Ecclesiae constitutionem, ac regimen pervertat, et Catholicam fidem plane destruat; siquidem ne errantes in viam possint redire iustitiae, externo iudicio, et potestate coercitiva Ecclesiam privat, de matrimonii natura, ac vinculo falsa sentit, ac docet, et ius statuendi, vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati; denique sic Ecclesiam eidem civili imperio subditam esse per summum nefas asserit, ut ad potestatem civilem directe, vel indirecte conferat quidquid de Ecclesiae regimine, de personis, rebusque Sacris, de iudiciali Ecclesiae foro Divina est institutione, vel Ecclesiasticis legibus sancitum, atque adeo impium renovat Protestantium systema, quo fidelium Societas in servitutem redigitur civilis imperii. Quamquam vero nemo est qui non intelligat perniciosum huiusmodi, pravumque systema errores instaurare iamdiu Ecclesiae iudicio profligatos, tamen ne simplices, atque imperiti decipiantur, admonere omnes de pravae doctrinae insidiis ad Nostrum pertinet Apostolatum; expedit siquidem „ut ibi damna fidei sarciantur, ubi non potest fides sentire defectum“ (S. Bern. Ep. 190). Propterea de unitate, atque integritate Catholicae fidei ex Apostolici ministerii officio solliciti, ut fideles omnes perversam auctoris doctrinam devitent, fidemque a Patribus per hanc Apostolicam Sedem columnam, et firmamentum veritatis, acceptam constanter teneant, memoratos libros in quibus recensitae nefariae opiniones continentur, ac defenduntur, accurato primum examini subiecimus, ac deinde Apostolicae censurae gladio percellere, ac damnare decrevimus.

Itaque acceptis consultationibus in Theologica et Sacrorum Canonum facultatibus Magistrorum, acceptisque suffragiis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Supremae et universalis Inquisitionis, motu-proprio ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictos libros, tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, Ecclesiae regimen, et divinam eius Constitutionem subvertentes, schi-

smaticas, haereticas, Protestantismo, eiusque propagationi faventes, et in haeresim et in systema iamdiu ut haereticum damnatum in Luthero, Bajo, Marsilio, Patavino, Ianduno, Marco Antonio De-Dominis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia pariter damnatis inducentes, nec non et Canonum Concilii Tridentini eversivas, reprobamus, damnamus ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. Praecipimus idcirco, ne quisquam fidelium cuiuscumque conditionis, et gradus etiamsi specifica et individua mentione dignus esset, audeat praefatos libros ac theses apud se retinere, aut legere sub poenis suspensionis a divinis quoad Clericos, et quoad laicos excommunicationis maioris ipso facto incurrendis, quarum absolutionem et relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto tantum quoad excommunicationem mortis articulo. Mandamus quoque Typographis ac Bibliopolis, cunctisque et singulis cuiuscumque gradus et dignitatis, ut quoties praedicti libri ac theses ad eorum manus pervenerint, deferre teneantur Ordinariis sub iisdem respective poenis, nempe quoad Clericos suspensionis a Divinis, quoad laicos excommunicationis maioris superius comminatis. Neque tantum memoratos libros ac theses, sed alios, aliasque quoscumque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro, aut in parte, sub iisdem poenis superius expressis damnamus, reprobamus atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus.

Hortamur tandem in Domino, et obsecramus, Venerabiles Fratres, quos Nobiscum pastoralis zelus et Sacerdotalis constantia coniungit, ut pro sibi commisso docendi ministerio omni sollicitudine vigilantes in custodia gregis Christi, oves suas a tam venenatis pascuis, hoc est ab horum librorum lectione avertere satagant; et quoniam „veritas cum minime defenditur, opprimitur“ (S. Felix III dist. 83) murum aeneum, et columnam ferream sese constituant pro domo Dei contra vaniloquos et seductores, qui divina atque humana iura sus deque miscentes neque Caesari quae sunt Caesaris, neque quae Dei sunt, Deo ipsi reddentes, Sacerdotium et imperium committunt inter se, atque adeo impetere utrumque, atque evertere connituntur.

Ut autem praesentes Literae omnibus innotescant nec quisquam illarum ignorantiam praetexere et allegare valeat, vole-

lumus ac iubemus ipsas ad valvas Basilicae Apostolorum Principis, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero affixas ac publicatas perinde omnes afficere, ad quos spectant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, atque intimatae fuissent. Praesentium quoque Literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius publici Notarii subscriptis et Sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra haberi volumus, quae eisdem his haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. — Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII Augusti Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno Sexto. — **Acta Pii IX.** I. 280.

1193.

Pius IX. Iubilaeum indicit ad orandum Deum pro evellendis multiplicibus erroribus, cumprimis Indifferentismo, et rebellibus ad obsequium revocandis. A. 1851.

MON. Exultavit cor Nostrum in Domino, Venerabiles Fratres, et humillimas maximasque clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis egimus gratias, ubi inter assiduas et gravissimas, quibus in hac tanta temporum iniquitate premimur, angustias, ex plurimis vestris testimoniis, accepimus uberes laetissimosque fructus, qui divina adspirante gratia in populos curae vestrae commissos ex sacro Iubilaeo a Nobis concesso redundarunt. Significastis enim, hac occasione fideles vestrarum Dioecesium populos summa frequentia in spiritu humilitatis et in animo contrito ad sacras aedes certatim accurrisse, ut verbi Dei praedicationi assisterent, et ablutis per reconciliationis Sacramentum animi sordibus ad divinam mensam accederent, ac simul fervidas Deo Optimo Maximo iuxta Nostra desideria preces offerrent. Inde contigit, ut non pauci coelestis gratiae ope e vitiorum coeno, et veritatis semitas amplexi salutarem vitae rationem inierint. Quae quidem omnia summae consolationi et iucunditati Nobis fuerunt, qui de omnium

hominum salute Nobis divinitus commissa quam maxime anxii, atque solliciti nihil profecto tam vehementer optamus nihilque aliud votis omnibus, ac precibus dies noctesque in humilitate cordis Nostri a Deo exposcimus, quam ut omnes populi, gentes, nationes ambulantes gressibus fidei quotidie magis Ipsum agnoscant et diligant, ac sanctissimam Eius legem sedulo adimpleant et instent viam, quae ducit ad vitam.

Etsi vero, Venerabiles Fratres, ex parte Nobis summopere laetandum, quod vestrarum Dioecesium populi magnas ex sacro Iubilaeo spirituales perceperint utilitates, tamen ex altera non parum dolendum, cum videamus quam afflictam et luctuosam sanctissima nostra religio, et civilis societas praeseferant faciem miserrimis hisce temporibus. Nemo enim Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quibus subdolis artibus, quibus monstrosis opinionum portentis, et nefariis cuiusque generis machinationibus Dei, et humani generis hostes omnium mentes pervertere, moresque corrumpere connituntur, ut religionem, si fieri unquam posset, usquequaque tollere, et civilis societatis vincula revellere, eamque funditus evertere valeant. Hinc porro deploranda multorum mentibus offusa caligo; acerrimum contra catholicam rem universam, atque hanc Apostolicam Sedem bellum; teterrimum contra virtutem, honestatemque odium; perditissima vitia mentito virtutis nomine cohonestata; effrenata opinandi, vivendi et quidlibet audendi licentia; impotens cuiusque imperii, potestatis, atque auctoritatis intolerantia; sacrarum rerum ac sanctissimarum legum, optimarumque institutionum ludibrium, contemptus; miseranda improvidae praesertim iuventutis corruptio; pestifera pravorum librorum, et undique volantium ac peccare docentium libellorum, ephemeridum ac pagellarum colluvies; mortiferum *indifferentismi*, et incredulitatis virus; impiarum conspirationum motus, et iura cum humana, tum divina spreta atque irrisa. Neque Vos latet, Venerabiles Fratres, quae exinde anxietas, quae dubitatio, quae haesitatio ac formido omnium praesertim bene sentientium animos sollicitet et angat, cum gravissima quaeque mala privatis, publicisque rationibus sint pertimescenda, ubi homines a veritatis, iustitiae et religionis norma misere desciscentes, ac pravis indomitisque servientes cupiditatibus omne nefas animo moliuntur.

In tanto igitur rerum discrimine nemo non videt, omnes spes nostras unice esse collocandas in Deo salutari nostro atque continuas, fervidasque Ipsi adhibendas preces, ut misericordiae suae divitias super omnes populos propitius effundens, et omnium mentes coelestis suae gratiae lumine illustrans, errantes ad iustitiae viam reducere, ac rebelles hostium voluntates ad se convertere dignetur, omnibusque sancti sui nominis amorem et timorem inserat, ac spiritum tribuat cogitandi semper et agendi quaecumque sunt recta, quaecumque vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta. Et quoniam suavis, mitis et misericors est Dominus ac dives in omnes, qui invocant Illum, respicit in orationem humilium et omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat, adeamus, Venerabiles Fratres, cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis enim qui petit accipit, qui quaerit invenit et pulsanti aperietur [1]). Ac primum immortales miserationum Domino agamus gratias, et labiis exultationis laudemus nomen sanctum Eius, cum in multis catholici orbis regionibus mirabilia misericordiae suae operari dignetur. Hinc unanimes, atque eadem fidei sinceritate, spei firmitate et caritatis ardore animati sine intermissione Deum humiliter enixeque orare et obsecrare non desinamus, ut Ecclesiam suam sanctam ab omnibus calamitatibus eripiat, eamque ubique gentium, ubique terrarum magis in dies amplitudine augeat et exaltet, ut mundum a cunctis purget erroribus omnesque homines ad agnitionem veritatis, et salutis viam clementissime adducat, ut flagella suae iracundiae, quae pro nostris peccatis meremur, propitius avertat, ut mari ventisque imperet et faciat tranquillitatem, atque optatissimam pacem omnibus concedat, ut salvum faciat populum suum, et benedicat haereditati suae, illamque ad coelestia dirigat atque perducat. Ut autem facilius Deus inclinet aurem suam ad preces nostras et annuat votis nostris, levemus oculos manusque ad sanctissimam Dei Genitricem immaculatam Virginem Mariam, cuius nullum praesentius, nullum validius apud Deum patrocinium, quaeque nostra amantissima Mater, et maxima fiducia nostra, imo tota ratio spei nostrae, quod quaerit invenit et frustrari

[1]) Matth. 7, 8.

non potest. Deinde suffragia quoque quaeramus tum Apostolorum Principis, cui Christus ipse tradidit claves regni coelorum, quemque Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt; tum Coapostoli eius Pauli, et proprii cuiusque civitatis et regionis Patroni, aliorumque Coelitum omnium, quo benignissimus Dominus uberrima suae bonitatis dona copiosissime largiatur.

Itaque, Venerabiles Fratres, dum Nos in hac alma Urbe Nostra publicas preces fieri mandamus, hisce Literis Vos ipsos et populos curae vestrae commissos ad votorum Nostrorum societatem evocamus et egregiam vestram religionem ac pietatem omni studio excitamus, ut in vestris quoque dioecesibus publicas orationes ad divinam implorandam clementiam indicendas curetis. Atque ut fideles ardentiore animo hisce obsecrationibus per Vos statuendis instent, coelestes Ecclesiae thesauros in forma Iubilaei denuo proferre censuimus, quemadmodum ex aliis Nostris Literis heic adiectis clare intelligetis.

In eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut Angeli pacis habentes phialas aureas, et thuribulum aureum in manu sua humiles Nostras ac totius Ecclesiae preces offerant super altare aureum Domino, utique Ipse benigno illas vultu excipiens ac Nostris, vestrisque et omnium fidelium votis clementissime annuens, velit omnium errorum tenebras dispellere, omnium malorum dissipare procellas ac rei tum christianae tum civili auxiliariam porrigere dexteram atque efficere, ut in omnibus hominibus una eademque sit fides mentium, una eademque actionum pietas, unus idemque religionis, virtutis, veritatis et iustitiae amor, unum idemque pacis studium, unum idemque caritatis vinculum, atque ita Unigeniti Filii sui Domni Nostri Iesu Christi regnum in universo terrarum orbe magis in dies amplificetur, corroboretur atque exaltetur.

Denique coelestium omnium munerum auspicem ac flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter impertimur. — Datum Romae apud S. Petrum die XXI Novembris Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno Sexto. — **Acta Pii IX.** I. 342.

1194.

Synodus Leodiensis de Rom. Pontifice, A. 1851.

MON. Tit. III. cap. 1. art. 1. — Prima tum parochorum tum ceterorum sacerdotum obligatio, sine qua ceteris non fiet aequo modo satis, est vera et sincera erga superiores reverentia et obedientia, quam sunt in sua ordinatione solemniter polliciti. Atque primo loco *Romanum Pontificem*, iure divino Ecclesiae Caput et centrum unitatis, Christi in terris Vicarium, omnium Christianorum Patrem et Doctorem, habentem in tota Ecclesia primatum dignitatis et iurisdictionis, adeoque pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, plenam potestatem, *summa prosequantur veneratione, tenerrimoque amore, eique sint ex animo absolutissime subiecti, rati, schismaticum et extra viam salutis fieri, quicunque cum S. Sede corde et animo non est coniunctus.* Sint igitur sua erga Summum Pontificem devotione omnibus fidelibus exemplo, orent, et quotidianas orationes pro eo fieri curent, eiusque dignitatis tuitionem ac defensionem data occasione semper magno studio in se suscipiant. — *Statuta D. Leodiensis.* 1851. p. 47.

1195.

Conc. Westmonasteriense, A. 1852. de Romano Pontifice.

MON. *Decr. VII.* — Cum Dominus nos per Prophetam adhortetur dicens: ‚Attendite ad petram, unde excisi estis, attendite ad Abraham, patrem vestrum‘ (Is. 51. 1.) aequum est, nos, qui immediate ab Apost. Sede fidem, sacerdotium, veramque religionem accepimus, eidem plus ceteris amoris et observantiae vinculis adstringi. *Fundamentum* igitur *verae et orthodoxae fidei ponimus*, quod D. N. I. C. ponere voluit, *inconcus-*

sam scilicet *Petri Cathedram, totius orbis magistram et matrem S. Romanam Ecclesiam.* Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus; ipsius traditiones, ritus, pios usus et omnes apost. constitutiones disciplinam respicientes toto corde amplectimur et veneramur. Summo denique Pontifici obedientiam et reverentiam, uti Christi Vicario ex animo profitemur, eique arctissime in catholica communione adhaeremus. Cum igitur nostris hisce temporibus hisque in regionibus novam induerit error larvam, et inveniantur non pauci, qui doctrinas Ecclesiae se tenere profiteantur, ritus et praxim imitentur, et proinde sese, quamvis a societate sponsae Christi divulsos, catholicos vocitent, et simpliciores fallaci spe deludant, se extra Ecclesiam salutem consecuturos : huiusmodi errori veluti tutissimum fidei scutum opponenda est doctrina unitatis Ecclesiae, et inviolabilis communionis necessario habendae cum centro unitatis. — *Acta C. Westmonast.* p. 46.

1196. 1197.

Conc. Baltimorensis Plenarii decretum de Romano Pontifice, et epistola Concilii ad Pium IX. PP. A. 1852.

1196. MON. *Decr. I.* Patres huius Concilii plenarii ex omnibus Statibus foederatis Americae Septemtrionalis congregati, praeside AEppo Baltimorensi tamquam Ap. Sedis Delegato, summum, quo Sedem Ap. Romanam prosequuntur, obsequium profitentur: agnoscunt quippe iuxta definitionem in Concilio Florentino promulgatam, *Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. Beatissimum igitur Pontificem Pium IX caput totius Eppatus agnoscunt divino iure constitutum, eiusque esse fratres in fide confirmare, quum unus sit omnium pastor.* Doctrinam insuper, quam ab Apostolis traditam in Ecclesia Roma-

na constat semper esse servatam per Epporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum Oecumenicorum praesertim Tridentini decretis, et in Summorum Pontificum Constitutionibus explicata est.

1197. *Epistola.* Ex vastae huius regionis disiunctis plagis ad Concilium plenarium habendum convenientes, ab ipso primo momento ad te, Beatissime Pater, mentis oculos convertimus. Si enim Christum Dominum deliberationibus nostris praeesse velimus, quem alium ducem habere possemus, quam illum, cui Salvator ipse ovium simul et agnorum curam commisit et quem ad fratres confirmandos prae omnibus elegit? — Antequam vero ad Ecclesias nostras revertamur, vehementer desideramus animorum nostrorum sensus tibi, B. P., aperire. Cupimus etenim amorem, et reverentiam, et obedientiam erga te et Sedem tuam Apostolicam, qua repleti sumus, tamquam haereditatem pretiosissimam, quam prae omnibus aliis maximi habemus, ultimis posteris peculiari affectu commendare. *Nil* enim *ad fidem firmandam, et ad pietatem, quae ex fide exurgit, urgendam magis conducere novimus, quam amorem et obedientiam filialem erga Sedem Apostolicam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, fovere.* Sive antiquorum temporum monumenta, sive aetatis nostrae historiam evolvimus, ubique per Petrum fidei lumen servatum videbimus, et haereses et schismata tunc tantum orta, cum imminuta erga Sedem Apost. reverentia erroribus et vitiis via patebat. Frustra virtutes et praeclara gesta maiorum, frustra terram martyrum sangvine madidam, frustra antiquae pietatis monumenta appellabant illi, apud quos reverentia ista amorque frigescebat. Elangvescere primo fides visa est, serius omnino emori; humanae factae sunt ecclesiae illae, et divina amissa virtute non tam ad viam salutis ostendendam ecclesiae quam larvae ad illudendum esse videbantur. Factum quidem est quandoque misericordia divina, ut felicior esset rerum exitus. Hoc autem ea tantum de causa evenit, quod tandem aliquando restituto avito Sedis Apost. amore salus inde petebatur, unde Ecclesiarum vitam fluere Deus decreverat. Etiam tum, quum tu, B. P., a sepulchris Apostolorum exulares, et prudentes huius seculi nil nisi pericula viderent, omnes admirati sumus fortitudinem sapientiamque, qua Ecclesiam tibi commissam moderabaris, clareque in actis tuis perspeximus lucem a Domino promissam non modo

non imminui, sed pro temporum difficultate magis magisque splendescere. Quamvis enim plurimis et immensis esses calamitatibus pressus, verbum Domini non fuit alligatum, sed a Petri Cathedra procedens, lumen veritatis pietatisque fervorem ubique diffudit, simile solis radio, ut ait S. Chrysostomus, cui vincula conici nequeunt. — Non leve autem tot inter ploranda aetatis nostrae mala exinde solamen derivatur, quod quo magis pericula imminere videntur, eo arctius contrahuntur vincula, quae fideles ubique diffusos cum Sede Apost. coniungunt, eoque ferventius Ecclesiae filii ad Sedem Apost. conveniunt, et veluti infantes sese in gremium matris coniiciunt, a qua cibum et tutamen expectant. Qui cum animorum nostrorum sensus sint, ex corde cupimus eam Ecclesiarum nostrarum praecipuam laudem fore, ut Sedem Apostolicam summa semper et peculiari reverentia colant diligantque. — Baltimori, die 19 Maii 1852. — *Concilium Plenarium totius Americae Sept. foederatae.* Baltimori. 1853. p. 43. 53.

1198.

Eppus Nitriensis de Primatu R. P. A. 1852.

MON. Humani generis Salvator priusquam redemtionis a iugo peccati opus consummasset, et subin ad Patrem coelestem redivisset, ne fluctuemus ut parvuli et circumferamur omni vento doctrinae, utve in constituta ab se et usque consummationem seculi duratura Ecclesia omnia rite ordinateque fiant, praeter magisterium apostolatus divino prorsus consilio Centrum unionis constituit. Nimirum visibilis Ecclesia ultra caput invisibile Christum Iesum, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens (Col. 1, 18.) opus habebat etiam visibili in his terris Capite, ad quod unius corporis membra referrentur. Dum Petrus Apostolus divinitatem Christi confessus fuisset, responsum meruit accipere: Beatus es Simon etc. (Matth. 16, 18. s.) Post gloriosissimam autem a mortuis resurrectionem quod spoponderat facto completurus, cum prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me etc. (Ioan. 21, 15. ss.) E communi SS. Patrum consensu, et usu loquendi Hebraco-

rum nullum dubium est, quod locis citatis Christus Petrum praeter cunctis Apostolis propria attributa specialibus etiam praerogativis ornaverit, et fundatae per se Ecclesiae Caput visibile praefecerit. *Positiva* itaque *divina ordinatione, et non e placito et voluntate membrorum ad eundem finem tendentium, Primatus in Ecclesia, et quidem non solum honoris, per quem Ecclesiae parum aut nihil consultum fuisset, sed etiam auctoritatis et iurisdictionis existit.* Hanc fuisse mentem, hanc ordinationem Salvatoris comprobarunt Apostoli, qui in Petro concessam ei per Christum supremam in Ecclesia potestatem facto suspicientes, eum semper primum nominant Matth. 10, 2. Marc. 3. 16. Luc. 6, 13. s. Ioann. 6, 68. Act. 1, 13.; erga propositionem Petri novi Apostoli electionem acceptant, ac dum Petrus praerogativae suae conscius in Concilio Hierosolymis asservato Act. 15, 6. ss. sententiam edixisset, eam pro norma assumunt; Paulus vero doctor gentium, ut ex eiusdem epist. ad Gal. 1, 18. patet, praecedentiam Petri recognoscit. Postquam Apostoli gloriosa morte martyrii cursum suum consummassent, mox secundus in apostolica Petri Sede successor Anacletus Papa et Martyr ep. 2. ad Eppos Italiae dicit: ‚In N. T. post Christum Dominum a Petro sacerdotalis coepit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus etc.' (Decr. Grat. dist. 21. c. 2.) Quo magis autem Ecclesia Christi dilatabatur, consolidabatur, eo profundiores radices fixit doctrina illa: Ecclesiam Romanam esse matrem et magistram reliquarum, Eppum autem Romanum esse successorem S. Petri, et supremum Pastorem totius christianitatis, ita, quod iam cani Ecclesiae Patres veritatem hanc communiter notam supponant. Ut ex his vel paucos memoremus, S. Irenaeus Eppus et Martyr a. 201 mortuus, a S. Polycarpo Eppo et Martyre discipulo S. Ioannis Ap. et Evang. institutus, adversus haer. 3, 3. de Ecclesia Romana loquens dicit: ‚Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.' Cuius unius Ecclesiae, et nullius alterius eodem loco successionem etiam enumerat. — S. Cyprianus, qui 258 decessit, in lib. de unit. Eccl. ait: ‚Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur.' Item: ‚baptisma unum, et Spiritus S. unus, et Ecclesia

una a Christo Domino supra Petrum origine unitatis et ratione fundata.' S. Hieronymus Presb. epist. 70: ‚Tantae Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epist. sua scripserit: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, ostendens se non habuisse securitatem Evangelii, nisi Petri et qui cum eo erant sententia fuisset roboratus. Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.' Copiosissima et concordia hac in parte possent adduci SS. Patrum testimonia, quibus apprime convenit doctrina antiquarum Synodorum, uti Nicaenae, Ephesinae, Chalcedonensis, CPnae, declarantium: Primatum Romani Pontificis in ordinatione divina fundatum esse. Iuxta doctrinam C. Constantiensis et Tridentini Romana Ecclesia est mater et magistra ceterarum, Pontifex vero Romanus legitimus S. Petri successor, et Iesu Christi in his terris Vicarius. Concilium autem Oec. Florentiae a. 1438 potissimum ob Graecos schismaticos ad unionem reducendos celebratum declaravit: Definimus S. Ap. Sedem etc. Ceterum doctrinae huic sive historicis sive aliis rationum momentis firmandae, velut secus etiam e probatissimis operibus theologicis non minus ac iuridicis vobis sufficienter notae non immorabimur: hanc universalis Ecclesia profitetur; imo ipsi Orientalis Ecclesiae asseclae non uniti S. Petrum Apostolum, cuius festum in memoriam captivitatis die 16 Ianuarii recolunt, in officio diei illius fundamentum Ecclesiae, petram fidei, primum Apostolum etc. actu appellant. Die 25 Nov. in officio diei S. Clementem successorem Petri; S. Silvestrum 2 Ianuarii igneam columnam, principem collegii etc. S. Leonem M., Coelestinum Papam, Primatem et in terris his Iesu Christi Vicarium actu et de facto depraedicant, sicque inviti licet ac in schismate existentes hac in parte veram doctrinam Ecclesiae Rom. Catholicae in sua liturgia profitentur. Tanta fides omni tempore per orbem dispersa fuit quoad Primatum Petri et eius in Sede Eppali successorem! In vanum itaque operatur perversa agitatio adversariorum, scopo obtinendae politicae revolutionis, aut invidia inflata ad deprimendam S. Sedem Apostolicam potissimum in ephemeris scriptis et libellis laborantium. Perperam nititur adversus sanctam, Catholico cuivis nonnisi cum religione suscipiendam Romanam Sedem attollere supercilium, eius a Christo Domino derivata privilegia, iurisdictionem, quam tota antiquitas venerabatur, extenuare, labefactare, et Summos Pon-

tifices probris afficere; commentorum enim contra S. Sedem novitus e fontibus impurissimis haustorum, uti de Ioanna Papissa, irrealitas ita evicta habetur, quod eadem per ipsos adeo melioris notae Protestantes inter aniles fabellas iure merito recenseatur. Contumeliae quidem idgenus divinam ordinationem certe non evacuabunt, manifestum tamen praebent argumentum, quantopere desperatae sint res adversariorum ad idmodi frivola media refugium sumentium. Quod vero eorum animae salus, qui Ecclesiam eiusque Caput adgredi non verentur, in periculo constituatur, clarum est: quia Salvator dicit: ‚Ego sum via, veritas et vita; — ego sum vitis, vos palmites; — ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur; ego sum pastor bonus, — et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.‘ Noster itaque Dominus ac Salvator voluit, ut in mundo hoc visibili sit visibilis Ecclesia, curae Pastoris visibilis subiecta, in qua salutis aeternae remedia deposuit. Dum autem Petro dixit: ‚Tibi dabo claves regni coelorum, — confirma fratres tuos, — pasce agnos meos, pasce oves meas:‘ per haec Apostolum hunc, et in eo succesores illius in supremum Pastorem Ecclesiae suae nominavit. Illi proinde, qui hanc super Petrum fundatam Ecclesiam ad scopum suum perversum humiliare, deprimere, contemnere non formidant: praeceptis Christi contrariantur, et damnationem sibi ipsis consciscunt, dicente Salvatore: ‚qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die., (Ioan. 12, 48.) Frustranei manebunt omnes conatus perversi adversus Dominum et adversus Christum eius; frustranei assultus contra Cathedram Petri, in qua 258 Pontifices a S. Petro principe Apostolorum incipiendo serie continua successerunt: divinis enim promissionibus evictum est, solidissimam hanc veritatis petram nullis unquam adversitatibus, nullis tribulationibus in ruinam impelli posse. — Nitriae in Oct. Epiph. Domini 1852. — *Encyclica Eppi Nitr. de a. 1852.*

1199.

Eppus Gr. Cath. Fogarasiensis in Transsilvania de Primatu Romani Pontificis, A. 1852.

MON. — — Restat adhuc aliquid maioris momenti, maximaeque importantiae, sine quo sapientia, scientiae, artes cunctae, et Croësi thesauri in nihilum abirent, sine quo nationum ac statuum efflorescentiam sibi imaginari chimaericum phantasma foret, quod praeprimis natio nostra in integro servandum ac sequendum habet: idque Religio maiorum nostrorum fidesque salvifica est! *Maiores nostri* cum per Traianum Imperatorem de Italiae amoena terra adducti in Daciam sedem fixerunt, huncce thesaurum scilicet *Religionem et fidem Roma secum attulere. Evangelio D. N. I. C. portato ab Eppis et Sacerdotibus a Patriarcha S. et Apost. Sedis Romanae consecratis* — vultures Legionum Romanarum praecedentes crucem rostris gerendo monstravere viam in Daciam. Detrahe velum de oculis mentis tuae, aperi aures cordis tui, audi et intellige veritatis huius vocem, o perquam cara et dilecta natio mea Romana! tota quanta es a Tibisci ripa usque Pontum Euxinum montemque Pindi longe lateque dispersa! *Maiores nostri religionem fidemque suam*, thesaurum hunc pretiosissimum, *Roma attulerunt; Antistites ministrique sacri maiorum nostrorum sacrum sacerdotii sui ordinem acceperunt impositione manuum a Patriarcha primae Apost. sedis Romanae, doctrinamque haustam de labiis sacris Divorum Apostolorum Petri et Pauli ex Italia!* — Quanta laus et gloria, quanta haec pro nobis spiritualis consolatio est! *Nos* ergo *Romani nequaquam habuimus opus, Christi fidem apostolicamque Religionem et doctrinam a Graecis vel a Patriarchis CPno, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, aut vero ab aliis recentioribus Patriarchis diversarum nationum, quos Concilia Oecumenica a Spiritu S. insufflata et Sancti Patres ignorant, addiscere.* Haec ergo maiorum nostrorum a S. Sede Apostolica Romana accepta Religio est illa vera salvifica et apostolica, et eius condi-

tionis fides, quam D. Apostolus Paulus nominat et agnoscit esse suam. (Rom. 1, 12.) *Haec S. Romanae Sedis fides ac una etiam maiorum nostrorum est eius generis, ut S. Ap. Paulus serio praecipiat, ut consortium eorum, qui aliter docerent, sedulo evitemus et fugiamus.* (Rom. 16, 17. 18.) Quinimo idem S. Paulus anathemati tradit omnes illos, qui secus docuerint, etiamsi angelus de coelis esset — Gal. 1, 8. 9. Haec est fides Apostolica, quae annunciatur in universo mundo. — An non haec summo pro nobis consolatio est? dum sciamus, quod fides nostra non modo fides maiorum nostrorum sit, sed illam eandemque esse, quam Divi Principesque Apostolorum Petrus et Paulus docuerunt ac professi sunt. *An non nobis solatio spiritualique laetitiae est id, quod S. Sedis Ap. Romanae Summus Antistes, quem nos Caput Ecclesiae per universum orbem dilatatae veneramur, sit successor indubitatus S. Petri Apostolorum Principis, Ecclesiae Romanae fundatoris, ut ipsa etiam Orientalis Ecclesia profitetur et canit in libro Menologion 29 Iunii et 16 Ianuarii. Hunc Petrum Salvator noster Iesus Christus nominat petram fundamentalem, cui superaedificaturus est Ecclesiam suam, cuique concredidit claves regni coelorum:* Et ego dico tibi etc. Romae in Basilica S. Ap. Petri condita iacent sacra corpora Principum Apost. Petri et Pauli, prouti credit et canit etiam Ecclesia Orientalis in Menol. 16. Ianuar. in Tropario: ‚Romam nequaquam deserendo, ad nos etiam venisti per venerandas catenas tuas.' Quo praeteritis annis accedens unus e potentissimis Monarchis, qui non Romanae adhaeret Hierarchiae, per loci sanctitatem obstupefactus supplici genu adoravit sanctum locum. *Nonne est illa summa animi exultatio et spiritualis pro nobis consolatio, quod per S. Unionem in una salvifica fide cum eadem sancta et apostolica Sede Romana, ubi ea puritas fidei apostolicae viget, quam S. Petrus Princeps Apost. fundavit* et adversus quam portae inferi non praevalebunt, et quae S. corpora Principum Apost. in sinu suo condita habet, *simus quasi in uno divino nexu et foedere directe cum coelo,* ‚tibi dabo claves regni coelorum'? Et adhuc consolatio laetitiaque spiritualis nostra interna in praeadductis necdum consummata est; illa crescendo crescit in momentissisima pro natione nostra — dulci ea memoria, quod nos praeter fidei communionem nexus etiam sangvinis et nationalitatis Sanctae Apo-

stolicaeque Romanae Ecclesiae Capiti devinciat. Quam amara est cordi nostro Romano illa memoria, dum reminiscitur, quanta damna nationi Romanae attulerit dominatus hierarchiae alienigenarum gentium Graecae et Serbicae, quarum obscurandi, subiugandique et damnificandi eo processit temeritas, ut etiam lingvam ipsam populi Romani de Ecclesiis eius eliminarent, et fratres nostri, qui his alienigenis hierarchiis etiam nunc subiecti gemunt, quantum sustinuerunt, sustinentque adhuc luctae, ut excutere valeant hoc tam damnificum et onerosum Ecclesiae et Nationalitati Romanae hierarchicum iugum, sed irrito conatu; dum e contra *nobis, qui sub umbra alarum matris nostrae Ecclesiae Romanae refugium quaerimus salutis*, paulo post restauranda Metropolitica Albo-Iuliensi dignitate, perfecta ecclesiastico-nationali autonomia, et *pura Romana Hierarchia gloriari licebit*, *et uni tali Capiti Ecclesiae*, cui spirituali et nationali nexu arctissime devincti, et uniti sumus, *successori* videlicet *S. Petri Ap. indubitato ac legitimo*, cuius fides est fides ipsius D. Ap. Pauli, cui ut fide firmiter adhaereamus, idem S. Apostolus ita nos monet: ‚vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini;' utque omne evitemus schisma, et unum idemve sentiamus, S. Paulus per nomen D. N. I. C. nos rogat I Cor. 1. 10. Hanc eandem beatorum Petri et Pauli Apost. fidem amplexam sequuntur a cultura celebres etiam nostrae gentis vere sorores nationes Italica, Gallica, Hispanica, et Portugala. An non decori, laudi, et gloriae sibi ducere nostra natio debet, quod salutari ac glorioso fidei et sangvinis vinculo devincta sit Capiti primae Apostolicae Sedis et successori ipsius b. Petri Apostoli? pro cuius fide ut non deficiat, ipse Salvator noster D. I. C. intercedit Patri Coelesti, et adversus quam fidem portae inferi non praevalebunt, ut et aliis a cultura et scientiis celebribus Orbis Nationibus? — — Una adhuc sancta maximaque superest nobis obligatio adimplenda, ut in sacra hac divinaque verae libertatis aede fidei *deposito inviolabili iuramento promittamus, quod nos Religionem salvificam maiorum nostrorum per eosdem in Daciam Roma allatam, unionemque aeternam cum S. Apost. Romana Sede, quam maiores nostri ut veritatis columnam agnoverunt*, ad quam et sangvinis nos alligat origo, *inconcussa fide servaturi, in eadem viventes, in eadem et mori-*

turi simus; procul a nobis demus anathema, quod nobis hucdum superdominatum, et ulterius etiam dominaturum est, si fidem maiorum nostrorum Romanumque contemnendo sangvinem a gremio salvificae Ecclesiae Matris deficeremus. Audite et intelligite vos omnes, qui verum Romanum geritis nomen, et sangvinem! duo solum aeterna, sancta, inviolabiliterque servanda vota futuram nostram fundare possunt felicitatem: *sacer videlicet nexus cum Sede Romana per fidei unitatem*, et inconcussa erga Aug. Austriacae gloriose regnantis domus thronum fidelitas et adhaesio. — Audite et intelligite hoc omnes Romani, qui longe et late habitatis, ab Euxino Ponto per Thessaliam, et cis Carpatos usque Tibisci littora, — *quod pro nobis extra sacram cum Apost. Sede Romana unionem, cuius beatum Antistitem omnes Sancti Ecclesiae Orientalis Patres, et omnia orbis oecumenica Concilia, sacrique Canones ut Caput totius Ecclesiae venerantur et agnoscunt, nulla omnino sit pro nobis salus;* namque extra S. Unionem, quam et S. Mater Ecclesia in piis suis orationibus in S. Liturgiae officio a Deo orat, deficit nobis aliquid maximi momenti, sine quo maximae et optimae res nostrae dissipantur, imo etiam fides et omnia bona opera nihil nobis prosunt. — Quid potens Graecorum subvertit Imperium? quid celebrem ab omni scientiarum genere nationem subiugavit Graecam? ferreaeque barbarorum subiecit servituti? quid patriam hanc Sanctorum convertit in terram infidelium? — uti celebris Ecclesiae Graecae orator Elias Myniat sacro ad populum graecum habito suo in sermone ait, schisma ac disunio hoc praestitit, ad subvertendum potentissimum Imperium et subiugandam florentissimam nationem Graecorum unica et sola sufficit disunio! — Fratres et Filii dilectissimi! aperite aures cordis, oculosque mentis vestrae; properemus una intrare in domum Domini, genuaque nostra inclinantes versus Ecclesiam sanctam eius, vultibus ad terram prostratis oremus Dominum pro sacra omnium nostrum unione. — Pro ea S. Unione exoperanda oremus, ad quam Spiritus S. nos invitat, ut Ecclesia Graeci Ritus die ipso Pentecostes canit: ‚cumque lingvas distribueret igneas, ad unionem nos omnes invitavit.‘ *Eam S. Unionem petamus a Deo, quam maiores nostri observarunt, in qua perstiterunt omnes Sancti Orientalis Ecclesiae Patres: Cyrillus, Athanasius, Ioannes Chrysostomus, Basilius, Gregorius Na-*

zianzenus, et reliqui omnes S. Patres cum Romana Ecclesia custodierunt. — Prima Encyclica Eppi Fogar. a. 1852.

1200.

Card. AEppus Lugdunensis damnat librum presbyteri ‚Prompsault' contra Primatum scriptum: auctor vero libri errores suos retractat. 1853.

INTR. Monumentum magni momenti vulgamus in praesente documento: examen nimirum et iudicium doctrinale Cardinalis Lugdunensis de libro Presbyteri Prompsault, ad dioecesim quidem Lugdunensem pertinentis, sed in Dioecesi Parisiensi publicum munus gerentis. Encyclicae Lugdunensi immediate subiicimus epistolam dicti presbyteri ad AEppum Parisiensem directam: cuius ope solenniter retractat suos errores, quos de Primatu sparserat.

MON. Charissimi Filii! Ecclesia Galliae, doctrinae suorum in fide Patrum insistens, et dogmati catholico, de primatu honoris et iurisdictionis, per Divinum Magistrum Petro, et successoribus illius collato, in visceribus adhaerens, quotidie arctius constringere pergit vinculum, quo S. Sedi Apostolicae, *huic fonti unitatis*, coniungitur. Beatam sane se existimat, quotiescunque eidem conceditur, homagium suae devotionis et humilis subiectionis ad pedes Vicarii Iesu Christi deponere, et pro continuis benevolentiae Summi Pontificis documentis sensa gratitudinis et amoris reddere. Verum inimicus homo indesinenter conatur divisionis germen propagare, per verba, quae inspirat, per actus, quos suggerit, per diffidentiam, quam seminat. Separare Patrem a filiis, turbare pacem et concordiam in domo Dei: haec est intentio eius. Nostri itaque, Pastorum Ecclesiae, muneris est: ut vigili oculo comitemur haec culpanda molimina, defendamusque iura Supremi Pastoris, cuius dociles oves se esse Episcopi gloriantur. Huius officii adimplendi ratio postulat, ut vobis, Charissimi! hodierna die novum, contra potestatem, a Redemtore primo Apostolorum his in terris collatam, directum assultum significemus.

Intra ambitum Dioeceseos Nostrae vulgatum est nuper opusculum, cui titulus: *De sede potestatis ecclesiasticae in Ecclesia Iesu Christi. Literae ad March. de Régnon, Fundatorem et Redactorem „Unionis catholicae," per Presbyterum I. H. R. Prompsault. Paris, 1853.* Sufficiat isthic praevie attingere, auctorem insuperhabuisse formalitatem, cui omnis Presbyter, opus de religione vulgans, in respectu suorum Praepositorum satisfacere tenetur, et opusculum suum examini Praesulis sui subduxisse. Insuper declaramus, Nos minime subscribere in omnibus sententiae Redactoris *„Unionis catholicae,"* nec eidem tamquam laico — quod sibi arrogat ius, Episcopos docendi, admittere. Si *Literae ad March. de Régnon* sub anonymo publicatae fuissent, eas fors, ut plurima huius generis producta in sua obscuritate delitescere sivissemus. Ast cum illas Presbyter amplae Dioeceseos Galliae — qui in Metropoli Regni conspicuum officium sustinet — scripserit et vulgaverit, examini earum supersedere non possumus.

Auctor, contra quem vocem nostram attollimus de institutione potestatis ecclesiasticae his in terris tractat. E re futurum censemus spiritum huiusce opusculi paucis ob oculos sistere.

Auctor scopi adinstar sibi praefixisse videtur: personam Petri deprimere et obscuram reddere. Hinc mox ab exordio eum qua *oeconomum, navarchum et civilem superiorem ceterorum Apostolorum* sistit (pag. 10). Abs dubio sua in laxandis retibus dexteritate, in rebus gerendis peritia prae ceteris eminuit, aut certe naviculam in lacu Genezareth melius gubernare novit! Auctor scopo suo conforme censuit, hoc genus superioritatis, hanc speciem primatus extollere. Recte quidem dicit, Petrum *primum fuisse electum*, et agnoscit, huic facto *plus aliquid, quam prioritatem electionis inesse;* (p. 11) attamen, — ac si eundem confessionis huius poeniteret, — mox attentos reddit suos lectores, *duodecim Apostolos binos et binos sibi associatos fuisse, et Petrum quoque pari modo, quo residuos* (ibidem). Nulla igitur Petro hac in parte praecellentia tribuitur. *Simon Petrus et frater illius Andreas bini prodibant. Omnes eodem titulo Apostoli erant;* (pag. 12) *usque passionem Divini Salvatoris nostri unum corpus Pastorum efficientes, in quo Petrus* — non obstante solemni promisso Iesu Christi — *verosimiliter nonnisi caput familiae et Oe-*

conomus erat (ibid.); idem navarchus et civilis superior, de quo supra agebatur.

Iesus Christus peculiari affectu propendebat in Petrum, Iacobum et Ioannem; sed Ioannes, quem signanter praedilexit — *in eo Petro excelluit, quod primus ad sepulchrum Domini venerit.* Quod Petrus, sive interrogando Iesum, sive eidem respondendo plerumque sermonem orsus fuerit, id auctor unice *maiori energiae, maiori audaciae, et maiori constantiae*, (pag. 15) vel potius minori timiditati huius discipuli tribuit; — quamvis nec ista dos animi eidem semper propria fuerit. Singulari attentione dignum videtur auctori teloniatorum factum, qui tantum a Christo et Petro vectigal exegerunt, unde demonstare nititur, *illos in Petro qualitatem Oeconomi agnovisse* (p. 16).

Porro observat auctor, *non obstantibus indiciis honoris, Petro tributi, quamdiu Iesus Christus his in terris versaretur, nullum Apostolorum, qua talem, auctoritate quadam supra ceteros potitum fuisse.* Atque ideo in memoriam revocat: Cepham eotum promissionem dumtaxat habuisse, et *quantumvis certus sit eventus rei a Deo promissae; promissionem tamen doni, indeterminato tempore faciendi pro reali donatione summi non posse.* (pag. 19) *Itaque ante passionem Iesu Christi potestas Petri neutiquam differebat a potestate reliquorum Apostolorum, cum et Petrus pari, quo ceteri, modo missus fuerit, et non absimiliter socium acceperit* (ibid.). Petrus ergo eo tempore non aliud quam socius Andreae fuit.

Ne autem quispiam sublimiorem de praerogativis, Petro concessis, ideam fovere possit, auctor affirmat: *Iesum Christum Apostolis annunciasse, post resurrectionem suam, nullum ipsorum supremum iudicem in Ecclesia futurum.* Hunc in sensum interpretatur textum S. Matth. (Cap. 19. v. 17 et 28). D. Prompsault ergo non horret asserere: post resurrectionem nullum Apostolorum, — nec ipsum Petrum — supremum Iudicem controversiarum fidei in Ecclesia fuisse. Vos ipsi Charissimi Filii, gravitatem huius asserti perpendite! Post resurrectionem *Salvator omnem potestatem ecclesiasticam a Patre acceptam collegio apostolorum tradidit, ut per quodvis membrum illius exerceatur; nequaquam vero singulo, aut uni tantum membro, ut a corpore independenter exerceatur* (pag. 22). Petrus ergo, post resurrectionem munus suum, — qua visibile caput, et fundamentalis petra nonnisi in

concursu suorum in Apostolatu sociorum exercere potuit; *Apostoli et Petrus pariter bini et bini associati manserunt.* Secundum dicta Auctoris Petrus constanter Oeconomus, civilis superior et Andreae socius fuit. Nec suspicere potuit in Petro supremum iudicem, quum supra iam innuerit, nullum post resurrectionem in Ecclesia exstitisse.

Iis, qui crederent: verba Iesu Christi ad Cepham directa: „Pasce oves meas," concessionem cuiusdam extraordinariae potestatis significare; — *auctor Literarum* aliam suggerere nititur persuasionem, in memoriam revocando: unicum S. Ioannem haec verba referre, *neque interrogationi Iesu Christi ad Petrum directae tantum inesse ponderis, quantum eidem ultramontani certatim tribuunt.* (pag. 24.)

Traditio quidem ex his verbis „Pasce oves meas, pasce agnos meos" facile Primatum Petro et successoribus illius collatum eruere potuit; ast mentes, rem magis penetrantes, haec verba primo apostolorum minus faventer exponunt. His enim *metaphoricis verbis, — quorum sensus insuper dubio obnoxius est, — nullatenus agitur de transferenda aliqua, inprimis autem suprema potestate, quam Divinus magister a Patre accepit* (p. 25.).

Auctor agnoscit quidem primatum honoris et iurisdictionis Petro collatum, una tamen nos attentos reddit; *ne illi supremam potestatem perperam tribuamus,* (pag. 26) quae Petro, ad gubernandam Ecclesiam concessa haud erat, *Apostolus hic, eodem modo, quo ceteri suberat collegio apostolorum,* penes quod suprema potestas fuit. *Nam Sacra Scriptura nulla continet pro suprema potestate Petri argumenta, dum ex adverso copiosa adsint subordinationis eiusdem indicia* (ibid.) S. Paulus 1-a Epistola ad Corinthios de Petro loquendo, hunc post omnes apostolos, — *imo post cognatos quoque Domini, qui apostoli non fuerunt — recenset.* Nequaquam ergo illum *supremum Iudicem* agnovit. Quantum ad ea, quae Paulus Corinthiis de sollicitudine omnium ecclesiarum, sibi incumbente scripserat, D. Prompsault, systemati suo inhaerendo, sic argumentatur: *Aut dicendum est, magnum apostolum primo suo erga S. Petrum officio defuisse; aut fatendum: Petrum eo tempore* (post descensum Spiritus S.) *non fuisse unicum Iesu Christi Vicarium, omnis potestatis depositarium, Monarcham et summum legislatorem*

Ecclesiae (pag. 28). Iam vero Paulus insuperhabiti officii accusari nequit; ergo *S. Petrus non fuit unicus Vicarius Iesu Christi*, abs dubio quivis apostolorum huius qualitatis particeps fuit, *eamque eodem iuris titulo* possedit. Quod autem Petrus miracula patraverit, *id virtute potestatis, apostolico Collegio donatae fecit* (ibid.). Solus ergo Petrus — non obstantibus quibusvis a Salvatore acceptis donis — infirmos sanare haud potuisset.

Opinione auctoris firmissimum contra monarchicam potestatem, Petro concessam argumentum est: *Petrum nonnisi in consortio Ioannis operari potuisse miraculum*, de quo *Actus apostolorum* referunt. *Certe Coapostoli Cephae*, — nequaquam tam sublimem ideam de potestate, eidem collata, foventes, — *non permiserunt illi ius, negotia Ecclesiae propria, suprema auctoritate dirigendi* (p. 31.). Quis enim in Concilio Hierosolymitano *seriem discussionis recapitulavit? Quis apostolorum decisiones latas annunciavit?* (pag. 32.) Numquid Petrus? Nequaquam; sed Iacobus. Petrus silere debuit. Petrus quippe tam probe noverat, se plena auctoritate instructum non esse, *ut in II-a sua Epistola — cuius verba tamen recte ad eludendum hunc sensum adaptata et coordinata videri possent, — memores esse iubeat fideles eorum, quae apostoli Iesu Christi praeceperunt* (pag. 32.).

Haec omnia, quae adduximus, sunt verba saepefati auctoris. Demum ubi de itinere romano Petri sermo recurrit, auctor sollicite cavet, ne *S. Petrum a S. Paulo separet.* Inconsultum etenim eidem videtur, totam fundatae Romae Ecclesiae gloriam Petro tribuere. Hinc *exaggeratum foret assertum: Petrum solum Vicarium Iesu Christi, Pastorem, Doctorem et monarcham Ecclesiae constitutum fuisse, nec alibi veritatem inveniri, nisi ubi Petrus est* (pag. 35.). Certe *argumentum istud potuisset S. Irenaeus iis haereticis opponere, qui praetendebant, inter Apostolos solum Paulum veritatem cognovisse; — et tamen recte istud eisdem non opposuit* (ibid.).

Atque istud est, Charissimi Filii, genuinum compendium temerariorum assertorum auctoris. Profecto haec legens facile credere posset se Antonium De Dominis, Eybelium, Richerum, Riccium et totam Iansenistarum scholam audire. Ad refocillandum tantisper animum nostrum, analysi harum paginarum dolenter occupatum, iuvabit in memoriam revocare pulchra Bos-

sueti de S. Petro effata: „Petrus ubique primus cernitur: primus in confessione fidei; primus in obligatione exercendi amoris; primus omnium apostolorum in visione Salvatoris a mortuis resuscitati, quemadmodum primus Eiusdem coram populo testis fuerat; primus in complendo numero apostolorum; primus in confirmanda miraculo fide; primus in convertendis Iudaeis; primus in recipiendis gentilibus; verbo: ubique primus. Sed non omnia dicendo sum; — omnia ad stabiliendum primatum eius concurrunt; omnia, ipsi quoque defectus illius . . . . . Potestas pluribus concessa ipsa sui divisione restricta est; ex adverso potestas, uni *super omnes* et sine exceptione collata, plenitudinem sibi propriam habet.“ — Profecto ea, quae e libello „*de sede potestatis ecclesiasticae in Ecclesia Iesu Christi*“ citavimus, abunde sufficerent, ut ab ulteriore examine praescindendo, anticatholicum productum isthoc condemnemus; verum tamen opportunum nobis videtur, nonnullas propositiones auctoris penitius enucleare.

Iuxta sensum auctoris, *omnes apostoli eodem titulo sunt apostoli.* Quid sibi haec ambigua verba volunt? Voluitne dicere auctor, omnes apostolos eandem vocationem habuisse, ad eundem apostolatum electos fuisse, omnesque eandem potestatem evangelisandi, docendi, baptisandi, Ecclesias fundandi accepisse? Sub hoc obtutu Petrus et reliqui apostoli certe eodem titulo apostoli sunt. Ast si his verbis exprimere voluit: Apostolos omni sub respectu eodem titulo Apostolos esse; ita, quod Petrus nullam prae ceteris Apostolis praerogativam acceperit et quod nulli membrorum collegii apostolici amplior potestas directionis, gubernii et iurisdictionis collata fuerit: hic gravis error foret, cui Scripturam, Patres et concilia opponere possumus. Ceterum ne in hac materia prolixiores simus, praecipua tantum ex his veritatis catholicae fontibus hauriemus argumenta, quae primatum Pontificis plene evincunt.

Primatus S. Petri eiusque Successorum clare demonstratur verbis Iesu Christi: „Et ego dico tibi: quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum.“ En potestatem, primatum B. Petro promissum. Nequaquam dixit ceteris Apostolis, illos fundamentalem petram Ecclesiae futuros. Omnes quidem accipient congruam potestatem;

verum Petro singularis, extraordinaria potestas conferetur, cuius ceteri Apostoli participes non fient; accipiet videlicet claves, id est auctoritatem „cui omnia suberunt, reges, populi, pastores et greges."

Magnifica haec promissio tunc adimpleta est, dum Salvator hominum, audita trina de ore Petri amoris confessione, — velut trinae negationis reparatione, — eidem ternis vicibus plenam potestatem in universum gregem contulisset, respondendo: Pasce agnos meos, pasce oves meas." Interrogabimus iam Auctorem: an vox haec „*pascere*" in sacris paginis non idem denotet, ac *ducere, dirigere, gubernare?* Interrogabimus: an versiculus Psalmi, quem *Vulgata* sic reddidit: „*reges eos in virga ferrea*," in versione graeca non exprimatur per „Poimaíneis avtovs"=*pasces eos?* An non reges antiquo aevo *pastores populi* appellabantur? Itaque verba Iesu Christi „pasce agnos meos" non significant unice nutrimentum praebere, sed omnia officia, iuraque pastoris involvunt; videlicet: ius pascendi, ducendi, reducendi, defendendi, gubernandi, imo castigandi quoque. Unde concludere debemus: Redemtorem, dum Petro dixerat: „pasce agnos meos, pasce oves meas," illi supremam tribuisse potestatem, totum gregem gubernandi, seu — ut verbis Bossueti utar — „omnia regendi: et agnos, et oves, et agnellos, et matres et ipsos quoque pastores; pastores, in respectu populi, — oves, in respectu Petri." Evidens quoque est: magnas has praerogativas, adinstar haereditatis, ad successores Petri transire debuisse; semper enim aderit ovile et grex, qui custodia et defensione egent. Evidens est: hunc primatum exclusivum privilegium successorum Petri constituere debere; cum ad conservandam in Ecclesia unitatem semper necessarius sit. Petra, cui superaedificata est Ecclesia, semper firma, inconcussa sit, oportet, quia aedificium isthoc, manu Dei positum, usque ad consummationem seculi durare debebit. Fideles semper indigebunt potestate clavium Petro concessa, ergo potestas haec in manibus successorum illius usque ad ultimum mundi diem perseverare debet.

Ad tuendum, quod exposuimus, *catholicum dogma* potens, unanimisque est vox Traditionis. Doctrinam Patrum sufficienter noscitis, Filii Charissimi; ut adeo excerpendis, ex eruditis illorum scriptis, sententiis diutius immorari haud debeamus. Vix

tamen culpa vacaret, silentio premere pulchra S. Irenaei, gloriosi praedecessoris nostri verba, tam sublime encomium Romanae Ecclesiae tribuentia. „Ad hanc Ecclesiam — inquit — propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.“ Animus voluptate perfunditur, legendo ea, quae S. Ioannes Chrysostomus de praerogativis, Petro concessis scripserat: „Petrus — dicebat hic magnus Antistes populo suo — Petrus princeps Apostolorum, primus in Ecclesia, amicus Iesu Christi, idem ipse Petrus, quem dum Petrum dico, petram indestructibilem nomino, immobile repagulum, magnum Apostolum, primum Discipulorum, primum vocatum, et primum obedientem.‘, In sua homilia, *de decem millibus talentorum* eundem *columnam Ecclesiae, fulcrum fidei* appellat. In homilia *de novissimo tempore*, eum *totius mundi Rectorem* salutat. „Alio sermone in haec verba: „pasce oves meas“ sic commentatur: „Si amas me, guberna fratres tuos.“

Adducere porro possemus testimonium S. Cypriani, qui de primatu S. Petri S. Patriacha Constantinopolitano quoque clarius loquitur. Ceterum inviamus Vos ad tractatum illius de *Unitate Ecclesiae,* e quo discetis, S. hunc Patrem prolatis per nos Scripturae Sacrae verbis, in respectu praerogativarum, Petro et successoribus illius concessarum, vim omnino probantem tribuisse. Praeterea alia eaque magis veneranda auctoritas nobis patrocinatur in oecumenico Concilio Lugdunensi II. Patres quippe S. Concilii, auditis tenoribus literarum Imperatoris, summo cum applausu et iubilo exceperunt sequentem fidei professionem, iisdem contentam: „Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum, et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet.“ Denique nemo est, qui ignoret Decretum Eugenii IV ad Concilium Florentinum, quo definitur: „Papam plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam recepisse.“ Post tam manifesta et gravia verba, omnis de primatu Summi Pontificis discussio cessare deberet.

Auctor praeterire videtur momentum eorum S. Scripturae locorum, quibus traditio innititur. Sic monet, ne verbis „Tu es Petrus etc.“ alia, quam simplicis promissionis significatio tribuatur; vereturque, ne quis iisdem *extraordinariam potestatis concessionem expressam esse autumet.* Quantum ad solemne

Iesu Christi effatum „pasce agnos meos,“ auctor omni cum cautela fatetur, *se credere, iisdem concessionem, aut saltem fundamentum potestatis ministerii, quam Concilia et S. Patres Ecclesiae in Petro agnoverunt, exprimi.* Una vero declarat: *his minime sermonem recurrere de resignatione potestatis, in primis autem supremae potestatis, quam Divinus Magister a Patre suo accepit.* Nec alienus est a sententia, haec verba „pasce oves meas“ *non aliud quam nudam et simplicem, ad pascendum gregem provocationem, nequaquam vero collatam potestatem significare:* id, quod inimici S. Sedis saepius iam enunciarunt.

Res prorsus mira! auctor in conspectu totius venerandae traditionis non reformidat similem sensum subtrudere iis textibus sacris, e quibus tota antiquitas extraordinariam potestatem a Iesu Christo Petro, et Successoribus illius collatam intellexit. Expeditne desiderio sustentandae propriae opinionis eousque abripi ut oculi refugiant lumen e scriptis SS. Patrum refulgens, quorum unanimi consensui nemo Catholicorum refragari potest!

Insuper attentum reddimus auctorem, propositionem: *se credere, his verbis* (pasce oves meas) *concessionem, aut saltem fundamentum auctoritatis ministerialis, quam Concilia et Patres Ecclesiae in Petro agnoverunt — exprimi,* uberiore a parte ipsius explicatione egere. Expressio enim *auctoritas ministerialis,* potestati per Dominum nostrum collatae applicita, tam aequivoca est, ut e re D. Prompsault fuisset, hanc ambiguitatem tollere. Petrum *ministeriali auctoritate tantum praeditum fuisse,* potestate iurisdictionis per Christum coetui fidelium collata“: sententia Richeri fuit, iuxta cuius placita Pontifex et Episcopi executores dumtaxat mandati communitatis fidelium erant. Doctrina haec damnata fuit. Porro auctor, agnito licet primatu honoris et iurisdictionis Petro concesso, praemonet: *ne eidem suprema potestas falso tribuatur, quam Christus Collegio apostolorum contulit.* Petrus ergo quodammodo minister aut delegatus Collegii apostolici fuit, qui munus suum a corpore apostolorum independenter exercere non potuit; — atque hinc orta est auctoris opinio, *Petrum* neque post descensum Spiritus S. *unicum Vicarium* Iesu Christi fuisse. Numquid ergo omnes apostoli eodem iure Vicarii Iesu Christi fuerunt? Sed quo tunc devenisset unitas, qua Salvator Ecclesiam suam ad praevertendas dissensiones et

schismata, insignire voluit? Numquid plures lapides fundamentales fuissent? (Non loquendo de Iesu Christo, qui est *lapis angularis.*) An quivis apostolorum petra illa fuit, super quam Divinus Magister Ecclesiam suam aedificare voluit? Atqui Iesus Petro dumtaxat loquebatur, dum eidem promissionem fecisset: „*et ego dico Tibi.*“

Auctoris officium fuisset, omnem operam navare, ne circa sensum sui asserti ullum dubio locum relinquat. Memorem eundem esse oportuisset verborum S. Bernardi, hac in materia prolatorum „Instar Domini gradiens supra mare — dicit hic S. Pater de S. Petro loquendo — unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis praeesse deberet, siquidem aquae multae populi multi etc.“ Concilium Constantiense damnavit hanc Wiclefi propositionem: *Papam non esse proximum et immediatum Christi Vicarium.* Pius VI in brevi, quo Eybel damnatur, declarat: Visibile Caput Ecclesiae unicum Christi Vicarium esse „*Christus unum quoque sui Vicarium supremum in terris visibilem pastorem reliquit.* Salvator in *toto grege* per unicum dumtaxat Vicarium repraesentatur. Dum de veritate quapiam catholica agitur, omnis ambigua expressio procul abesse debet.

Posteaquam auctor dixisset, Pontificem non esse unicum Vicarium Iesu Christi, — ad oppugnandum illius *supremi in Ecclesia Iudicis* munus progreditur.

Ad sustentandam hanc propositionem D. Prompsault allegat responsum, per Iesum Christum matri Ioannis et Iacobi datum, quibus — iuxta illius verba evangelica interpretandi modum — Salvator dicit: *post sui resurrectionem nullum Apostolorum supremum in Ecclesia Iudicem futurum.* Hac vice verba auctoris clara et praecisa sunt, nec ullam obscuritatem praeseferunt.

Auctor indubie admittet, potestatem, Ecclesiam sustentandi et gubernandi S. Petro collatam, — claves regni coelorum eidem traditas, — hunc Apostolum potestate ligandi et solvendi instructum fuisse, eundemque hanc potestatem super universum gregem, sollicitudini eius commissum, seu super omnes Christianos exercere debuisse; — igitur necessarium est: ut Petrus et Successores illius possint suis ovibus portas coeli aperire, vincula, ingressum ad coeleste ovile impedientia solvere, aut constricta relinquere. At, quaeso, qualis erit haec potestas ecclesiam gubernandi et defendendi, portas coeli aperiendi et claudendi,

vincula solvendi aut retinendi, si eidem non sit connexa potestas *supremo iudicio discernendi*: an sufficiens adsit ratio, portas aperiendi, aut claudendi; an item dispositio peccatoris admittat, ut vincula illius solvantur, aut prohibeat, ne is libertati restituatur? Quid sibi vult haec *plena potestas* gubernii et directionis gregis Petro concessa: si Petrus non possit in ultima instantia iudicare eos, qui auctoritati illius subsunt; — si non possit quaestiones fidei suprema auctoritate decidere? Itaque Petrus et Successores illius aut debent esse *supremi in Ecclesia Iudices*, aut potestas illorum tantum illusoria erit.

Veritati, quam defendimus, irrefragabiles patrocinantur auctoritates. Paucas numero adducemus, at tales, quas spernere non possumus, quin catholici esse cessemus. Audite, Filii Charissimi, oecumenicum Concilium Lugdunense II: „Et sicut (Romana Ecclesia) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis, ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri.“

Concilium Tridentinum eandem profitetur veritatem, testimoniumque reddit muneri *supremi Iudicis*, Petro et successoribus illius collato, dum declarat „quod Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerint peculiari iudicio reservare.“ (Sess. XIV. c. 7.) Memoria digna sunt porro Facultatis theologicae Parisiensis verba ad Clementem VII „Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali suprema circa ea, quae sunt fidei iudicialiter definire.“ Nec mirum videri debet, in Sorbonna 12. Decembris 1660 sequentem propositionem propugnatam fuisse: „Romanus Pontifex controversiarum ecclesiasticarum constitutus est Iudex a Christo, qui eius definitionibus indeficientem fidem promisit.“ Item in Brevi: „*Super soliditate*“ Pontifex „*Iudex supremus fidelium*“ compellatur, Ecclesia dispersa contra hoc breve minime reclamante. Allegare potuissemus praeterea Epistolam Cleri Galliae ad Innocentium X; (1651) verum brevitati studendum est.

Auctor demonstrare conatur, Petrum nec post adventum Spiritus S. *Monarcham et supremum legislatorem Ecclesiae fu-*

isse. Idem iis verbis Actuum apostolorum: „Petrus cum Ioanne“ argumentum videt *contra monarchicam potestatem Petri et* hinc concludit: *constitutionem Ecclesiae — quae quidem republicana esse nequit, cum in ea potestas a supra (de coelis) veniat — gubernio per singulare individuum exercendo parum favere.* Iuxta haec postrema verba, videri posset, D. Prompsault in Ecclesia nullum Monarcham, praeter Iesum Christum, — *cum potestas a supra veniat* — agnoscere, nec admittere velle, ut Petrus et Successores illius Monarchae sint Ecclesiae. Itaque monarchicum gubernium Ecclesiae reiicit. Ad haec sufficiat eidem respondere: Facultatem theologicam Parisiensem velut haereticam et schismaticam declarasse Antonii De Dominis propositionem: *In Ecclesia non datur aliud supremum Caput, nec alter Monarcha, nisi Iesus Christus.* Porro Pontifices Paulus V et Gregorius XV ex iisdem motivis damnarunt sententiam Richeri: *Status Ecclesiae distingui debet a gubernio illius; status est monarchicus, gubernium aristocraticum.* Comparentur iam propositiones hae damnatae cum doctrina Auctoris: et iudicet quisquis.

Ad calcem opusculi (pag. 34) auctor loquitur de societate, quam *S. Petrus cum S. Paulo* in exercitio ministerii evangelici, et in fundandis apostolicis Ecclesiis iniverat. Nolumus supponere eundem dicere voluisse, duos hos Apostolos Ecclesias, et in specie romanam Ecclesiam pari potestate iurisdictionis ordinariae fundasse; hic enim error esset ab Innocentio X damnatus, qui haereticam declarat propositionem, quae statuit, *S. Petrum et S. Paulum perfecte sibi aequales fuisse.* Si Auctor hanc aequalitatem duorum Apostolorum Nobiscum reiiciat, sensum suum clarius exprimere, nec ullam hac in parte scripti sui obscuritatem admittere debuisset.

Praeterea, opinione nostra, auctor minori cum certitudine dicere debuisset, *quod Apostoli haud crediderint, Petrum et Ecclesiam idem esse.* De ore S. Ambrosii procedunt haec verba: „Ubi Petrus, ibi Ecclesia.“ Nota est S. Francisci Salesii hanc in sententiam paraphrasis. Nos auctori serio suademus, ut traditionem ex obtutu magis catholico discat, et deposito praeoccupati animi fastu, SS. Patres et in primis S. Ioannem Chrysostomum legat et relegat.

In concludendo opusculo suo auctor eiusmodi expressione utitur, cuius momentum plene vix expendit. Effatum isthoc adeo

insolens est, ut piaculo nobis duceremus idem citra animadversionem praeterire. „*Ego, inquit, gallicanorum parti adstipulor, cum illos disciplinis Apostolicis melius imbutos credam, quam ultramontanos.*“ Si in Concilio Chalcedonensi, aut Lugdunensi cuidam Episcoporum asserere placuisset: Ecclesiam romanam disciplinis apostolicis minus imbutam esse, quam Ecclesiam Constantinopolitanam, tota Synodus prae indignatione consurrexisset, ad simile assertum anathemate feriendum, talisque propositio reprobationem omnium seculorum tulisset! Numquid auctor successorem Petri gallicanis adnumerat? Numquid gallicana vox resonat de hac cathedra, ex hoc *fonte unitatis*? Atqui Pontifex non adhaeret gallicanis; num — quaeso — eapropter apostolicis disciplinis minus imbutus erit? Num quid haec Cathedra, quam tota antiquitas christiana, magnifico dicendi genere: „*coelo splendidiorem* depraedicat, minus de traditionibus apostolicis retinuit, quam aliae sedes universalis Ecclesiae? Ergone apostolica disciplina, sacri canones, traditiones nostrorum in fide Patrum alibi melius cognoscentur, quam in Ecclesia matre et magistra omnium Ecclesiarum, quam in hac Ecclesia *virgine*, *quae haeresim numquam novit?* Cur, tandem, *ad hanc Ecclesiam convenire necesse est omnes Ecclesias*, si non ideo: quia — dicente magno S. nostro Irenaeo — *in hac Ecclesia conservata est ea, quae est ab apostolis traditio?* Numquid venerandae huius traditionis iacturam fecit? Fortassis gallicani Oratores id autumant; — Nos tamen, Catholici omni contentione virium repellimus plus quam temerarium *Auctoris Literarum* sentiendi modum; Nos semper adhaerebimus Ecclesiae, supra indestructibilem petram fundatae: eminentem eius dignitatem in omnibus circumstantiis, contra quoscunque adversarios defendendo, — doctrinam eius — quae est doctrina Iesu Christi, profitendo, — omnemque fidelitatem et amorem eidem, usque ad postremum halitum nostrum, conservando.

Humiliter subiicimus iudicio S. Sedis apostolicae damnationem quam enunciaturi sumus una cum opusculo, quod illius obiectum constituit.

His de causis: posteaquam Ipsimet examinassemus scriptum, cui titulus *de Sede potestatis Ecclesiasticae in Ecclesia Iesu Christi etc. per Presbyterum I. H. R. Prompsault. Par. 1853*, — *Invocato Sancto Nomine Dei*, praecitatum scriptum damna-

vimus et damnamus, velut continens propositiones respective falsas, erroneas, captiosas, periculosas, temerarias, ab haeresi suspectas, S. Sedi apostolicae iniuriosas.

Inhibemus etiam omnes Ecclesiasticos seculares et regulares, cunctosque fideles Dioeceseos Nostrae, ne hunc librum legere, aut retinere praesumant.

Quod praesens mandatum Nostrum ad Curatos, et Superiores domorum Ecclesiasticarum Dioecesis nostrae cum eo dimittetur, ut illud ceteris Ecclesiasticis Parochiae aut Communitatis suae notum faciant. — Datum Lugduni in Palatio Nostro Archi-Episcopali die 11-a Novembris, S. Martino Episcopo Turonensi sacra Anno 1853. L. I. M. Cardinalis de Bonald, Archi-Episcopus Lugdunensis.

Literae Presbyteri Prompsault ad Archiepiscopum Parisiensem, per quas retractat suos errores de Primatu sparsos. Vehementi cum dolore percepi reflexiones et exprobrationes Excellentiae Vestrae super opusculis, per me, absque permissu Ordinariatus nuperrime vulgatis.

Verum quidem est, suppressionem *observationum mearum super encyclicis* mihi per Excellentiam Vestram praevie per expressum iniunctam fuisse, fateorque, me errasse, opusculum isthoc publicando, ceterum ad hunc passum, per mancam eiusdem editionem, a March. de Régnon factam me compulsum sentiebam.

Absente Excellentia Vestra aliud opusculum, sub titulo : *Literae ad D. M. de Régnon, de Sede potestatis ecclesiasticae,* ad Curiam Archi-Episcopalem submisi, respectu cuius Excellentia Vestra mihi significat, Dominos Vicarios Eiusdem periculosas et temerarias in eo tendentias observasse, et Excellentiam quoque Vestram, reducem, re serio examinata, damnandas ibidem quoad primatum Sedis Apostolicae doctrinas reperisse. Qua docilis Ecclesiae filius sincere dispositus sum ea cuncta publice retractare, quaecunque sensum rectae fidei adversum fundere possent.

Si fervore disputationis abrepto, limites transgredi mihi contigisset, festino nunc me ad omnem satisfactionem paratum declarare, quam deposcendi ius Excellentiae Vestrae omnino competit.

In horum itaque nexu enuncio : me revocare omnem ex-

pressionem aut propositionem, hoc opusculo contentam, quae definitioni concilii Florentini de primatu honoris et iurisdictionis Romani Pontificis, — professioni fidei per Pium Papam IV praescriptae, specialiter in his, quae obedientiam Romano Pontifici, et Romanae Ecclesiae, matri et magistrae cunctarum Ecclesiarum debitam concernunt, — sententiae item contra Antonium de Dominis, Edmundum Richerum, Eybelium et Febronium latae — quos ipsemet in opusculis meis oppugnavi — aut demum Bullae „Auctorem fidei" sive directe, sive indirecte opposita foret.

Utinam haec promta explicatio et declaratio mea cor Excellentiae Vestrae consolari et cuncta Eiusdem dubia circa puritatem fidei et intentionum mearum exorta dissipare posset. I. H. R. Prompsault Capellanus imperialis domus *des Quinze-Vingts* dictae. — **L' Ami de la Religion.** Paris. 1853. T. 162. pag. 377. 409. — **Bibliographie Catholique.** Paris. 1853. XIII. 241.

1201.

Allocutio **Pii IX** ad Cardinales de scripto quodam Orientalium schismaticorum contra Unionem, item de erectis in Imperio Austriaco aliquot Eppatibus Graeco-Catholicis, A. 1853.

MON. In *apostolicae Sedis fastigio tamquam in arce et propugnaculo catholicae fidei* constituti praedecessores nostri Romani Pontifices pro tradita sibi divinitus Ecclesiae universae gubernandae potestate, ad *Orientalem* quoque *Ecclesiam* paterna studia converterunt, ac nihil unquam desiderari a se passi sunt, quod ad illam vel tuendam vel iuvandam pertinere posse videretur. Quantum porro industriae ac solertiae, quantum laboris impenderint, ut qui ex Orientalibus populis a Romana Ecclesia funesto schismate dissiderent, ad eam boni volentesque sese adiungerent, et cum supremo in terris Pastore Romano Pontifice tamquam membra cum Capite consociarentur, non est cur fusius explicemus, ven. fratres; explorata namque vobis res est, in-

numerisque testata historiae documentis. Atque illustria haec paternae sollicitudinis exempla nos aemulati *iam inde ab anno Pontificatus nostri secundo ad Orientales omnes apostolicas dedimus literas, quibus studiose illos ac peramanter hortati sumus, ut ad Sanctae huius Sedis communionem reverterentur, eique adhaerere firmiter vellent, eiusque coniunctionis necessitatem multis gravissimisque evicimus argumentis, quae luce veritatis nitent, quidquid proferre contra ausi fuerint scripto quodam suo schismatici plures Eppi*, inveteratum illud contra Apost. Sedem acerbitatis virus effundentes. Quod quidem scriptum ad redarguendos schismaticorum errores ac pertinaciam curabimus refutandum; interea tamen pro illorum omnium salute coelestem Patrem luminum orare atque obsecrare non desistemus, nihil scilicet remittentes de christiana caritate, quae patiens et benigna est, cuius quidem caritatis spiritu perinde ac nos excitati praedecessores nostri sacros ritus, quos Orientalis adhiberet Ecclesia, quosque orthodoxae fidei minime adversari comperissent, non modo non improbandos sed vero etiam observandos ac retinendos censuerunt, utpote ipsa antiquitatis origine commendatos, et a S. Patribus non mediocri ex parte profectos, quinimo Orientales ritus deserere nisi impetrata Summi Pontificis venia providentissimis latis constitutionibus edixerunt fas esse nemini. Noverant siquidem immaculatam Christi Sponsam mira quadam varietate distingvi, quae non officiat unitati, Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam omnes complecti populos, nationes, gentes quae fidei unitate et consensione coalescant, diversae licet moribus, lingvis ac ritibus, quos tamen omnium mater et magistra Romana probavit Ecclesia. Hoc ipsum praeclare noscens gloriosae memoriae Gregorius XVI praedecessor noster ad gentem *Valachorum* graeci ritus catholici, qui in *Transsilvania* consistunt, pastoralem vigilantiam et curas intendens, ut eosdem erigeret ac solaretur, et in catholica fide confirmaret, peculiarem ipsis ecclesiasticam graeci ritus hierarchiam instituere molitus est; verum quod temporum aliisque rerum difficultatibus prohibitus decessor idem noster ad optatum perducere exitum nequivit, id nos, ven. fratres, non sine praecipuo animi solatio magna ex parte perfecimus. Ac primum quidem gratias persolvimus, ut par est, misericordiarum Patri, cuius coelesti auxilio opus exequi datum

est, quod in catholicae religionis incrementum et spiritualem illius gentis utilitatem eamque maximam cessurum speramus. Debitas deinde tribuimus laudes carissimo in Christo filio nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico et Bohemiae etc. Regi illustri, qui nobis non modo suas ad id preces exhibuit, sed vero etiam studium, sollicitudinem, operam, omnia denique contulit, quae a religiosissimo Principe fideique provehendae studiosissimo potuissent expectari. Nec vero praetereundus sine laudis praeconio dil. fil. noster Ioannes Cardinalis Strigoniensis AEppus, qui ad promovendam hanc rem tam salutarem, tamque unitati catholicae retinendae accomodatam pro viribus incubuit. Quamobrem posteaquam sententiam accepimus quorumdam ex ordine vestro ven. fr. nostrorum, quibus tanti momenti negotium accurate examinandum demandavimus, ex eorum consilio duas Eppales Sedes graeci ritus catholici erexi-mus, *Lugosiensem* scilicet in Banatu Temesiensi, et *Armenopolitanam* in Transsilvania, easque suffraganeas esse iussimus *Fogarasiensis* Ecclesiae, quam Eppali Cathedra iampridem auctam, novissime vero *Albae Iuliensis* etiam titulo per nos decoratam ad Metropolitanae Sedis decus et auctoritatem evexímus. Illi insuper praeter duas modo erectas Eppales Sedes Magno-Varadiensem etiam graeci ritus Ecclesiam ab AEppo Strigoniensi subtractam decrevimus suffragari. Iam vero hac nova constituta Fogarasiensi et Alba-Iuliensi ecclesiastica provincia, non dubitamus, ven. fratres, quin Valachorum per Transsilvaniam diffusa natio catholicae fidei addicta novo Apost. Sedis affecta beneficio, arctiori quodam vinculo copulanda cum ipsa sit, nec non pars illa dominici gregis aucto pastorum numero, iisque pro suo munere vigilantibus et vere accedentibus etiam curis nostris, quas illi numquam desistemus impendere, securior longe ac tutior existat a schismaticorum insidiis et fraudibus, qui nullam praeterire occasionem sinunt avellendi fideles a Sanctae huius Sedis communione, eosque in aeternae ruinae barathrum detrudendi. Faxit porro dives in misericordia Deus, ut qui schismaticorum implicantur erroribus, perfusi gratiae coelestis lumine in sinum complexumque Catholicae Ecclesiae sese recipiant, ut occurrant omnes in unitatem fidei, omnesque unum corpus simus in Christo conservantes unitatem in vinculo pacis. Id nos pro ardentissimo quo tenemur desiderio animarum salutis

impense optamus, precamurque Dominum, qui fecit mirabilia solus, ut opus quod inceptum est, sua virtute perficiat. — — *Acta Pii IX.* I. 552.

1202.

Pii IX encyclica ad **Armenos** CPnae provinciae de sopiendis dissidiis, et Primatu Sedis Apostolicae, A. 1854. (Extractive.)

MON. Neminem vestrum latet, ven fr. et dil. filii, quo paterno prorsus affectu Romani Pontifices praedecessores nostri ab antiquis temporibus Armeniam vestram nationem tot sane nominibus illustrem fuerint prosecuti, et quanta cura ac sollicitudine nationem ipsam ad catholicam unitatem revocare studuerint. Neque ignoratis quos fructus divina adspirante gratia iidem decessores nostri ex impensis eorum erga vestram nationem studiis perceperint, et qua laetitia ipsi affecti fuerint, cum obtinere potuerunt, ut multi Armenii ad catholicae unitatis professionem reversi in ea stabiles et immoti persisterent. Ac vobis compertum exploratumque est, qua admirabili virtute et summa eorum nominis gloria Catholici Armenii luctuosissimis temporibus aspera quaeque cum ipsius vitae discrimine strenue sint perpessi in catholica fide et unitate tuenda ac profitenda, cuius amore et studio tantopere flagrabant, et qua assidua contentione haec Apost. Sedes suam omnem adiutricem operam Armeniis ipsis praebere numquam intermiserit, ut spiritualibus praesertim illorum indigentiis iuxta proprium eorum ritum quovis modo occurreret, atque consuleret. Et quoniam eppalis Armeniorum Antistitum Hierarchia iamdiu restituta in illis duntaxat regionibus aliquo modo servari potuit, quae a persecutionis aestu aberant, idcirco Sancta haec Sedes vel maxime anxia atque sollicita de spirituali bono Armeniorum commorantium CPli et in finitimis provinciis, ubi Eppi consistere haud poterant, nullis consiliis sibi parcendum esse duxit, ut eorumdem Armeniorum saluti prospiceret. Quocirca Sancta haec Sedes intentissimo studio curavit et vestrae nationis sacerdotes optime instituere adhibita

quoque huius urbani nostri collegii opera, et illis potissimum Religiosarum Familiarum alumnis animos addere, qui in spirituale vestrae nationis bonum procurandum sedulo incumberent. Atque etiam probe cognoscitis, ab hac Apost. Sede, ubi primum per temporum adiuncta fieri licuit, Armenium Antistitem, eppali dignitate insignitum in ista CPna urbe fuisse constitutum, ac subinde postquam Armenii catholici ob supremi Turcarum Imperatoris clementiam in rebus praesertim sacris libertate donati fuere, qua cum mutua animorum concordia religionis res maiorem in modum vigere ac florescere possent, AEppalem Primatialem Sedem in eadem urbe fuisse erectam pro Armeniis catholicis, eisque proprium AEppum datum, veluti luculenter testantur apost. literae rec. mem. Pii VIII decessoris nostri. (6. Iul. 1830.) Omnes autem norunt indefessas ac singulares curas a fel. rec. Gregorio XVI praedecessore pariter nostro adhibitas ad amplissimae illius dioecesis ordinem rite constituendum, et ad catholicorum Armeniorum utilitatem prosperitatemque magis in dies procurandam et fovendam. Nos vero ubi inscrutabili Dei iudicio in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati fuimus, statim universum qua late patet christianum orbem animo et cogitatione complexi paternae nostrae sollicitudinis curas in potiorem istam Armeniae Catholicae nationis partem studiosissime atque amantissime convertimus. Namque opera utentes ven. fr. Innocentii AEppi Sidensis, quem extraordinarium nostrum legatum ad supremum Turcarum Imperatorem misimus, ut eidem Principi amicabiles animi nostri sensus exponeret, ac simul officia nostra deferret, haud praetermisimus ipsi potenti Ottomanorum Imperatori Armenios, aliasque omnes catholicas orientales nationes in eius ditione degentes etiam atque etiam commendare. Cum autem nobis summopere cordi esset maiorem Armeniae vestrae nationis utilitatem procurare, tum eidem ven. fratri commisimus, ut diligenter investigaret, in quo statu Armenia ipsa versaretur natio, atque omnia ad nos referret, ut rebus maturo examine perpensis nosceremus quae potissimum consilia a nobis essent suscipienda ad spirituale vestrae nationis bonum magis magisque comparandum. Itaque postquam idem ven. frater delato sibi munere perfunctus accuratas rerum notitias nobis praebuit, probavimus varia decreta a ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus nostrae Congr. fidei propagandae edita, atque inter alia

illud etiam, quo improbata fuit ‚Societas Connationalis' appellata, ex qua damna plurima oritura esse merito praevidebantur. Hinc apostolicas nostras dedimus literas, quibus tum ad exitum deduximus quae idem decessor noster Pius VIII sibi perficienda proposuerat, tum alios quinque Armenii ritus Eppos constituimus, inter quos magna veteris et amplissimae CPnae dioecesos pars fuit divisa.

Dum autem ea profecto spe nitebamur fore, ut nova ecclesiastica Armenia provincia hisce paternis nostris curis prospere feliciterque vigere ac florescere posset, non sine maximo animi nostri dolore novimus perniciosas animorum dissensiones in vestram nationem ab inimico homine iamdiu inductas ita magis in dies invalescere, ut minime deessent, qui ad ciusmodi dissensiones fovendas vel ipsa praetexerent consilia, quibus haec Apost. Sedes vestram nationem iuvare vel maxime optabat. Quae numquam satis deploranda animorum discordia graviter exarsit, ubi utraque dissidentium pars scriptis in vulgus editis de religiosis nationis quaestionibus palam publiceque disserere ac disceptare coepit; quae quidem scripta fuere vicissim exarata hostilibus praesertim asperrimisque verbis atque sententiis, quae a christiana caritate omnimo abhorrent, et iis plane adversantur, quae ad mutuam concordiam tuendam requiruntur, atque in lucem prodierunt inscia et invita hac Apost. Sede, quemadmodum per iteratas eiusdem nostrae Congr. literas declarandum esse voluimus. Quisque vestrum noscit quae exinde scandala evenerunt non sine levi vestrae nationis damno, et quo studio nos nulla interposita mora omnem nostram operam impendere properavimus, ut omnes a vobis amoverentur contentiones et dissensiones, earumque germina radicitus exstirparentur. Nec mediocri certe iucunditate affecti fuimus, propterea quod primae nostrae curae optatum habuere exitum. Namque ven. fratres Antonius vester AEppus CPnus, et Iulianus AEppus Petrensis in partibus infidelium ac noster istic Vicarius Apostolicus pro fidelibus latini ritus ad nos venerunt, ac rebus omnibus expositis inter se concordissimis animis plane consensere, ac deinde nobis probantibus in vulgus ediderunt quae vicissim constituerant. Atque utinam, veluti paterno nostro cordi iucundissimum fuisset, omnes isti vestrae nationis ordines pari alacritate iuxta illa, quae nostra Congregatio fidei prop. praeposita monere et insinuare haud

omisit, nostris desideriis obsecuti fuissent, plane fidentes nostris consiliis et ordinationibus, quae ad commune vestrum omnium bonum unice spectabant. Siquidem haud cogeremur tot deflere damna, et mala, quae in vos ex animorum praesertim dissensione cum summo animi nostri moerore redundarunt. Cum igitur hae funestissimae contentiones et dissidia minime cessarent, mandavimus, ut eadem nostra Congregatio fidei prop. praeposita maiori qua fieri posset celeritate accuratam cum veterum tum recentium Armeniae nationis quaestionum cognitionem diligentissime sibi compararet, illasque in variis conventibus ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinales eiusdem Congr. pro singulari eorum prudentia ex more sedulo examinarent, atque perpenderent. Ac de huiusmodi re vehementer solliciti uni ex hisce conventibus nos ipsi praefuimus, et auditis eorumdem Cardinalium sententiis significavimus quae nostra mens esset de potioribus quaestionum articulis, numquam intermittentes assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare, ut omnipotenti divinae suae gratiae auxilio humilem nostram operam ad animarum vestrarum bonum duntaxat intentam iuvare ac fortunare vellet. Cum vero nihil nobis potius, quam vestrae tranquillitati ac prosperitati statim consulere, tum res illas perficiendas curavimus, quae ad hunc tam salutarem finem conducerent. Quapropter noscentes vestrae nationis damna vel maxime aucta fuisse ex commemoratis scriptis in vulgus editis, eadem praecipua scripta peculiari adhibito examine prohibenda ac damnanda mandavimus, veluti etiam vehementer improbamus alia omnia, quae ad hoc idem negotium pertinent, quaeque vel ante vel post damnata illa scripta in lucem prodiere, ac sive armenio sive armenio vulgari, sive italico, sive gallico, sive quovis alio idiomate sint exarata, cum mutuum praesertim odium praeseferant christianae caritati omnino adversum.

— Ad omnem autem controversiam ac suspicionem penitus amovendam *de Monachorum Mechitaristarum Venetiis degentium doctrina*, sciatis velimus, a monachis ipsis luculentam catholicae eorum fidei et doctrinae professionem ac declarationem debitis adhibitis subscriptionibus ad nos missam fuisse, quae summam nobis attulit consolationem, nostrisque desideriis quam cumulatissime satisfecit. Etenim non solum disertissimis verbis alacri libentique animo profitentur, se excipere omnes

ordinationes et decreta a Romanis pontificibus et sacris Congregationibus seu edita seu edenda, ac signanter illa, quae vetant communicationem in divinis cum schismaticis, verum etiam clare aperteque declarant: ‚*partem eorum nationis, cuius bonum et utilitatem praecipue et unice ipsorum spectat institutum, infeliciter reperiri seiunctam a communicatione Catholica Apostolica Romana, ac propterea se amplecti et cognoscere veluti suos fratres illos, quos S. Ecclesia Romana Apostolica recognoscit uti suos filios, et Armeniorum schismaticorum errorem damnantes fatentur, illos esse extra veram Iesu Christi Ecclesiam, et se numquam intermissuros orare, praedicare, ac tum factis tum scriptis tum verbis curare, ut iidem errantes redeant ad solum et unicum Christi Iesu ovile, cuius solus summus Pastor, Caput et centrum est Romanus Pontifex Petri Apost. Principis successor.*‘ —

Quae quidem omnia satis superque ostendunt, quam vehementer de spirituali vestro bono nos solliciti simus, et quo paternae caritatis studio Armeniam vestram nationem in Domino prosequamur. Nunc vero has nostras vobis scribimus literas, quibus vos omnes peramanter alloquimur ac summopere hortamur, monemus et obsecramus, ut induatis vos, sicut electi Dei, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, atque arctissimo inter vos concordiae et caritatis vinculo obstricti deponatis omnes simultates, contentiones, aemulationes, iras, dissensiones, ac sequamini in omnibus pacem et sanctimoniam, etc. — *(Post salutaria monita pro concordia ad Eppos, et Religiosos directa, sic prosequitur:)* — Sed iam os nostrum patet ad vos omnes dilectissimi in Christo filii, Armeniae catholicae nationis in istis CPnae eccles. provinciae regionibus degentes cuiusque ordinis, aetatis, sexus et conditionis. Vos igitur pro summo paterno nostro in vos omnes amore etiam atque etiam in Domino monemus et hortamur, ut omnibus simultatibus, dissensionibus, aemulationibus, dissidiis depositis mutuam inter vos concordiam et pacem habeatis supportantes invicem in caritate. *Vobis* autem *summopere cordi sit* in catholicae religionis professione quotidie magis stabiles persistere, ac *nobis et huic beatissimi Principis Apost. Cathedrae firmiter constanterque ex animo adhaerere.* — Vos modo alloquimur omnes, qui in Armenia ista catholica natione et generis nobilitate et muneris

splendore et auctoritate et opibus ceteris praestatis. — A vobis etiam atque etiam exposcimus, ut religionis amore ac mutuae concordiae studio quotidie magis incensi non solum nihil unquam vel contra Ecclesiam, vel adversus vestros sacrorum Antistites moliri velitis, quemadmodum agere solent qui a catholica unitate sunt sciuncti, verum etiam ut vestra omnia consilia et studia conferatis, quo Catholica Ecclesia maiora isthic incrementa suscipiat, et *omnes debita reverentia, obsequio et obedientia prosequantur tum supremam illam plenamque potestatem, Petro eiusque successoribus Romanis Pontificibus a Christo Domino divinitus collatam, pascendi scilicet, regendi et gubernandi universam qua late patet Ecclesiam, tum sacram ac venerandam auctoritatem, qua erga proprium gregem pollent Eppi, quae nulli prorsus unquam civili auctoritati possunt esse obnoxiae ac subiectae.* —

Antequam vero scribendi finem faciamus, vobis ven. fratres ac dil. filii, nonnulla clare aperteque declaranda esse censemus circa rem, in quam magna sententiarum confusio est inducta, et quae non mediocrem causam dedit dissensionibus inter vos exortis, ut omnes ambiguitates et dubitationes de medio tollamus. Summam certe laudem ii omnes merentur, qui exoptant, ut illa Armeniae vestrae nationis pars, quae adhuc in schismate misere versatur, ad catholicam unitatem redeat. Etenim huiusmodi desiderium plane respondet tum ardentissimis S. Matris Ecclesiae votis, quae Deum orare et obsecrare numquam desinit, ut omnes dissidentes filii ad suum sinum et complexum revertantur, tum indefessis huius S. Sedis curis et studiis, quae ob hanc causam tantopere allaboravit atque allaborare numquam intermittit. Ac nos ipsi, ut probe nostis, vel ab ipso supremi nostri Pontificatus initio memorati nostri ad illustrem Turcarum Imperatorem Legati occasione utentes, ad Orientales nostras dedimus literas, quibus illos amantissime aeque ac studiosissime excitavimus, *ut ad catholicae unitatis professionem reverti properarent, festinarent. Atque utinam universa vestra natio coelesti gratiae respondens eiuratis erroribus in docilitatis et unitatis spiritu ad unicum Christi ovile rediret, a quo plane abest quicunque non consociatur cum hac S. Petri Sede, ex qua in omnes venerandae communionis iura dimanant, ad quam omnis obedientia et honor est deferendus, et ad quam propter potio-*

rem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles. Equidem incredibili nos afficeremur consolatione, et universa Ecclesia ingenti exultaret laetitia, si omnis vestra natio ad catholicam rediret unitatem. Ex quo profecto intelligitis, nos non solum probare haud posse eorum agendi rationem, qui asperis durisque modis cum vestrae nationis schismaticis agere solent, nec debitam eorum rationem habent, verum etiam vehementer et omnino illos improbare, qui non amore et benevolentia, sed asperitate ac severitate eos etiam prosequuntur, qui a funesto schismate ad catholicam unitatem sunt conversi. Verum eodem tempore tolerare non possumus, ut aliqui catholicae unionis promovendae praetextu nullum discrimen habendum esse velint quoad schismaticorum errores, atque abutentes studio, quo haec S. Sedes veteres sanctosque Ecclesiae Orientalis ritus tuendos curavit, existiment in hac re id prorsus omne accuratissime esse exequendum, quod a schismaticis in praesentia agitur, et arbitrentur nonnullos quoque usus esse eliminandos, qui in catholicam vestram nationem rite invecti fuerunt, ut solemniori modo ostenderetur, quam vehementer catholica ipsa vestra natio ab haeresi et schismate abhorreat, et catholicae unitati firmiter adhaerescat. Atque isti homines vellent etiam, ut quaedam opera et eccles. regulae tollerentur, quas experientia veterum canonum disciplinae adiiciendas plane esse demonstravit, dum catholica Ecclesia ab haeresi et schismate, quae mortua sunt, longe et omnino dissimilis, perpetua vigens vita, et coelestium divitiarum ditata thesauris, ac veritatis magistra, et salutis index tot sanctorum operum et pulcherrimarum institutionum est foecunda parens et altrix, quibus religionem, pietatem, humanitatem, omnesque virtutes fovet, et communi omnium bono, ordini, prosperitati et concordiae mire consulere numquam desinit. At minime ignoratis, eundem praedecessorem nostrum Gregorium XVI contra istorum hominum ita sentientium consilia suas apostolicas edidisse literas, quae die 3. Febr. 1832 datae incipiunt ‚Inter gravissimas.' Illud vero singulare et admiratione dignum videtur, quod isti rituum tantopere studiosi non dubitent in aliis articulis ab ipsius Orientalis Ecclesiae canonibus deflectere.

Iam vero, ven. fr. ac dil. filii, post haec omnia, quae pro impensae nostrae erga catholicam vestram Armeniam nationem

caritatis studio nos ipsi hisce nostris literis vobis significanda et declaranda existimavimus ad omnes dubitationes et ambiguitates propulsandas, in eam profecto spem erigimur fore, ut Deo bene iuvante iuxta ardentissima nostra vota concordia et pax, ex quibus vestra eadem natio omnem veram prosperitatem expectare potest, denuo in vestrum omnium animis reviviscant ac dominentur. Ut autem tam salutaris et exoptata tranquillitas a vobis facilius possit obtineri, hisce literis *perpetuum et absolutum silentium imponimus super praeteritis quaestionibus et controversiis, atque omnino vetamus omnem reclamationem et sermonem, qui inter fideles Armenios pacem turbare possit, itemque expresse et severe prohibemus haeretici vel schismatici notam illis inurere, qui cum hac Apost. Sede communionem et gratiam habent.* — Sed iterata et luculenta filialis erga nos et hanc S. Sedem pietatis, amoris et obsequii testimonia, quae ex omnibus Armeniae vestrae catholicae nationis ordinibus excepimus, in maximam porro spem nos adducunt fore, ut ipsa vestra natio multam nobis consolationem, laetitiam, et gaudium sit allatura. — Datum Romae die 2. Febr. 1854. — *Acta Pii IX.* I. 561.

1203.

Synodus Laudensis de Rom. Pontifice, A. 1854.

MON. *Cap. I. De fide catholica.* — §. 3. Quum D. N. I. C. ut suam Ecclesiam *unam* efficeret, atque in unitate perpetuo firmaret, *Primatum* Petro eiusque successoribus tribuerit, eapropter Florentinae Oecum. Synodo obsequentes concordi voce et animo profitemur: S. Ap. Sedem etc. Idcirco Pontifici Summo Pio IX uti Ecclesiae in terris Capiti ac Christi Vicario, eiusque legitimis Successoribus sinceram subiectionem atque obedientiam obtestamur. In Romanis enim Summis Pontificibus idem ordinis et iurisdictionis Primatus continuo viget, quem D. N. I. C. Petro promisit, eum sic allocutus: Tu es Petrus etc. Quibus verbis edocemur, non aliam ut veram Christi Ecclesiam esse agnoscendam, nisi quae super hanc petram adstruitur, et Petri successoribus vinculo communionis iuncta una et indefici-

ens consistit. Et huic erga Summos Pontifices filiali obedientiae et constanti submissioni inhaerentes, sicuti omnes pontificias dogmaticas constitutiones reverenti et fideli affectu ac firma mentis adhaesione veneramur atque complectimur, ita eas praesertim accipimus et colimus, quibus errores postremis hisce temporibus obtinentes profligati sunt: Constitutiones nempe ‚In eminenti' ab Urbano 8, ‚Unigenitus' a Clemente 11, ‚Auctorem fidei' a Pio 6, et ‚Dum acerbissimas' contra errores Hermesianos a Gregorio 16 editas. — *Synodus Laudensis.* Laudi. 1854. p. 2.

1204.

Pius IX novum concedit Iubilaeum, ad errores indifferentismi et incredulitatis per pias ad Deum preces exstirpandos. A. 1854.

MON. Apostolicae Nostrae caritatis sollicitudine et affectu universum catholicum contemplantes orbem verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fratres, quo intimo conficiamur moerore cum christianam et civilem rempublicam luctuosissimis cuiusque generis calamitatibus miserandum in modum undique turbatam, pressam ac divexatam conspicimus. Etenim optime noscitis quomodo christiani populi vel saevissimis bellis, vel intestinis dissidiis, vel pestiferis morbis, vel ingentibus terrae motibus, vel aliis gravissimis malis affligantur et exagitentur. Atque illud vel maxime dolendum, quod inter tot nunquam satis lugenda damna et mala filii tenebrarum, qui sunt prudentiores filiis lucis in generatione sua, magis in dies diabolicis quibusque fraudibus, artibus, ac molitionibus connitantur acerrimum contra catholicam Ecclesiam, eiusque salutarem doctrinam bellum gerere, legitimae cuiusque potestatis auctoritatem convellere et labefactare, omnium animos mentesque depravare, corrumpere, mortiferum *indifferentismi* atque *incredulitatis* virus usquequaque propagare, iura omnia divina et humana permiscere, dissensiones, discordias, atque impiarum rebellionum motus excitare, fovere, prava quaeque flagitia et crudelissima facinora ad-

mittere, nihilque intentatum relinquere, ut, si fieri unquam posset, sanctissima nostra religio de medio tollatur et ipsa humana societas funditus evertatur. In tanto igitur rerum discrimine probe noscentes, Nobis singulari miserantis Dei beneficio in oratione datam esse facultatem et omnia obtinendi bona, quibus indigemus, et avertendi mala, quae reformidamus, haud omisimus levare oculos Nostros in montem excelsum et sanctum, unde omne Nobis auxilium affuturum confidimus. Atque in humilitate cordis Nostri enixis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare non desistimus, ut auferens bella usque ad finem terrae, et omnia amovens dissidia christianis Principibus, eorumque populis pacem, concordiam, ac tranquillitatem tribuat, ut ipsis praesertim Principibus pientissimum concedat studium quotidie magis tuendi et propagandi catholicam fidem et doctrinam, qua populorum felicitas vel maxime continetur, ut eosdem Principes et populos a cunctis, quibus affliguntur, malis eripiat et omni vera prosperitate laetificet, ut coelestis suae gratiae dona errantibus largiatur, quo de perditionis via ad veritatis et iustitiae semitas redeant, ac sincero corde ad ipsum Deum convertantur. Etsi vero in hac alma urbe Nostra preces iam fieri iussimus ad divinam misericordiam implorandam, tamen illustria Decessorum Nostrorum vestigia sectantes ad vestras quoque, ac totius Ecclesiae preces confugere constituimus.

Itaque, Venerabiles Fratres, has Vobis scribimus Literas, quibus ab eximia et perspecta vestra pietate etiam atque etiam exposcimus, ut commemoratis de causis fideles vestrae curae commissos omni cura et studio excitetis, quo per veram poenitentiam peccatorum pondus deponentes, obsecrationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus iram Domini flagitiis hominum provocatam placare contendant. Ac pro egregia vestra religione, et sapientia ipsis fidelibus exponite quam multae misericordiae sit Deus omnibus invocantibus se, et quanta sit precum vis, si inimico nostrae salutis nullo aditu admisso Dominum adeamus. Oratio enim, ut Chrysostomi verbis utamur, „est fons et radix, et mater innumerabilium bonorum; et orationis vis vim ignis extinxit, furorem leonum refrenavit, bella composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, daemones fugavit, coeli portas aperuit, vincula mortis abrupit, morbos eiecit, damna repulit, urbes concussas firmavit, inflictas coelitus

plagas, hominum insidias, omnia denique mala sustulit oratio“ [1]). Vehementer autem optamus, Venerabiles Fratres, ut dum fervidae clementissimo misericordiarum Patri adhibentur preces ob enunciatas causas, haud intermittatis iuxta Encyclicas Nostras Literas die 2 Februarii Anno 1849 ad Vos Caietae datas una cum fidelibus Ipsum ardentiori usque studio suppliciter exorare, ut Sancti Sui Spiritus lumine Nostram mentem propitius collustrare velit, quo de Sanctissimae Dei Genitricis Immaculatae Virginis Mariae Conceptione quamprimum id statuere possimus, quod ad maiorem ipsius Dei gloriam, et eiusdem Virginis omnium nostrum amantissimae Matris laudem possit pertinere.

Iam vero ut fideles Vobis concrediti ferventiori caritate et uberiori fructu orationes peragant, coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, proferre et erogare censuimus. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa ligandi et solvendi facultate, quam Dominus Nobis licet immeritis commisit, per has Literas omnibus et singulis vestrarum Dioecesium utriusque sexus fidelibus, qui intra trium mensium spatium ab unoquoque vestrum praefigendum, atque a die, quem quisque vestrum constituerit, computandum peccata sua humiliter et cum sincera illorum detestatione confessi, et sacramentali absolutione expiati sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, ac devote visitaverint, vel tres Ecclesias a Vobis designandas, vel tribus vicibus illarum unam, ibique aliquo temporis spatio pias ad Deum iuxta Nostram mentem, ac pro Sanctae Matris Ecclesiae, ac Sedis Apostolicae exaltatione et prosperitate, et pro haeresum extirpatione, atque pro pace et concordia christianorum Principum, ac totius populi christiani pace et unitate preces effuderint, et insuper intra idem temporis intervallum semel ieiunaverint, et aliquam in pauperes pro sua pietate eleemosynam erogaverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Iubilaei concedimus et largimur, quae per modum suffragii animabus in purgatorio existentibus applicari etiam poterit. Ut autem hanc Indulgentiam lucrari etiam possint Moniales,

---

[1]) S. Ioan. Chrysost. Homil. 15 de incomprehensibili Dei natura contra Anomaeos.

seu aliae personae in claustris perpetuo degentes, nec non quicunque in carcere existunt, vel corporis infirmitate, aut alio quovis impedimento prohibentur, quominus aliqua ex commemoratis operibus peragere valeant, Confessariis facultatem tribuimus, ut eadem in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem fuerint admissi. Quocirca Vobis potestatem facimus, ut hac occasione, et durante commemorato trium mensium spatio tantum, vestrarum Dioecesium Confessariis auctoritate Nostra Apostolica omnes illas ipsissimas facultates largiri possitis, quae a Nobis tributae fuere in alio Iubilaeo concesso per Nostras Encyclicas Literas die 21 Novembris 1851 Vobis missas, typisque editas, et incipientes „Ex aliis Nostris," iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem Literis a Nobis excepta fuere. Insuper Vobis veniam tribuimus concedendi vestrarum Dioecesium fidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis secularibus et regularibus, et cuiusvis instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem, ut sibi ob hanc causam eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium secularem, seu regularem ex approbatis, ipsamque facultatem tribuendi etiam Monialibus licet ab Ordinarii iurisdictione exemptis, aliisque mulieribus intra claustra commorantibus.

Agite igitur, Venerabiles Fratres, quippe qui et in sollicitudinis Nostrae partem vocati, et custodes super muros Ierusalem constituti estis. Ne cessetis una Nobiscum dies noctesque in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione humiliter enixeque clamare ad Dominum Deum Nostrum, eiusque divinam implorare misericordiam, ut iracundiae suae flagella, quae pro peccatis nostris meremur, propitius avertat, et bonitatis suae divitias super omnes clementer effundat. Plane non dubitamus, quin hisce Nostris desideriis et postulationibus quam cumulatissime satisfacturi sitis, ac pro certo habemus, omnes praesertim Ecclesiasticos, ac Religiosos Viros, Sanctimoniales, aliosque Laicos fideles, qui pie viventes in Christo digne ambulant vocatione, qua vocati sunt, ardentissimo pietatis studio supplices suas preces Deo sine intermissione esse adhibituros. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad preces nostras haud omittamus, Venerabiles Fratres, eorum suffragia petere,

qui iam coronati obtinent palmam, atque in primis et perpetuo, invocemus Deiparam Immaculatam Virginem Mariam, qua nulla apud Deum aptior et potentior deprecatrix, quaeque mater est gratiae et misericordiae, deinde invocemus patrocinium Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum Coelitum, qui cum Christo regnant in coelis. Nihil vero Vobis antiquius, nihil potius sit, quam ingeminatis studiis fideles curae vestrae commissos assidue hortari, monere, et excitare, ut in catholicae religionis professione quotidie magis stabiles et immoti persistant, inimicorum hominum insidias, fallacias et fraudes studiosissime devitent, et alacriori usque pede incedant per semitas mandatorum Dei, et a peccatis diligentissime se abstineant, ex quibus mala omnia in humanum genus redundant. Quapropter ne intermittatis unquam Parochorum praesertim zelum continenter inflammare, ut proprio munere sedulo religioseque fungentes nunquam desinant Christianam plebem sibi commissam sanctissimis divinae nostrae fidei rudimentis, et praeceptionibus accuratissime imbuere et erudire, et sacramentorum administratione diligenter pascere, omnesque exhortari in doctrina sana.

Denique coelestium omnium munerum auspicem, et ardentissimae Nostrae in Vos caritatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter impertimur. — Datum Romae apud S. Petrum die 1 Augusti Anno 1854. Pontificatus Nostri Anno Nono. — *Acta Pii IX.* I. 587.

1205.

Allocutio **Pii IX** ad Praesules orbis Romae occasione pronunciati dogmatis de Immaculata Conceptione B. M. V. A. 1854 habita: in qua plures aevi errores, signanter Rationalismum ac Indifferentismum uberius castigat.

MON. Singulari quadam perfusi laetitia exultamus in Domino, Venerabiles Fratres, cum Vos hodierno die lateri Nostro frequentes adstare videamus, quos Nostrum gaudium et coronam iure possumus nuncupare. Vos enim pars estis eorum, quibuscum communicamus labores et curas in pascendo humilitati Nostrae concredito dominico grege universo, in tutandis iuribus catholicae religionis, eique novis adiungendis sectatoribus, qui iustitiae et veritatis Deum in sinceritate fidei colant et venerentur. Itaque quod olim Christus Dominus dixit Apostolorum Principi „tu aliquando conversus confirma fratres tuos“ id ipsum Nobis, qui in eius locum licet immerentes divina benignitate suffecti sumus, hac oblata opportunitate praestandum videtur, ut Vobis nimirum, Venerabiles Fratres, verba faciamus, non ut Vos aut commoneamus officii, aut languentes excitemus, quos inflammatos studio novimus divini Nominis gloriae propagandae, sed ut tamquam voce ipsi Beatissimi Petri, qui vivit, vivetque in Successoribus suis recreati atque erecti novo veluti robore muniamini ad quaerendam commissarum ovium salutem ad Ecclesiae causam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam.

Neque vero deliberandum fuit, cuius potissimum adhibeamus patrocinium apud coelestem patrem luminum, ut eo adiuvante alloqui Vos fructuose possimus; siquidem cum ea de causa apud Nos conveneritis, ut conspirantibus animis studia curasque conferremus amplificando honori augustae Genitricis Dei Mariae, Sanctissimam ipsam Virginem Sapientiae Sedem ab

Ecclesia nuncupatam iteratis precibus obsecravimus, ut impetrare Nobis radium velit sapientiae coelestis, qua collustrati ea Vobis loquamur, quae et incolumitati et prosperitati Ecclesiae Dei maximopere sint profutura. Iamvero ex hac tamquam arce religionis intuentibus Nobis errorum monstra, quae per catholicum orbem hac difficillima aetate grassantur, nihil opportunius visum est quam illa Vobis indicare, ut ad eadem debellanda vires exeratis vestras, Venerabiles Fratres, qui custodes praepositi estis, et speculatores domui Israel.

Existere etiam nunc dolendum est impium incredulorum genus, qui omnem si fieri posset exterminatum vellent religionis cultum, eisque adnumerandi inprimis sunt clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se foedere coniuncti nullas non adhibent artes, ut quibusque violatis iuribus rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris „vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere". Hos si excipiamus, fatendum est praesentis aetatis homines generatim abhorrere ab incredulorum pravitate, et inclinationem quamdam animorum ostendere erga religionem et fidem. Sive enim facinorum ob atrocitatem, quae superiori praesertim seculo perpetrata incredulis tribuenda sunt, quaeque animus meminisse reformidat, sive ob metum seditionum ac tumultuum, qui miserandum in modum convellunt, afflictant nationes et regna, sive denique divini spiritus opera, qui spirat ubi vult, imminutum esse patet perditorum numerum, qui incredulitate se iactent et glorientur; contra vero commendari audimus interdum vitae ac morum honestatem, excitatumque praeterea novimus in animis hominum admirationis sensum catholicam erga religionem, quae quidem in omnium incurrit oculos tamquam lux solis.

Non exiguum hoc est bonum, Venerabiles Fratres, et quidam quasi ad veritatem progressus, sed tamen multa adhuc sunt, quae a veritate plane assequenda absterrent homines et remorantur.

Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis praepositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanaeque societati quam maxime accommodatam, atque utilem praedicent; nihilominus eius moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum procurationem attingere, uno verbo civilis intra status limites coercere

nituntur Ecclesiam, eique dominari, quae tamen sui iuris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet expediat. Et proh dolor! Dum haec loquimur, Venerabiles Fratres, in Subalpina ditione proposita lex est, qua regularia et ecclesiastica instituta de medio tolluntur, et Ecclesiae iura plane conculcantur, atque, si fieri potest, delentur. Sed tamen de re tam gravi hoc ipso in loco alias agemus. Utinam vero qui libertati obsistunt catholicae religionis agnoscant aliquando quantopere publicae rei bono ipsa conducat, quae sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex coelesti quam accepit doctrina; utinam persuadere sibi tandem velint quod olim Zenoni Imperatori scribebat Sanctus Felix Praecessor Noster „nihil esse utilius Principibus, quam sinere Ecclesiam uti legibus suis, hoc enim illis esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre."

Sunt praeterea, Venerabiles Fratres, viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi religioni acquiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, istae vero humana explicentur atque illustrentur ratione, qua nihil incertius, utpote quae varia est pro ingeniorum varietate, innumerisque fallaciis, et praestigiis obnoxia. Ita quidem reiecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque, reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos hic referre nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum, illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humanae rationis ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimae illi sententiae Doctoris gentium „si quis putet se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit." Demonstrandum illis est quantae sit arrogantiae pervestigare my-

steria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi, complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli eiusdem dicto captivandus est in obsequium fidei.

Atque huiusmodi humanae rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, eiusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quod et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus „sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae.“ Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino iustitiae atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis periculis, atque in tanta virium infirmitate ne labatur, et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae, et gratiae coelestis auxilia? quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit „Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.“ Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus huius seculi, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et praestare negant obsequium fidei: sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt. Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate exponentes nimirum nihil esse praestabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam prorsus esse ad salutem, utpote quod „sine fide impossibile est placere Deo, et qui non crediderit condemnabitur.“

Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors, et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri muneris est, Episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis solertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu miseratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole quae hebetat animam firmissime teneamus ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout charitatis ratio postulat assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Huiusmodi veritates defigendae altissime sunt

fidelium mentibus ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

Praecipuos contra errores hactenus expositos, quibus maxime hoc tempore oppugnatur Ecclesia, vestram opponite, Venerabiles Fratres, et virtutem et constantiam, ad eosque profligandos, planeque delendos habeatis Ecclesiasticos viros necesse est laboris socios et adiutores. Immortaliter quidem gaudemus catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo, ac muneri cumulate satisfaciat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disiunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obivisse quaelibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulcrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adiutandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cuius inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt.

Est hoc Nobis iure laetandum, Venerabiles Fratres, verumtamen illud ad animi Nostri curam grave et acerbum, quibusdam in locis non deesse ex Clero aliquos, qui non semet exhibeant in omnibus ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc deest christiano populo divini verbi pabulum, unde nutriatur ad vitam, hinc infrequens sacramentorum usus, quibus tanta vis inest ad Dei gratiam vel conciliandam vel retinendam. Monendi hi quidem sunt, Venerabiles Fratres, ac vehementius excitandi, ut sacri ministerii partes recte ac fideliter explendas curent; docendi sunt quam gravi se culpa obstringant, qui messis multa cum sit laborare detrectent in agro Domini. Hortandi sunt, ut quanta sit divinae hostiae virtus ad propitiandum Deum, et flagitiorum poenas avertendas frequenter explicent fidelibus, ut iidem salutari Missae sacrificio religiose adesse, uberesque ex illo fru-

ctus percipere studeant. Sane quidem promptiores alicubi fideles essent ad pietatis actus exercendos, si vehementiora haberent a Clero et incitamenta et praesidia. Videtis hinc, Venerabiles Fratres, ad comparandos idoneos ministros Christi quanta sit Seminariorum necessitas et opportunitas; in quibus moderandis non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Collectos ibi iuvenes in spem religionis succrescentes ad pietatem doctrinamque sedulo informetis, ut duplici quasi instructi gladio boni olim milites esse queant ad praelianda praelia Domini. Tum in theologicis, tum vero in philosophicis etiam disciplinis probatae fidei scriptores eisdem proponatis, ne qua imbuantur opinione catholicae doctrinae minus consentanea.

Ita quidem Ecclesiae bono et incremento consultum per Vos erit, Venerabiles Fratres. Quo vero susceptae pro Ecclesia curae secundissimos habeant exitus summa extet concordia opus est consensusque animorum, longeque dissidia quaelibet prohibeantur, quae solvunt charitatis vinculum, quaeque fovere solet vaferrimus nostri generis inimicus utpote sibi ad nocendum opportunissima. Repetendum memoria est veteres illos catholicae fidei propugnatores de pertinacissimis haeresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tanquam cum duce suo coniuncti milites firmo animo erectoque in certamen descendissent.

Haec sunt, quae significanda Vobis duximus, Venerabiles Fratres, in hac cura et sollicitudine satis Apostolico ministerio faciendi, quod divina clementia et bonitate impositum est infirmitati Nostrae. Erigimur primum, ac recreamur spe coelestis auxilii, deinde ab explorato vestro religionis ac pietatis studio non mediocre Nobis pollicemur in tantis rerum difficultatibus adiumentum. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit communibus votis Nostris, aderit praesertim si oratrix pro nobis accedat Virgo Sanctissima Dei parens Maria, cuius immunitatem ab originalis noxae macula Vobis magno cum Nostro gaudio adstantibus et plaudentibns divino adiuvante Spiritu pronunciavimus. Eximium sane privilegium, quod Dei Matrem plane decebat, in communi nostri generis exitio sospitem atque incolumen evasisse. Atque huius privilegii amplitudo plurimum quidem valitura est ad eos refellendos, qui deteriorem factam esse inficiantur ex primaeva culpa hominum naturam, viresque amplificant rationis ad negan-

dum vel minuendum revelatae religionis beneficium. Faxit tandem Virgo Beatissima, quae interemit ac perdidit universas haereses, ut hic etiam evellatur stirpitus, ac deleatur rationalismi error perniciosissimus, qui hac miserrima aetate non civilem modo societatem, sed vero etiam tantopere affligit et vexat Ecclesiam.

Reliquum nunc est, Venerabiles Fratres, ut quanto animi Nostri solatio summa Vos alacritate ex dissitis etiam terris properasse conspeximus ad Apostolicam hanc Sedem propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmamentum, tanto perinde amoris studio antequam sedes repetatis vestras omnia Vobis precemur fausta felicia ac salutaria. Arbiter ille omnium rerum et bonorum auctor Deus det Vobis spiritum sapientiae et intellectus, ut prohibeatis ab ovium pernicie ubique latentes insidias, ac quidquid ad commoditatem vestrarum Ecclesiarum vel suscepistis iam, vel eritis susceputi, id praepotenti numine suo bonus propitiusque confirmet; permissis autem Vestrae curae fidelibus det illam mentem, ut abstrahere se nunquam velint a pastoris latere, sed vocem ipsius audiant, quoque ipse velit, accurrant. Adsit Vobis Virgo Sanctissima ab origine Immaculata; sit ipsa Vobis in dubiis rebus fidele consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium. Ad extremum levantes manus Nostras in coelum Vobis gregique vestro ex intimo cordis affectu benedicimus. Sit porro Apostolicae huius benedictionis munus tamquam pignus certissimum charitatis erga Vos Nostrae, sit exploratissimum tamquam omen beatissimae vitae ac sempiternae, quam Vobis gregique vestro et optamus et poscimus a Supremo animarum pastore Christo Iesu, cui cum Patre et Sancto Spiritu sit et honor et laus et gratiarum actio per omnem aeternitatem. — **Acta Pii IX.** I. 620.

1206.

Conc. Ravennatense, A. 1855. de Rom. Pontifice.

MON. *Part. I. cap. 3.* Unigenitus Dei Filius, cuius benignitas et humanitas in terris apparuit, ut iustificati gratia ipsius

haeredes simus secundum spem vitae aeternae, instituit in hunc finem Ecclesiam suam, et in ea tamquam fundamentum indefectibile posuit Apostolos, quibus munus gignendi in hominibus sanctitatem, eosque docendi regendique commisit, dicens: Sicut misit me Pater etc. Data est mihi omnis potestas etc. Quaecunque alligaveritis etc. Qui vos audit etc. (Ioan. 20, 21. — Matth. 28, 18. ss. — Matth. 18, 18. — Luc. 10, 16.) In coetu autem Apostolorum selegit unum Petrum, super quem tamquam supra petram solidissimam eandem Ecclesiam aedificavit, eique omnimodam in spiritualibus potestatem concessit his verbis: Ego dico tibi, quia tu es Petrus etc. Et: Pasce agnos etc. (Matth. 16, 18. s. — Luc. 22, 32. — Ioan. 21, 15. ss.) His aliisque Scripturarum testimoniis, et ss. Patrum traditioni, Conciliorumque definitionibus innixi Patres Concilii Provincialis, ut pro viribus obstent et ingeniorum huius temporis petulantiae, et tantis impiorum conatibus traducendi Italiae populos ad Protestantismi placita, et tanto ecclesiasticarum institutionum et legum contemtui, haec de Christi Ecclesiae auctoritate, et signanter Summi Pontificis, nec non singulorum Epporum in sua cuiusque dioecesi profitentur se tenere firmissime, praedicant una voce sibi commissis fidelibus, et in memoriam virorum omnium sui Cleri iudicant esse singillatim revocanda. 1. Non ratio individualis, uti nunc dicunt, non spiritus privatus per commentitiam quamdam inspirationem a Spiritu S. unicuique intus communicatam edoctus, non S. Scriptura per se ipsam, non magistratus civilis, vel politica potestas, quaecunque illa sit, sed Ecclesia, id est, Corpus Epporum suo Capiti Romano Pontifici adhaerentium est, idque prorsus de fide, supremus iudex controversiarum fidei et morum, sive spectetur per totum orbem dispersa, sive in concilium congregata; eiusque definitionibus, utpote infallibilibus, omnes fideles tenentur ex animo et in conscientia acquiescere. — 3. Romanus Pontifex uti successor Petri et verus Christi Vicarius et centrum indefectibile unitatis catholicae, obtinet iure divino primatum honoris et iurisdictionis in universa Ecclesia cum plena potestate eam pascendi, regendi, et gubernandi; tantaque et tali pollet auctoritate, ut licet de fidei et morum controversiis supremum omniumque solemnissimum iudicium ferat Ecclesia, tamen et ipse ut omnium Christianorum Doctor, per quem Petrus loquitur, et semper vivens iudicium

exercet, et in propria sede praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem, sententia prorsus irreformabili controversias easdem dirimere possit per se solum, ac ex cathedra definiens reapse dirimat. Eius Constitutionibus independenter a cuiusque potestatis sanctione ea inest vis sua propria et nativum robur, ut sint norma credendorum et agendorum regula, qua omnes nemine excepto non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo vere adstringuntur. — *Acta C. Ravennatensis. 1855.*

1207.

Concilii Prov. Baltimorensis VIII Patres ad Pium IX PP. A. 1855.

MON. Postquam in Concilio hoc provinciali congregati ea omnia, quae ad disciplinam Ecclesiarum nostrarum promovendam fidemque tuendam facere videbantur, collatis in unum consiliis egissemus, non potuimus inde discedere, quin tibi prius debitos illos, quibus te quasi Patrem filii prosequimur, amoris ac venerationis sensus patefaceremus. Postulat enim hoc supremus ille, quem tenes, beati Petri locus, cui a Domino demandatum est, ut fratres in fide confirmaret; postulat summa illa, qua potiris, Ecclesiam totam, gregem scilicet universum, qui tam oves quam agnos complectitur, pascendi regendique auctoritas. Quaecunque igitur sive ad integritatem catholicae fidei vindicandam, sive ad Ecclesiae ritus, mores, iuraque tuenda decrevimus, ea omnia sapientissimo tuo iudicio aut probanda aut emendanda bono libentique animo relinquimus. — Baltimori, die 13. Maii 1855. — *Conc. Baltimorense VIII.* Baltimori. 1857. p. 26.

1208. 1209.

Conc. Remense de Romani Pontificis auctoritate, A. 1857.

1208. MON. *Decretor. cap. 4.* „Super soliditate petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi mu-

nere prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam susciperet, dogma catholicum est: quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit.“ (Bulla Pii VI. ‚Super soliditate.‘ 1786.) Et vero *in tota retro antiquitate christiana B. Petrus ipse vel eius successor Pontifex Romanus appellatur firma et solidissima petra, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit, Christi Vicarius in terra, Apostolorum princeps, Ecclesiae caput, columna, magnum et firmum fundamentum, firmamentum fidei, AEppus totius orbis, Eppus Epporum, Pastor Pastorum, Primas Primatum, Patriarcha Patriarcharum*: unde una voce Sedem Apostolicam seu Ecclesiam Romanam confessi sunt omnium Ecclesiarum matrem et magistram, cuius et in totum orbem terrarum principatum proclamaverunt. Sed nec a Patrum traditione Concilia unquam recessere. In *Lugdunensi II* edita est Graecorum fidei professio, qua se recognoscere testati sunt, ‚Romanam Ecclesiam summum et plenum Primatum et principatum super universam Ecclesiam Cath. obtinere, eumque ab ipso Domino in beato Petro apost. Principe sive vertice, cuius Rom. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, ac eidem Ecclesiae Romanae omnes Ecclesias subiectas esse, ipsarumque Praelatos obedientiam et reverentiam dare; ad hoc autem sic potestatis plenitudinem consistere, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa, tum in gener. conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.‘ Idem dogma de supremo principatu S. Sedis *Florentina* Synodus sancivit, definiendo ‚Sanctam Ap. Sedem‘ etc. (ut in C. Flor.) Cum igitur Pontifex Romanus in beato Petro, cuius apost. sedem occupat, mandatum acceperit a Christo agnos et oves totumve gregem christianum pascendi, nec non claves regni coelorum cum suprema potestate in universo orbe terrarum ligandi ac solvendi, illius utique officium est ac munus, non solum veritatem catholicam defendere, et si quae de fide mo-

rumve regulis subortae fuerint quaestiones, *suo irreformabili* quidem *iudicio definire*, sed etiam et eadem auctoritate quidquid universali Ecclesiae expedire iudicaverit, in iis, quae ad populi christiani disciplinam pertinent, statuere, ita, *ut vera illius decretis et constitutionibus, cuiuscunque sint generis, obedientia praestari debeat ab omnibus fidelibus ac etiam Ecclesiarum Praelatis:* ad quod ii tenentur non solum ratione supremi et divini principatus Sedis Apostolicae, sed etiam vi ipsius iuramenti, quod praestiterunt intra solemnitatem consecrationis suae. Etenim istius iuramenti formula haec habet: Ego N. electus etc. (Pontif. Rom.) Praeterea ob eam coniunctionem divinitus ordinatam, quam ideo membra cum capite habere oportet, *necesse est, ut Eppi S. Sedis praerogativas sedulo defendant et pro viribus promoveant:* suam enim, ut ait Benedictus XIV, causam agunt, cum Supremi Pastoris auctoritatem propugnant et sustinent; (de Syn. Dioec. l. 9. c. 1.) fieri quippe non potest, ut veniat in discrimen auctoritas Summi Pontificis, quin et ipsa periclitetur eppalis auctoritas. Haec optime consideraverunt patres C. Duziacensis in dioec. Remensi sub Hincmaro Metrop. habiti A. 871. cum ad Adrianum II Papam in epist. synodali ad rem apposite ita scripsere: ‚Quia ergo nos, quantum scimus et possumus, privilegium sanctae et primae Sedis Romanae et conservare, et obaudire, et extollere cupimus atque satagimus, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.‘ Anno 876 quadraginta supraque novem Galliarum Eppi, inter quos Hincmarus Metrop., Hildeboldus Svessionensis, Geraldus Ambianensis, Hadebertus Sylvanectensis, Odo Bellovacensis, Willebertus Catalaunensis, Hedenulfus Laudunensis, eiusdem provinciae, nempe Remensis, subscripsere actis C. Pontigonensis in dioecesi Catalaunensi, praesente Carolo Calvo Imperatore celebrati, cuius in capitulis haec leguntur: Ut S. Rom. Ecclesia. etc. *ut in C. Pontig. 876.* — Ex dictis igitur summopere cavendum nobis est, ne in ulla re Sedis Apost. auctoritatem inconsulte praetermittamus, decepti nimirum quorumdam scriptis doctorum, qui Summi Pontificis auctoritatem minuere non verentur. *Leges* enim *ecclesiasticae a Concilio Generali aut Constitutionibus apostolicis latae et more apud Ecclesiam Romanam consveto promulgatae, sive acceptatae fuerint a sub-*

ditis sive non, vim habent ligandi, eosque, ad quos spectant, quantumvis reluctantes constringunt: illarum namque firmitas nec pendet nec ullatenus pendere potest ab inferiorum acceptatione, sed a sola legislatoris voluntate, qui sibi subiectis imperandi ius habet. In vanum utique a Christo Pontifex Romanus plenam potestatem accepisset universum gregem regendi gubernandique, ac proinde leges in toto orbe ferendi, si nobis licitum esset subiectionis iugum excutere, aut constitutiones S. Sedis infirmare, atque etiam irritas prorsus facere, eo praetextu, quod acceptatae non fuerint. Nihilomimus quoniam quandoque contingit, ut Constitutio, qua de disciplina eccles. generaliter statuitur, aliquod decretum contineat, quod licet plerisque provinciis utile sit ac proficuum, alicui tamen provinciae aut dioecesi opportunum non esse quin etiam magis minusve noxium pro temporibus et locis iudicatur ab huius provinciae Praesulibus, tunc hi possunt atque etiam tenentur illius constitutionis quoad peculiare decretum de quo agitur executionem suspendere, dummodo interea suas Pontifici Romano rationes exponant, ut vel recessum a praedicto statuto vel suarum dioecesum a lege onerosa nimis exemtionem dispensationemve generalem obtineant. Illud autem omnino tenendum est, inquit Benedictus XIV, ut et in huiusmodi recursibus debita Ap. Sedi reverentia semper servetur, et cum ipsa omnibus auditis iudicium suum protulerit, illius sententiae obtemperetur, eiusque iussa promte executioni demandentur. Constat enim aliquando procacem agendi modum in culpam adducere eum, qui alioquin bonum ius fovet quoad rei substantiam, aequum autem non esse, apostolica decreta libenter accipi tunc solum, cum propriis intentionibus congruunt, et in sententia obfirmate persistere, cum Summus Pontifex reclamantis rationibus auditis atque libratis easdem tanti esse non reputat, ut mandata sua revocare vel leges generales moderari opportunum censeat. (De Syn. Dioec. l. 9. c. 8.) Sed addit idem Pontifex, decreta, quae circa sacros ritus, sacramenta, ceremonias, clericorum vitam, prodire contingat, inferiorum iudicio et censurae nullo modo subiecta esse debere. Quod ad nos spectat, omnes Constitutiones Apostolicas, etiam eas, quibus de universali disciplina eccles. statutum est, veneranter amplectimur atque in tota provincia Remensi servari volumus, in iis scilicet, quae consentiunt cum Concordatis, quibus Ecclesiae Galliarum reguntur.

Cap. 5. Sacras *Congregationes S. R. E. Cardinalium,* quarum pro diversis temporibus varia fuit ordinatio, ab ipsamet Sede Apost. institutas esse unicuique constat, ad faciliorem promtioremque universae reipublicae christianae negotiorum et causarum expeditionem. De quo referre haud supervacaneum erit quod statuit inter alios Sixtus PP. V. (Const. ‚Immensa.' *ut suo loco exhibetur. 1588.) — Istarum Congregationum decreta, quae Supremus Pastor expresse confirmaverit atque sanxerit, habere vim legis cuique perspectum est;* alia vero, quae absque speciali et expressa legislatoris approbatione proferuntur, habentur tamquam certa moraliter tutaque agendi norma, maioris utique valoris quam privatorum quantumvis edoctorum sententiae. Quare ut una eademque sit apud nos agendi ratio in regendis Ecclesiis sollicitudini nostrae commissis, *suscipimus et Deo iuvante quam diligentissime exequemur S. Congregationum decreta, quae Summi Pontificis approbatione vestiuntur, vel eius iussu aut mandato publicantur.*

Cap. 6. Catholicum dogma est, Eppos multoque magis omnium supremum, Romanum scilicet Pontificem, *ius habere quasdam graviores culpas sibi suoque iudicio relaxandas reservandi,* adeo, ut a reservatis absolvere non valeant inferiores, nisi hanc a superioribus facultatem obtinuerint. — Quoniam autem Eppi munus est, sacris Ecclesiae Romanae ad populi christiani disciplinam spectantibus decretis religiose adhaerere, volumus et statuimus, ut decretales S. et Ap. Sedis constitutiones, quibus reservationes institutae sunt, vim suam habeant in omnibus et singulis Provinciae Remensis Ecclesiis, atque ab unoquoque confessario cuiusvis gradus dignitatisve quam diligentissime iuxta tenorem verborum executioni demandentur. —

1209. *Ex Epistola Concilii ad Papam.* — Cum Concilii cuiusvis acta non possint plenam fidelibus securitatem afferre, nec optandam firmitatem obtinere, nisi confirmata aut approbata fuerint a Sede Apostolica, Sixti Papae V constitutioni ‚Immensa aeterni' obsequentes ea quae statuenda duximus ad Sanctitatem Vestram transmittere properamus. — Quidquid Beatitudo Vestra decreverit de rebus ad Synodum Remensem spectantibus, *iudicium Vestrum nobis erit iudicium Petri per os Vestrum loquentis, quod proinde veluti firmissimam nobis agendorum regulam reverenter accipiemus,* mandata vestra ipsaque etiam monita

et consilia fideliter exequemur, et ab iis, quos sollicitudini nostrae Beatitudo Vestra committere dignata est, diligentissime servari satagemus, in omnibus Sedi Apost. consentientes. — Remis, die 7. Dec. 1857. — *Acta et decr. C. Remensis.* p. 20. 111. ss.

1210.

Pius IX ad AEppum Coloniensem de doctrina **Güntheriana**, A. 1857.

MON. Eximiam tuam nobisque plane cognitam pastoralem in doctrina catholica tuenda curam et sollicitudinem non mediocri certe animi nostri iucunditate undique elucere perspeximus in literis, quas, dil. fili noster, die 16 proximi mensis Aprilis ad nos dedisti super decreto pontificia nostra auctoritate sancito atque a nostra Indicis Congregatione die 8 mensis Ianuarii huius anni edito, quo opera dil. filii presbyteri *Antonii Günther* proscripta fuerunt. Nos quidem pro apostolici nostri ministerii officio nullis unquam parcentes curis nullisque laboribus, ut fidei depositum nobis divinitus concreditum integrum inviolatumque custodiatur, ubi primum a pluribus ven. fratribus spectatissimis Germaniae sacrorum Antistitibus accepimus, non pauca Güntheri libris contineri, quae ipsi in sincerae fidei et catholicae veritatis perniciem cedere arbitrabantur, nulla interposita mora eidem Congregationi commisimus, ut ex more opera eiusdem Güntheri accurate diligenterque excuteret, perpenderet, examinaret, ac deinde omnia ad nos referret. Cum igitur ipsa Congregatio nostris mandatis obsequuta suoque munere functa omnem in hoc gravissimo sane maximique momenti negotio curam et operam scite riteque collocaverit, nullumque praetermiserit studium in Güntheriana doctrina accuratissimo examine noscenda ac ponderanda, animadvertit plura in Güntheri libris reperiri omnino improbanda ac damnanda, utpote, quae Catholicae Ecclesiae maxime adversarentur. Hinc rebus omnibus a nobis etiam perpensis eadem Congregatio decretum illud suprema nostra auctoritate probatum tibique notissimum edidit,

quo Güntheriana opera prohibentur et interdicuntur. Quod quidem decretum nostra auctoritate sancitum nostroque iussu vulgatum sufficere plane debebat, ut quaestio omnis penitus diremta censeretur, et omnes, qui catholico gloriantur nomine, clare aperteque intelligerent, sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam Güntherianis libris contentam, ac nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare, et illos libros sine debita facultate legere ac retinere. A quo quidem obedientiae obsequiique officio nemo immunis propterea videri censerique poterat, quod in eodem decreto vel nullae nominatim propositiones notarentur, vel nulla certa stataque adhiberetur censura. Ipsum enim per se valebat decretum, ne qui sibi integrum putarent, ab iis, quae nos comprobavimus, utcunque discedere. Sed vehementer errant, qui generalis eiusmodi prohibitionis causam inde profectam esse arbitrantur, quod ipsa Congregatio nullas singillatim Güntherianorum operum sententias nullasque praecise opiniones censura dignas deprehenderit. Etenim son sine dolore *apprime noscimus in iisdem operibus erroneum ac perniciosissimum et ab hac Ap. Sede saepe damnatum Rationalismi systema ampliter dominari; itemque noscimus in iisdem libris ea inter alia non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati, deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana; noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. Neque ignoramus ea iisdem libris doceri et statui, quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur. Atque illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum, quod Güntherianis libris humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent, magisterii ius temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur, quae firmissima manere debent tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immu-*

tabilitate; quae una semper atque eadem est, dum philosophia humanaeque disciplinae neque semper sibi constant, neque sunt a multiplici errorum varietate immunes. Accedit, nec ea SS. Patres reverentia haberi, quam Conciliorum canones praescribunt, quamque splendidissima Ecclesiae lumina omnino promerentur; nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quae rec. mem. Pius VI decessor noster solemniter damnavit. Neque silentio praeteribimus, in Güntherianis libris vel maxime violari sanam loquendi formam, ac si liceret verborum Ap. Pauli oblivisci 2 Tim. 13, aut horum quae gravissime monuit Augustinus : nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem. (De Civ. Dei l. 10. c. 23.) Ex quibus omnibus profecto vides, dil. fili noster, qua cura et studio cum tibi tum ven. fratribus Eppis tuis suffraganeis sit invigilandum, ut ab istis dioecesibus Güntheriana opera amoveantur, et qua singulari sollicitudine excubandum, ne doctrina eiusdem operibus contenta et iam proscripta ullo unquam modo sive in philosophicis sive in theologicis disciplinis a quovis in posterum tradatur aut comprobetur. Iam vero dum Güntheri opera damnanda esse censuimus ac censemus, haud possumus quin tibi significemus *ipsum dil. filium presbyterum Antonium Günther non mediocri nos affecisse consolatione : quandoquidem obsequentissimis suis literis die 10 mensis Februarii ad nos scriptis cum summa sui nominis laude amplissimis verbis semel iterumque professus est, nihil sibi potius, quam supremae nostrae et huius Ap. Sedis auctoritati semper obtemperare, et idcirco se humillime subiicere commemorato decreto de suis operibus promulgato.* Hoc autem egregium sane Güntheri exemplum pari animi nostri gaudio imitati sunt plures dil. filii doctores theologiae, philosophiae, historiae ecclesiasticae et canonici iuris in variis Germaniae Lyceis, ac primarii Güntherianae doctrinae asseclae, qui suis ad nos datis literis contestati sunt, se commemorato decreto humillime subiicere, nihilque sibi magis cordi esse, quam pontificiae nostrae et huius S. Sedis auctoritati ex animo obedire. Dum vero hac re summopere laetamur, in eam porro spem erigimur fore, ut alii omnes Güntherianae doctrinae sectatores christianam tum ipsius auctoris tum horum animi docilitatem et obedientiam, debitamque magisterio nostro subiectionem Deo

bene iuvante aemulari velint, atque ita ipsius auctoris coronam augeant, et nostram expleant cumulentque laetitiam. Habes, dil. fili noster, quae tibi de hoc argumento rescribenda esse existimavimus, atque hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum ostendamus et confirmemus praecipuam, qua te in Domino complectimur, benevolentiam. — Datum Bononiae die 15. Iunii 1857. — *Acta Pii IX P. M.* II. 585.

1211.

Pius IX PP. neo-electum AEppum schismaticum **Ultrajectinum** excommunicat, A. 1858.

MON. Dilectis filiis universis Catholicis in Belgio Batavo commorantibus. Probe nostis, dil. filii, Ioannem illum Van Santem ex hac vita migrasse, qui ab Ultrajectinis schismaticis nefario prorsus ausu contra ius et fas AEppus electus et consecratus fuerat, quique propterea cum electoribus et consecratoribus eius a Leone XII fel. rec. praedecessore nostro severissimis fuerat censuris innodatus, atque ab omni pontificalis ministerii functione interdictus. Ipso autem e vivis sublato iidem Ultrajectini nihil de sua pertinacia remittentes nuper subrogarunt *Henricum Loos*, qui suam electionem nobis impudentissime significare non dubitavit per epistolam die 4. huius mensis datam et callido illo fucatoque scribendi modo exaratam, quo consvetas veteratorum sui similium artes imitans aut nos fallere, aut demulcere est adgressus. Suum enim erga Sanctam hanc Sedem obsequium, suamque in nos venerationem officiosis conceptisque verbis profitetur, et apostolicam a nobis benedictionem efflagitat. Inter has autem inanium verborum blanditias Apostolicae Sedis iura factis conculcat, sacrarum legum sanctiones aperte violat, venerandam Ecclesiae disciplinam nefarie contemnit, corrumpit, et irrogatas toties sui similibus ob eandem causam poenas procacissime aspernatur. Itaque apostolico, quo immerentes fungimur, muneris merito deesse videremur, si Henrici scelus, et illorum, qui in eo patrando opem auxiliumque illi

tulerunt, sileremus et inultum abire pateremur; ex hac igitur Apostolicae Sedis specula vocem iuxta illud ‚Clama ne cesses' attollimus, vobisque dil. filii, in quorum conspectu haec tam indigna facta non sine vestra procul dubio execratione contigerunt, universae Ecclesiae auctoritate nobis divinitus demandata *electionem* eiusdem *Henrici Loos in AEppum Ultrajectensem illicitam, irritam ac nullam, consecrationem vero illegitimam ac sacrilegam esse declaramus et decernimus, ipsumque una cum omnibus, qui eius electioni aut consecrationi operam, consilium, consensum quomodolibet praestiterunt, excommunicamus,* et excommunicatos haberi a catholicis universis, praesertim vero a vobis dil. filii districte praecipimus. Sciat insuper Henricus Loos sibi, nisi novis se poenis obligatum velit, ab iis omnibus plane esse abstinendum, quae eppalis iurisdictionis aut ordinis propria sunt. Quamobrem numquam ipsi licebit sacrum chrisma conficere, sacramenta Confirmationis et Ordinis administrare, quemquam animarum curae praeficere, et alia quaecunque agere, quae vel eppalis sunt ordinis, quem nullo modo licite exercere potest, vel ad eppalem pertinent iurisdictionem, qua omnino caret. *Inviolabilis Ecclesiae Catholicae unitas, suprema et indubitata huius Ap. Sedis iurisdictio, sacrarum legum et ecclesiasticae disciplinae a novatorum ausibus vindicandae studium ad hanc in Henricum Loos eiusque socios animadversionem adegerunt.* Quanto libentius eos, si resipiscentes suique facti poenitentes inconsutilem Christi vestem lacerare desinerent, apostolicis cumularemus gratiis! Quanto gaudio exultaremus in Domino, si devias ab ovili oves reducere, et exitiosos, quibus laborant, morbos sanare nobis contingeret! Hoc a clementissimo misericordiarum Patre humiliter, enixe et assidue exposcimus; hoc ipsum, dil. filii, una nobiscum ab Ipso fervidis precibus petere numquam desistite, scilicet ut schismaticorum Ultrajecti mentes coelesti sua gratia illustrare, eorumque obstinatam voluntatem flectere, et induratum cor emollire, illosque ad catholicam veritatem amplectendam inducere velit. Interim vero ut filii lucis ambulate, ac pergite vestrae fidei, pietatis, et erga nos et hanc S. Sedem amoris, observantiae, coniunctionisque studium quotidie magis ostendere, ut hoc modo gravissimas nostras curas et molestias, quas ex refractariorum inobedientia capimus, vestrae religionis obsequii-

que cogitatione egregie solemur. Quod ut alacrius praestetis, ipsa vos apostolica benedictione excitamus quam coelestium omnium munerum auspicem, et eximiae paternae nostrae in vos caritatis pignus vobis dil. filii intimo nostri cordis affectu peramanter impertimur. Datum Romae die 21. Oct. 1858.

1212. 1213.

Conc. Strigoniense. A. 1858. de Rom. Pontifice.

1212. MON. *Tit. II. de Fide.* — 2. *de Ecclesia Christi.* — Neque huius tantum regni limitibus *Ecclesia Christi* continetur, sed in omnem terram exit sonus eius, et populos moribus, lingva, climate et vivendi ratione longe diversissimos, una mentium fide et pietate actionum coniungit. Neque vita eius ad paucos annos vel secula restringitur, sed *supra firmam Petram fundata* perennat, usquedum stellae de coelo cadent et sponsus eius venturus est iudicare vivos et mortuos. — *Praeest huic Ecclesiae regitque eam Romanus Pontifex, Christi Vicarius, successor S. Petri, eique fidei, obedientiae et reverentiae vinculo iuncti Eppi* Apostolorum successores constituunt illum gloriosum principatum, qui non armis sed virtute Dei mirifice sustentatur. — Revera multa sunt, quae nos in Ecclesiae Cath. gremio iustissime teneant: tenet fides populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Eppatum successio sacerdotum. —

Tit. V. de Hierarchia. 1. *de Summo Pontifice.* Quamvis Dei Filius Apostolis omnibus parem potestatem tribuerit dicens: ‚Sicut misit me Pater, et ego mitto vos‘: tamen *pascendos agnos et oves Petro commisit.* Ipsum Ecclesiae Petram constituit. Ipsum iussit suos fratres confirmare, et hac ratione unitate constituta, eiusdem unitatis originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. De toto mundo igitur unus electus est, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praesit: ut quamvis in populo Dei multi essent sa-

cerdotes, multique Pastores, omnes tamen proprie regeret Petrus, quos principaliter regit et Christus. Primas Ecclesiae curas mox a Christi ascensu in coelum Petrum obtinuisse quoque evidens est. Ipse enim de sufficiendo in locum proditoris Apostoli propositionem fecit, ac unum ex iis, qui cum Christo et Apostolis conversati sunt, eligendum declaravit. Ipse prior fidem Christi Iudaeis annunciavit, atque gentibus etiam Evangelii ostium aperuit. Ipse universos coetus in Iudaea, Galilaea, et Samaria pertransiit, tamquam imperator, ut Chrysostomus exprimit, suas copias recensens; ipse denique in Conc. Ierosolymitano in dirimenda de legalibus quaestione primas partes tenuit. Christus Dominus Ecclesiam suo sangvine acquisitam usque ad consummationem seculorum perdurare, simulque unitatem fidei in eadem perseverare voluit: necesse igitur fuit, ut primatus honoris et iurisdictionis cum persona Petri non exspiraret, sed ad successores illius transiret. Et *provida sane Dei dispositione factum est, ut summum Ecclesiae imperium Antistites urbis Romae tenerent;* cum enim haec multa regna sub suo uniret imperio, cito pervia fiebat populis praedicatio coelestis religionis; sed et virtus divina mire resplenduit, quum ubi Caput dominabatur superstitionum, ibi Cathedra Petri esset magistra veritatis et sanctitatis; et ubi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiae etiam Principes residerent. Quamvis autem *successores S. Petri* trium fere seculorum decursu praeter divinae gratiae virtutem nonnisi proprio cruore, quem in testimonium fidei profuderunt, resplenderent; quamvis item decreta sua potissimum e catacumbis in orbem mitterent: *promtissimum* tamen *apud omnes fideles pietatis et reverentiae invenerunt obsequium.* Si itaque de rebus fidei et morum aut disciplina ecclesiastica *controversia* excitata fuit: haec *Roma loquente finita extitit.* Si *dubia* oborta: *Romani Pontificis sententia sublata sunt.* Si communi malo communis medela adhibenda fuerat: *vocanti ad Concilium Papae Eppi sine mora obediverunt.* Si vero Pontifice non interveniente Concilia celebrata fuerunt: *eorum sancita obligandi vim non habuerunt, nisi confirmantis Papae suffragio et auctoritate munita.* Si Ecclesiae particulares ceu membra unius corporis, cuius Pontifex visibile caput est, paterentur, et adhucdum patiantur: *ipse omnium Pater et Pastor attollit vocem,* et qui christiano nomine censentur, assiduis atque unitis precibus a

Patre misericordiarum efflagitant, ut auxilium opportuno tempore consequantur. *Petrus princeps apostolorum, caput et columna fidei ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Romanis Pontificibus vivit, iudicium dicit, ac pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam sibi a D. N. I. C. traditam plenam potestatem exercet; Romana Ecclesia, quae semper immaculata mansit, et Domino providente et beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit sine ulla haereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet; Ecclesia Romana est omnium ecclesiarum mater et magistra, catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua est integra et vera christianae Religionis soliditas, et ex qua traducem fidei omnes reliquae Ecclesiae mutuentur, oportet. Unde Petro in rebus fidei et morum per os Pontificis loquenti omnes per orbem fideles et Pastores citra omne dubium assensum semper praebuerunt.* Hanc erga Cathedram Petri obedientiam, reverentiam, et inconcussam adhaesionem sicut fideles ita et Pastores Ecclesiae et Provinciae huius eo libentius profitemur, et inviolabiliter nos servaturos spondemus, quo magis beatae memoriae praedecessorum nostrorum exemplo ad id provocamur. *Grata est memoria Georgii Szelepcsényi Strigon. AEppi, qui quatuor propositiones Cleri Gallicani a. 1682 editas* una cum ceteris Ungariae Praesulibus eodem adhuc anno *ceu auribus christianis absurdas, et plane detestabiles proscripsit,* ac universis istius regni Christifidelibus interdixit, ne eas legere vel tenere multo minus docere auderent. Pariter omnem exeruerunt zelum, ut nullus schismati occidentali in Hungaria adhaereret, utve schisma orientale per commendatam et acceptatam S. Unionem multum minueretur. In hac erga successores S. Petri fide et pietate eo amplius firmamur, solidamurque, quo certius est, Summos Pontifices praeter sollicitudinem pastoralem erga omnes fideles communem, specialem etiam protectionem et benignitatem genti nostrae exhibuisse. Quantam auri argentique vim saepius profuderint, ut afflicto huic Regno cum agmine Turcarum dimicanti opem ferrent, ad contestandum grati animi affectum memoramus duntaxat, pro merito vero enarrandum annalibus patriis relinquimus. Ideo *Eppos hortamur, ut per subditum sibi clerum hanc erga Cathedram Petri pietatem et subiectionem in fidelibus populis omni opportuna occasione excitare et inflammare non intermittant. Et*

primo quidem ipsi Eppi ad exemplum praedecessorum suorum pro ratione adiunctorum *limina Apostolorum adire*, aut saltem per nuncios vel literas de statu Ecclesiarum suarum referre *non negligant.* Secundo: *omnium constitutionum et decretorum vel per SS. Dom. nostrum, vel a S. Congregationibus edendorum notitiam sibi comparare studeant,* ut illa etiam in Ecclesiis provinciae huius executioni mandari queant. Tertio: cum pietatis ratio postulet, ut pro Summo Pontifice qua Vicario Christi et omnium Christianorum Patre et Doctore ab universo Clero per Missae celebrationem et cum populo instituendas precationes Pater coelestis exoretur, *omnis Sacerdos eo die, quo Summus Pontifex electus est, Collectam* ‚Deus omnium fidelium' *pro eo sumat. Quapropter electio Summi Pontificis tum in Calendario anniversario suo die notetur, tum etiam populo fideli ex ambone sacro annuncietur, isque ad preces pro Capite Ecclesiae fundendas excitetur.*

1213. *Epistola Epporum Provinciae ad Summum Pontificem de actis Concilii.* Sollicitudinis nostrae pastoralis pignus, fructum synodalium consultationum, quas diebus istis Strigonii cum Dei auxilio et Sanctitatis Vestrae benedictione inchoavimus, in unitate spiritus continuavimus, summa cum exultantis animi laetitia terminavimus, acta quippe et decreta Concilii nostri provincialis cum profundissima veneratione ad beatos Sanctitatis Vestrae pedes deponere sustinemus, demisse orantes, ut eadem examini subiicere, defectum supplere, ac quae oraculo Sanctitatis Vestrae probata fuerint, apostolica sua auctoritate communire benigne dignetur. *Libenter suspicimus ac ime veneramur in Sanctitate Vestra Vicarium Iesu Christi, cui olim in persona S. Petri sublimis collata fuit provincia, ut confirmet fratres suos;* iucundissimum nobis erit audire vocem Petri, eidemque tenera pietate obsequi. Utinam liceret beatos Sanctitatis Vestrae pedes osculo coram venerari, exuberantemque pietatis nostrae sensum pro tantilla Eiusdem consolatione vivae vocis oraculo explicare. Nunc autem non aliud possumus, quam apost. benedictionem pro nobis creditoque curae nostrae clero et populo impensissime efflagitare, et in devoto beatorum pedum osculo ima cum subiectione emori. Strigonii festo S. Francisci Seraphici C. 1858. — *Acta et decreta C. prov. Strigoniensis.* p. 20. 111.

1214. 1215.

Conc. Viennense, A. 1858. de Rom. Pontifice.

1214. MON. *Tit. II. c. 1.* Quum prout unus est Christus, una est Ecclesia sponsa ipsius, Dominus noster unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Igitur omnibus quidem Apostolis dixit: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: *unum* autem *Petrum petram constituit, super quam aedificavit Ecclesiam suam*, ne portae inferi praevalerent adversus eam; *pro uno Petro rogavit, ne deficeret fides eius; unum Petrum fratres suos confirmare iussit, uni Petro agnos et oves pascendos tradidit. Petrus Apost. Princeps et Caput semper in successoribus suis vivit, et per Pontificem Romanum loquitur.* Quapropter Dominicis obedientes verbis cum S. Ignatio martyre, qui secundus post Petrum Antiochenorum Ecclesiam rexit, Ecclesiam Romanam caritatis coetui praesidentem salutamus, et cum S. Irenaeo discipulo S. Polycarpi, qui S. Ioannem Apostolum docentem audierat, profitemur, cum hac Ecclesia propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt undique, fideles. Cum omnibus autem, qui in orbe terrarum sunt, Catholicis tenemus et annunciamus, quae *C. Florentini* Patres, Occidente et Oriente in unum conspirantibus, decreverunt: Definimus R. Pontificem etc. *ut in C. Flor.* Conciliorum Oecumenicorum auctoritati Pontifices Romani nihil detraxerunt, sed eam potius commendaverunt unius moris cum S. Gregorio M. asseverante: ‚Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor.‘ Cum autem corpus sine capite mutilum sit, *Concilium Ecclesiam universalem repraesentans sine successore S. Petri, qui Ecclesiae Caput est, nequaquam haberi potest.* Quamvis Pontifex Romanus universae, quae sub coelo est, Christi Ecclesiae moderator et pastor existat, Occidentis tamen Ecclesiis peculiari simul titulo praeest. Quarto iam post Virginis partum seculo provinciae omnes, quae tunc Italiae, Galliarum, et Illyrici praefecturis continebantur, patriarchali eius iuri suberant: unde cum maior et melior Illyrici pars imperio orientali adiiceretur,

Eppus Thessalonicensis delegationem accepit iura patriarchalia his in provinciis S. Sedis nomine exercendi; neque refragabantur Graeci, donec pace ecclesiastica Iconoclastarum haeresi perturbata Illyricum Orientale Patriarchatui CPno usurpatione iniqua transscriberetur. Patriarchatui Romano accessit Germania laboribus apostolicis virorum, qui patriarchali Summi Pontificis potestati suberant, ad Christum et vitam perducta; S. Bonifacius, qui in re christiana per Germaniam propaganda et confirmanda omnibus abundantius laboravit, legatione apostolica fungebatur. Cum itaque Sedi Apostolicae multiplici titulo devincti simus, *sanctum nobis est, honorem matri, obsequium magistrae omnium Ecclesiarum debitum coram coelo et terra profiteri, et Petro in Pio IX. propensissima voluntate persolvere.*

Cap. 2. In Ecclesia gubernanda et pascenda perinde ut Apostolorum principi Pontifex Romanus, Apostolis *Episcopi* successerunt. — *A Spiritu S. positi sunt, ut praesidente per Summum Pontificem Petro regerent Ecclesiam Dei.* — Iesus Christus omnem tenens in coelo et in terra potestatem, mitisque idem et humilis corde, Apostolis et in eorum locum successuris legem statuit, ut qui maior esset, sicut minor, et qui praecessor, sicut ministrator fieret: unde *Iesu Christi in terris Vicarius* ‚Servi Servorum Dei' *appellatione gloriatur.*

1215. *Epistola Card. AEppi Vienn. ad Summum Pontificem de actis Concilii Prov.* Anno Domini 1573. Ioannes Iacobus AEppus Salisburgensis provinciae suae antistites congregavit, ut C. Salisburgensis a. 1559. celebrati decreta, postquam apost. auctoritate confirmata fuerant, solemniter promulgaret, ac fidelem eorum executionem urgeret. Ex illo tempore sanctum et salutare Synodorum provincialium institutum multis quae impedimenta ponebant concurrentibus per Germaniam superiorem frequentari desiit. Omnium regnator Deus Sanctitate Tua Ecclesiam gubernante potentiam et misericordiam suam multifariam glorificavit. Per latepatens Austriae Imperium saluberrimo Concordiae actu nova Ecclesiae dies illuxit; eduxit eam Dominus protector eius in latitudinem ad omne opus bonum operandum. Propterea obtemperans legi tot Conciliorum Oecum. decretis sancitae et a Patribus Tridentinis renovatae, ac monita secutus, quae Beatitudo Tua a. 1856. ad Imperii Austriaci Antistites Viennae congregatos direxit, provinciae meae Synodum con-

vocavi, quae cum die S. Lucae sacro iuxta canonum praescriptiones aperta esset, luminum et misericordiarum Patre incrementa dante in festo dedicationis Basilicae Salvatoris ad felicem exitum perducta est. *Decreta* autem, quae implorato Spiritus S. auxilio condita sunt, *Beatitudinis Tuae iudicio humillime submittimus*, non tantum ut Constitutio Sixti PP. V adimpleatur, sed etiam *ut satisfiat desiderio, quo provinciae Viennensis Antistites desiderant, Sedi Apostolicae obsequium, matri et magistrae omnium ecclesiarum debitum exhibere, atque Cathedrae S. Petri, a qua unitas sacerdotalis exorta est, in omnibus et singulis iunctos esse.* — Viennae die 30 Nov. 1858. *Acta et decreta C. Viennensis.* p. 60. 192.

1216. 1217.

Patres **Concilii prov. Baltimorensis IX** ad Pium IX PP. de suprema Rom. Pontificis auctoritate. A. 1858.

1216. MON. Officii nostri plane immemores essemus, si ex hoc Concilio provinciali Baltimorensi IX discessuri sensa animi nostri erga Beatitudinem tuam, sanctissimamque Petri, quam tenes, Sedem profiteri negligeremus. Quum enim hisce diebus in ferendis legibus occupati simus, quae rem catholicam, sacram disciplinam, moresque honestos apud nos tuerentur, quid opportunius erat, quam ut simul palam testaremur, quanto amore ac veneratione Sedem illam, cui tota docentis aut praecipientis Ecclesiae innititur auctoritas, prosequamur. Praeterea quae de beati Petri Cathedra, unde ipsa unitas sacerdotalis teste D. Cypriano duxit exordium, nostrum quisque per se sentit, ea maiorem vim habere videbuntur, ac forte tibi, B. P., accepta magis erunt, si omnium quasi una voce proferantur. Mirum, Pater Sanctissime, nullo modo videri debet, si nos sacrosanctae tuae Sedis praedicandae atque honorificentissimis verbis commendandae omnem quae offeratur occasionem libenter arripiamus. Profecto nullus est in orbe universo locus, ubi melius quam in hac regione ea omnia bona atque emolumenta aestima-

re liceat, quae Christus Ecclesiae suae in Romana Sede, catholicae ut aptissime dicitur unitatis centro largiri dignatus est. *Omnes* certe, *quotquot ubique sunt, vere Christifideles Sedem illam ob potentiorem, quam divinitus accepit, principalitatem summopere reverentur, ac beatum Petrum in loci et auctoritatis haerede viventem adhuc et loquentem audiunt, agnoscunt, atque venerantur.* Sed ii, qui in plenissima catholicae veritatis luce nati et alti sunt, quorumque vita inter populos huic Sedi obsequentissimos tota decurrit, minus fortasse cogitant de malis illis gravissimis, quae per beati Petri eiusque successorum Primatum Deus totius miserationis ab Ecclesia sua perpetuo arcere ac prohibere voluit. In domo Patris nati, ibique vitam feliciter degentes, bonis omnibus assueti, quemadmodum primogenitus ille in Evangelio memoratus fere nesciunt quid sit indigere. Nos vero in longinqua regione positi, quibus colenda non lacte fluens ac melle, sed deserta, et invia, et inaquosa terra sorte obtigit, quotidiano rerum usu et dura experientia edocti sumus, quam benigno et sapienti consilio hic Primatus fuerit a Deo in Ecclesia constitutus. Mala enim et incommoda, acerba sane et luctuosa, quibus secus christianus fuisset obruendus, passim in hac regione non solum audire et videre, sed et ipsis fere manibus contrectare licet. Maximum enim est ubique apud nos novarum rerum studium, maximus novatorum eorumque asseclarum numerus. Sectae, quibus nomen dederunt cives nostri, qui falsas religiones sequuntur, prope innumerae sunt, novae quotidie exoriuntur, quotidie intereunt. Quumque inter eos de Deo O. M. de Christo Servatore, de futura post hanc vitam corporum animarumque conditione, deque aliis ss. religionis nostrae mysteriis cuique quod lubet sentire liceat, tot profecto sententiae, quot docentium ac discentium capita numerantur. Nihil est tam sanctum ac venerabile, tam diuturnitate temporis maiorumque auctoritate firmatum ac stabilitum, quod non temere in dubium revocent, aut perfricta fronte omnino negent. Praeterea novi in dies exurgunt magistri, qui inauditas hactenus sive domi inventas sive ab exteris regionibus mutuo acceptas doctrinas, quae moribus, ut iactant, rite instituendis, aut humanae societatis cum civilis tum domesticae iuribus tuendis inserviant, omni conatu per indoctum vulgus spargere student. Neque desunt plurimi, de quibus meliora coniicere licuisset, qui praeiudicata

opinione abrepti tantum abest ut haec monstra et commenta eo quo par est studio reiiciant ac detestentur, ut ea quasi certissima longe melioris aevi mox adventuri pignora salutent, ac laetissime excipiant. Haec sunt, si eos loquentes audiamus, indicia manifestissima, quae luce clarius significant aetatem nostram omnes, quae praecesserunt, longe superare, atque in melius progredi semper et progressuram. Hoc scilicet verborum ambitu seculi huius in peius ruentis praecipitem lapsum vanissimi isti homines velare, ac quodam modo cohonestare audent. Quid mirum igitur, B. P., si nos omni studio et commendamus ipsi, atque aliis commendanda praecipimus iura, privilegia et dignitatem Sedis huius, quam Deus in terris reliquit, ut per eam doctrinae unitati et veritati consuleretur. Quid mirum, si miseris hominibus sine duce temere huc illuc errantibus, qui teste Apostolo semper discunt, numquam tamen ad scientiam veritatis perveniunt, saepe tradimus, et vehementer etiam atque etiam inculcamus, *esse aliquam in terris Cathedram, quae veritatem ab omni erroris labe immunem mortales homines doceat; esse unam inter omnes Ecclesiam, ad quam necesse est ut omnis quae sub coelo est ecclesia, id est, omnes qui sunt undique vel esse volunt Christifideles, venerabundi conveniant, utpote in qua b. Petrus a Deo edoctus vivit adhuc et praesidet, et unus abunde praestat quaerentibus fidei veritatem.* Tuum erit, B. P., de iis, quae in Synodo egimus, iudicare: ea enim omnia sincero animi obsequio corrigenda aut probanda sapientiae tuae relinquimus. — Baltimori, die 9 Maii 1858.

1217. *Responsum Pii IX PP.* Summae quidem voluptati ac laetitiae nobis fuerunt obsequentissimae vestrae literae die 9 proximi mensis Maii datae, quibus, ven. fratres, ex more maiorum supremo nostro et huius Apost. Sedis iudicio subiecistis acta noni Baltimorensis provincialis Concilii, quod concelebrastis, ut in Domino congregati ea statueretis, quae pro pastorali vestra sollicitudine ad rem catholicam, sacramque disciplinam, et morum honestatem istic magis magisque tuendam ac fovendam conducere existimastis. Siquidem in eisdem literis cum maximo animi nostri gaudio undique elucere perspeximus egregiam vestram religionem, pietatem, eximiamque erga nos et hanc Petri Cathedram fidem, observantiam, amorem et venerationem. Nihil autem nobis gratius contingere poterat, quam ex iisdem

literis agnoscere singulare studium Catholicis Antistitibus plane dignum, quo, ven. fratres, fidelibus populis curae vestrae commissis etiam atque etiam inculcare non desistitis, *ut nobis et eidem Petri Cathedrae firmissime adhaereant, ac sedulo obediant, quae est nuntia veritatis, lux vitae, salutis index, et catholicae unitatis centrum ac metropolis pietatis, quaeque disponente Domino per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, et omnium Ecclesiarum non modo caput, sed mater est atque magistra; in qua est integra ac perfecta christianae religionis soliditas, et in qua Petrus semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet ac praestat quaerentibus fidei veritatem.* Equidem maximam nobis attulit consolationem hoc eppale vestrum studium in inculcanda erga nos, et hanc S. Sedem reverentia, observantia, ac veneratione. — Datum Romae die 10 Iunii 1858. — *Conc. Baltimorense Prov. IX. Baltimori.* p. 24.

1218—1219.

Conc. Prov. Venetum A. 1859. de Romano Pontifice.

1218. MON. *P. I. De fide cap. 1.* — Sacra haec Synodus in Domino rite congregata inprimis aperte profitetur, se ea omnia credere, quae a S. Ecclesia Catholica Apostolica Romana, et praecipue in SS. Oec. Tridentina Synodo declarata et definita sunt: parique obsequio suscipit et veneratur omnes Bullas dogmaticas, quas Summi Romani Pontifices post Tridentinam Synodum promulgarunt: quas inter peculiariter commemorat Bullas ‚Unigenitus, Auctorem fidei,' eamque nuperrimam ‚Ineffabilis Deus,' qua omnibus plaudentibus Christifidelibus dogma de Immaculata B. M. V. Conceptione solemniter sancitum fuit.

P. II. De Personis. cap. 9. Quae de Ecclesiae auctoritate generatim dicta sunt, eadem specialiter de Romano Pontifice dici debent, in quem potissimum impiorum tela convertuntur. Nec enim Eppi quidquam iurisdictionis obtinent, nisi huic Petrae inhaereant, supra quam aedificata est Ecclesia. Solus enim Petrus inter Apostolos meruit audire: Et ego dico tibi, quia tu es Pe-

trus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. (Matth. 16, 18.) Dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum: illi agnos simul et oves suas Christus concredidit (Ioan. 21, 16. 17.) pro eo oravit, ne eius fides deficeret, eidem munus committens confirmandi fratres suos (Luc. 22, 32). ac proinde Romano Pontifici, Beati Petri successori, plena et ordinaria potestas pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Christo Domino collata fuit. (C. Flor.) Enixe igitur curent Eppi, ut fideles sibi commissi Romanum Pontificem tamquam communem omnium Christianorum Patrem et Pastorem suspiciant et venerentur. —

1219. *Eppi acta Synodi Summo Pontifici substernunt.* Beatissime Pater! Quod tibi obsequenter datis quarto idus Octobris proxime elapsi cum gaudio nunciabamus, inceptum primum huius Venetae ditionis provinciale Concilium, illud maxima cum iucunditate annunciamus hodie Deo favente absolutum. Adstitit certe nobis, servorum suorum prout assolet, imbecillitatem commiserata piissima Virgo Maria, cuius Immaculatae Conceptioni Synodum ipsam communi omnium voto dicavimus. —— Utrum autem feliciter nec ne res nobis cesserit, infirmitatis nostrae haud ignari *supremae auctoritati Tuae Sanctissime Pater, qui non ovium modo sed et Pastorum Pastor existis, diiudicandum relinquimus. Nobis enim necesse est, ipsomet Apostolo Paulo ad exemplum quodammodo nobis praeeunte, ascendere Hierosolymam, ut videamus Petrum, et conferamus cum illo seorsum Evangelium quod praedicamus, ne forte in vacuum currere aut laborare nobis contingat.* Nostrum igitur opus, quantulumcunque illud est, ante conspectum Beatitudinis tuae humillime deponentes, te enixe rogamus, ut si quae in eo vel addenda vel demenda, vel immutanda offenderis, pro animi tui sententia addas, demas, immutes; si quae vero apta et utilia forte repereris, apostolico suffragio communire digneris, quo sanctiora nobis ceterisque evadant, eoque facilius in praxim deducantur. — Venetiis die 4 Nov. 1859. *(Subscripti 11 Fraesules.)* — *Acta et decreta C. prov. Veneti.*

1220.

Pius IX PP. ad Eppum Vratislaviensem de **Güntherismo**, A. 1860.

MON. Dolore haud mediocri e literis, quas nuper ad nos dedisti, percepimus, dissidia catholicorum per *Antonii Güntheri* philosophiam enata, posteaquam Sedes Apostolica de huius scriptoris operibus et doctrina iudicasset, nondum esse penitus extincta, propterea, quod cum alibi tum in ista Vratislaviensi Academia etiam inter sacrae doctrinae magistros reperiantur, qui nonnulla saltem Güntheri dogmata retinere atque defendere multis videantur. Quorum unus, dil. filius *Ioannes Bapt. Baltzer* Vratislaviensis Ecclesiae Canonicus, cum libellum, in quo de hominis natura disseritur, tibi, ven. frater, tradidisset, precibus eius obsecundans libellum eundem ad nos transmisisti, rogans ut nostro iudicio, quid de doctrina in eo contenta sentiendum sit, definiretur. Ac nos quidem tuum, ven. frater, studium catholicae doctrinae tuendae magnopere laudantes, atque pro muneris nostri officio nihil magis curae habentes, quam fidei depositum ubique terrarum intactum custodire, interque Christifideles servare unitatem spiritus in vinculo pacis, Baltzeri scriptum nonnullis huius almae Urbis theologis discutiendum tradidimus. Quorum fida relatione compertum nobis est, in eo doctrinam eandem, quae in Güntheri libris traditur, et ante horum proscriptionem a Baltzero quoque propugnabatur, retineri nihilque aliud agi, nisi ut haec doctrina demonstretur et verbo Dei scripto et tradito conformis, nec ulla ratione contraria esse iis, quae SS. Concilia, nominatim Conc. 8. Oecum. et Viennense sub Clemente V statuerunt, aut ipsi nos literis ad dil. fil. nostrum Card. Presb. de Geissel AEppum Coloniensem die 15 Iun. 1857. datis iudicavimus, dicentes hominem corpore et anima ita absolvi, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. At vero nos non modo his verbis catholicam de homine doctrinam declaravimus, sed etiam hanc ipsam doctrinam doctrina Güntheri laedi pronunciavimus. Ad quod si Baltzer

animum advertisset, intellexisset sane, doctrinam de homine, quam in suo scripto profitetur tamquam ecclesiasticis dogmatibus consentaneam defendere idem esse atque nosmet incusare, quod in Güntheriana doctrina iudicanda erraverimus. Notatum praeterea est, Baltzerum in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocasset, sitne corpori vitae principium proprium ab anima rationali reipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam appellaret et haereticam, et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes, hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari. Quae cum tibi, ven. frater, ex certa scientia et motu proprio rescribimus, ardenter cupimus, imo fidenter speramus fore, ut dil. filius I. B. Baltzer et alii, qui huic aliisve Güntheri opinionibus a nobis reprobatis quocunque modo adhaeserint, iam se erga hanc Ecclesiam, quam Christus Dominus reliquarum omnium matrem et magistram esse voluit, dociles et morigeros exhibeant, quemadmodum et Baltzer ipse et alii dudum laudabiliter sunt polliciti. Te vero, ven. frater, hortamur, ut Apostoli exemplo in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi, hanc plenam submissionem ab iis praesertim, qui alios docent, auctoritate tua postules, licentiam autem eorum, qui forte audire detrectant, potestate, quam dedit tibi Deus, coerceas. Superest, ut tibi, ven. frater, ac gregi universo tuis curis commisso apost. benedictionem toto cordis affectu impertiamur. Datum Romae die 30 Apr. 1860. — **Acta Pii IX,** *ex quibus excerptus est Syllabus.* Romae. 1865. p. 178.

1221—1226.

Lovaniensis Catholicae Universitatis Magistri in negotio controversiarum de **Traditionalismo** iudicium S. Sedis Apost. expetunt, A. 1860—1864.

1221. MON. *Epistola dictorum Magistrorum ad S. Congr. Indicis. 1860.* Quum viris catholicis nihil antiquius esse debeat, quam ut ad mentem Sedis Apostolicae sententias suas exigant, *nos infrascripti in Univ. Cath. Lovaniensi Professores controversiam, quae de rationis humanae vi nativa non sine aliquo animorum aestu in Belgio nostro nunc agitatur, ad arbitrium Sacrae Indicis Congregationis conferendam duximus;* et foret nobis hoc sane quam gratissimum, si S. Congregatio respondere dignaretur ad nonnullas, quae ad praesentem controversiam pertinent, quaestiones. Quas antequam proponamus, pauca praefari nobis liceat. *Rationalistae* — ut divinam revelationem radicitus evellant, magno conatu studioque id agunt, ut veritatum omnium praesertim earum, ex quibus constat religio naturalis, notitiam manare ostendant veluti e suo fonte ex absoluta et omnino independenti mentis humanae vi, et, ut aiunt, spontaneitate. Itaque fingunt primaevos homines principio quidem instar muti pecoris silvestrem egisse vitam, at sensim sensimque ope solius rationis sua sponte sese evolventis et sermonem invenisse, et civilem societatem condidisse, denique et cultum quemdam religiosum excogitasse atque instituisse. Hanc porro primam religionem utpote plane rudem atque imperfectam non aliud quidem fuisse docent nisi crassam quandam, ut aiunt, Fetichismi formam, quam deinceps tamen homines sicut literas, artes, scientias aut quodvis aliud humanum inventum cogitando et ratiocinando perfecerint. Hinc comminiscuntur apud Indos, Aegyptios, Graecos ceterosque populos antiquos varias apparuisse Polytheismi formas, quae progressu temporis perpetuo perfectiores evaserint, ac totidem veluti gradus extiterint, per quos homo altiorem illam religionis formam, quae christiana vo-

catur, tandem fuerit assecutus. Atque ita sacratissimam nostram religionem pro nobiliore quodam humani ingenii foetu habent, ideoque et humanae rationis iudicio atque dominio eam subiiciunt, eandemque huius unius rationis ope continuo quodam ac necessario progressu in dies ulterius perficiendam esse declarant. Atque haec est theoria illa, quae sub specioso nomine ‚progressus continui' in variis incredulorum scholis hodiedum docetur, atque inde haec doctrina tamquam teterrima quaedam pestis longe lateque serpit atque grassatur. In impia autem illa et exitiosa doctrina refellenda plerique ex recentioribus inter Catholicos apologetis iam statim illud negant, scilicet rationem humanam pollere absoluta illa ac penitus independenti vi sive spontaneitate, cui Rationalistae religionis originem acceptam referunt; at docent e contra variisque argumentis ab experientia ductis probant, hominem ut nunc nascitur praeter internam illam suae rationis vim nativam indigere externo aliquo intellectuali auxilio, ut obtineat eum rationis usum, qui illi sufficiat, ut ad distinctam Dei notitiam et veritatum moralium cognitionem ope unius suae rationis pervenire possit. Hanc vero de indigentia externi alicuius intellectualis auxilii sententiam, cui quamplurimi e praestantissimis apologetis catholicis hodiedum subscribunt, ad pravum sensum detorserunt nonnulli Galliae scriptores, quos *Traditionalistas* appellant. Docent scilicet Traditionalistae illi, nullam veritatum metaphysicarum et moralium ideam menti humanae a Deo inditam esse, ac mentem humanam habere videntur pro animi vi sive virtute mere passiva, docentes primam illarum veritatum ideam et cognitionem ex sola institutione externa veluti ex unico fonte in mentem influere, hominemque illarum veritatum notitiam eo fere modo acquirere, quo factum aliquod historicum ex aliorum testimonio discere solemus. Ex horum igitur sententia testimonium Dei revelantis, quod ope continuae traditionis servatum et in omnes populos propagatum sit, pro unico fonte et principio cognitionis veritatum religionis naturalis sit habendum. Et fuere quoque nonnulli, qui asserere non dubitarunt, fieri non posse, ut homo illis ordinis naturalis veritatibus, quales sunt existentia Dei et animae humanae immortalitas, cum certitudine assensum praebeat, nisi prius divinae revelationi fidem adhibuerit, et sententiam sententiae suae oppositam erroris insimularunt Rationalistarum et

Semipelagianorum. Hanc vero Traditionalistarum doctrinam Professores Lovanienses tum in suis praelectionibus, tum etiam in variis suis scriptis tamquam falsam perpetuo improbarunt, et ad eam refellendam inter alia haec monere solent: 1. videri, secundum illam Traditionalistarum doctrinam omnem veritatum ordinis naturalis cognitionem revocari ad actum fidei, atque ita tolli essentialem illam, quae extat inter fidem et rationem, differentiam. Atqui rationis usus, uti monuit sacra Indicis Congregatio, praecedit fidem, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit; 2. videri, consequi ex eadem illa doctrina humanae menti abnegandam esse vim naturalis luminis, quod ei sufficiat ut ad cognitionem veritatum moralium pervenire possit; ideoque et videri, doctrinam hanc propius accedere ad errores Baii, Calvini etc. qui in statu naturae lapsae vires rationis quod ad veritates morales attinet penitus extinctas esse docuerunt; atqui ex S. Scriptura et communi SS. Patrum et Theologorum consensu apertissime constare, hominem rationis usu fruentem naturali suae rationis lumine absque ullo revelationis supernaturalis et gratiae auxilio posse cognoscere atque etiam demonstrare plures veritates metaphysicas et morales, inter quas existentia Dei et immortalitas animae sint recensendae. Sedulo quoque monent hic Professores Lovanienses, omnino tenendum esse, ut ne ipsa fides concutiatur, extare quaedam fidei praeambula, eaque naturaliter cognosci, atque ibi recitant S. Congr. Indicis illam declarationem, qua dicitur: ‚ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem, cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animae spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit;‘ 3. videri, porro consequi ex eadem illa doctrina, dicendum esse, ad cognitionem veritatum ordinis naturalis absolute necessariam fuisse revelationem supernaturalem; atqui hoc adversari communi Theologorum sententiae, qui ibi non agnoscunt nisi moralem istiusmodi revelationis necessitatem. Haec igitur inter alia contra eam Traditionalistarum doctrinam ore et scripto monemus, atque inde a primo eius ortu monuimus. Quodsi ab una parte humanae rationis vires tuemur, ab altera tamen parte profitemur, sicut iam supra innuimus, nos in ea esse opinione, ut pu-

temus non esse humanae menti tribuendam omnimodam illam spontaneitatem sive absolutam independentiam, quam Rationalistae eidem tribuunt: sed de mente humana sic sentimus: mens humana vi pollet interna sibique propria, per se et continuo actuosa est; attamen ut homo hac mente praeditus perveniat ad expeditum usum rationis, opus habet externo aliquo intellectuali auxilio. Itaque opinamur, principia veritatum rationalium, metaphysicarum ac moralium a Deo conditore humanae menti indita esse; at simul arbitramur, hanc esse mentis nostrae legem naturalem sive psychologicam, ut homo indigeat institutione aliqua intellectuali ad obtinendum eum rationis usum, qui illi sufficiat, ut distinctam Dei et veritatum moralium cognitionem sibi comparare possit. Non negamus, humanae menti absque illa institutione inesse confusum quemdam harum veritatum sensum et vagam quamdam apprehensionem, sed loquimur hic de vera cognitione, hoc est, de clara et certa illarum veritatum notitia acquirenda. Institutionem autem intelligimus externum quodvis intellectuale auxilium sive de industria sive non data opera praestitum, idque sive voce sive scripto sive gestu sive alio quovis modo, quem sociale commercium suppeditat, etc. — Ceterum nostram hac de re sententiam adnumerandam esse arbitramur inter eas quaestiones, quae a philosophis catholicis libere disputantur. Verumtamen R. D. *Lupus* Canonicus Leodiensis in opere quod inscribitur: ‚Le Traditionalisme et le Rationalisme examines au point de vue de la philosophie et de la doctrine catholique,' nostram sententiam sive doctrinam erroris theologici insimulare non dubitat et asseverare, eam nexu indivulso cohaerere cum perversis doctrinis Baii et Calvini, atque aperte repugnare doctrinae catholicae, S. Scripturae, et communi Patrum et Theologorum sententiae. Quas criminationes in quadam epistola nuper in Belgio longe lateque propagata sua auctoritate approbare et firmare visus est R. P. Perrone. Norunt tamen illi scriptores sententiam, quae ab ipsis tam iniuriose notatur, a multis auctoribus vere catholicis et doctis non tantum in Belgio sed etiam in Gallia, in Germania, in Italia propugnari; sciunt eam ut veram haberi ab Eppis non paucis et a pluribus theologis et philosophis Sedi Apostolicae ac sanis doctrinis addictissimis. Et notum pariter est, eandem sententiam in multis seminariis aliisque scholis catholicis

cum assensu Epporum tradi atque doceri. Sed iam post expositam nostram in controversa hac re sententiam humiliter petimus, ut nobis liceat sequentes propositiones S. Indicis Congr. subiicere iudicio: 1. An licet auctoribus catholicis in disquisitione mere philosophica de vi nativa rationis humanae docere: Deum si voluisset potuisse quidem ita condere hominem, ut is ipsa sola suae rationis vi et ope veritatum ordinis naturalis menti eius inscriptarum nullo praeterea indigens externo intellectuali auxilio pervenisset ad expeditum usum rationis? — 2. An liceat auctoribus privatis privata sua auctoritate eam sententiam censura notare asserendo, illam cum perversis Baii et Calvini doctrinis cohaerere etc.? 3. Num Calviniana habenda est interpretatio eorum, qui docent, verba Apostoli Rom. 1, 19. s. accipienda esse de hominibus in vitae societatem inter se coniunctis plenoque rationis usu fruentibus, ut ex tota contexta oratione confici videtur? 4. An licet reprehendere ac iniuriose notare auctores catholicos, qui asserunt simili sensu, hoc est, de hominibus pleno rationis usu fruentibus intelligendam esse S. Congr. Indicis propositionem hanc: Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest? — Lovanii Cal. Febr. 1860.

1222. *Responsum S. Congr. Indicis.* Acceptis literis vestris, quas ad me dedistis Calendis Februarii huius anni, commisi doctis et eruditis quibusdam theologis Sacrae huius Congregationis Consultoribus, ut philisophicam de vi nativa rationis humanae doctrinam, quam iisdem literis dilucide exponitis, atque in benemerita Universitate Lovaniensi tradi a Professoribus testamini, diligenter considerarent et expenderent. Qui quidem theologi una cum R. P. a Secretis re sedulo antea accurateque perpensa, in consultationem acciti concordi nobiscum sententia censuerunt: 1. memoratam doctrinam nullatenus adversari quatuor illis propositionibus, quae ab hac S. Congregatione circa nativam rationis humanae vim non ita pridem prodierunt; 2. recte adnumerandam esse inter eas quaestiones, quae a philosophis catholicis libere in utramque partem disputari possunt; adeoque 3. ad eandem doctrinam quod attinet, standum esse Constitutioni Benedicti XIV P. M. quae incipit ‚Sollicita et provida' §. 23. Hanc sententiam vobis, Egregii Professores, libenter communico, atque vobis ex animo gratulor de sincerissimo vestro erga Apost.

Sedem, columnam videlicet et firmamentum veritatis, obsequio. Romae postridie Cal. Mart. 1860. Hieronymus Card. de Andrea, S. C. I. Praef.

1223. *Breve Pii IX PP. ad Eppos Belgii.* Ad plurimas gravissimasque amaritudines, quibus vel ab ipso supremi nostri Pontificatus initio et hisce asperrimis praesertim temporibus affligimur, accessit etiam dolor excitatus ex molestis quaestionibus isthic exortis ob discrepantes opiniones de quibusdam principiis adhibitis in tradenda philisophica ac theologica scientia in Catholica Lovaniensi Universitate. Non levi autem consolatione affecti fuimus noscentes, quomodo vos, dil. fili noster ac ven. fratres, inhaerentes consiliis nostri et huius Ap. Sedis Nuntii Mechliniae proximo mense Iulio in unum congregati ad alia eiusdem Universitatis tractanda negotia vestras quoque impendistis curas in aliquo suscipiendo consilio, quo huiusmodi controversiae plane amoverentur et extingverentur. Quae nostra consolatio summopere crevit, ubi intelleximus, has vestras curas locum habuisse in epistola, quam die 31 eiusdem mensis Iulii communi consensu ad Magnificum eiusdem Universitatis Rectorem dedistis. Namque in eadem epistola elucet ac dominatur illud concordiae prudentiaeque studium tantopere necessarium ad pacem tuendam, atque ad removendum quidquid christianae paci et publicae fidelium aedificationi obesse possit. Atque maiore etiam laetitia perfusi fuimus, vixdum cognovimus, ipsius Lovaniensis Universitatis Professores obsequenter excipientes consilia et regulas a vobis per eandem epistolam expressas declarasse unanimiter, se eisdem consiliis et regulis plene adhaerescere sine ulla exceptione. Verum dum vehementer laetabamur hoc modo controversiam finem habuisse, summo certe animi nostri moerore novimus, per articulos publicis ephemeridibus insertos aliaque scripta recens vulgata operam datam esse, ut controversia ipsa revivisceret, et in hunc finem invocatas fuisse decisiones a nostris Congregationibus editas, et a nobis probatas, quae minime existunt. Atque id evenit propterea, quod nonnulli cuidam documento illud pondus attribuere voluerunt, quo documentum idem plane caret, cum illius contextus et verba omnem de Congregationis decisione ideam evidentur excludant, nec ullum indicium praebeant, Pontificiam nostram interpositam fuisse auctoritatem, quae reapse interposita non fuit. Itaque

optime prae oculis habentes innumeras maximasque utilitates, quae ex mutua animorum concordia derivant, sine qua religio et scientia prosperos exitus consequi numquam possunt, nobis summopere cordi est omnem occasionem omnino de medio tolli et eliminari, quae concordiam ipsam quovis modo vel leviter turbet et imminuat. Quocirca nullam prorsus proferentes sententiam de doctrinarum merito, quae praesentem excitarunt controversiam, et quarum definitionum examen et iudicium ad hanc Ap. Sedem unice pertinet, volumus atque mandamus, ut earumdem doctrinarum tum fautores tum oppugnatores, donec definitivum de ipsis doctrinis iudicium haec S. Sedes proferre existimaverit, se omnino abstineant sive docendo sive cuiusque generis scriptis vel in lucem typis edendis vel alia quavis ratione vulgandis, distribuendis, tam cum auctoris nomine quam sine nomine auctoris, ac sive factis sive consiliis aliquam ex praedictis philosophicis ac theologicis doctrinam exhibere ac tueri veluti unicam, veram, et solam admittendam, ac veluti Catholicae Universitati propriam. Insuper praecipimus, ut sub quovis praetextu se abstineant novas hac de re iterum excitare quaestiones, quae christianae caritati et animarum saluti vel maxime adversantur. Vestrum autem erit, dil. fili noster ac ven. fratres, istis fidelibus curae vestrae commissis hanc nostram pontificiam ordinationem voluntatemque significare, quae, uti confidimus, ad exoptatam animorum tranquillitatem et concordiam servandam ac fovendam Deo bene iuvante maxime conducet. Certi vero sumus, vos pro eximia vestra pastorali sollicitudine omnes curas cogitationesque ad eundem assequendum finem esse collaturos, ac summa vigilantia ubi opus fuerit opportuna consilia communi vestrum omnium consensu provide sapienterque esse suscepturos quoad docendi rationem in Lovaniensi Universitate, et unumquemque vestrum idem omni studio in propria dioecesi esse curaturum. In eam profecto spem erigimur fore, ut Belgii Clerus ob egregiam illam, qua semper eminuit, erga nos et hanc S. Sedem observantiam et venerationem, omni docilitate et obsequio hanc nostram ordinationem sit excepturus, quam propter gravissimas causas, et peculiaria rerum ac temporum adiuncta dandam esse censuimus ad maiorem sanctissimae nostrae religionis utilitatem in isto regno procurandam. Denique hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus prae-

cipuam nostram erga vos benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apost. benedictionem, quam ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam vobis ipsis, dil. fili noster ac ven. fratres, cunctisque clericis et laicis fidelibus, cuiusque vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimur. Datum Romae die 19. Dec. 1861.

1224. *Epistola Card. AEppi Mechliniensis ad Summum Pontificem pro Universitate Cath. Lovaniensi.* In relatione status dioecesis meae nuper Sanctitati Vestrae exhibita incidenter tantum mentionem feci catholicae Universitatis Lovaniensis; quia licet approbante praedecessore vestro Gregorio XVI in dioecesi mea erecta fuerit, ac mirum in modum ad eiusdem splendorem et utilitatem conferat, directioni tamen coetus Epporum Belgii subiacet, adeoque provincialis potius quam dioecesanae institutionis speciem habet. Liceat tamen, Beatissime Pater, brevi hac epistola egregiae istius Academiae progressus maximaque bona, quae ex ea in dioecesanos meos promanant, summatim exponere. Rector Magnificus ill. D. *de Ram* sacerdos dioecesis meae virtutibus et scientia valde conspicuus, cui vi statutorum tota Universitatis directio commissa est, ipsaque professorum electio et praesentatio competit, viginti octo iam annis gravi isto officio optime defunctus est, ita quidem, ut eo etiam titulo a Sanctitate Vestra ad dignitatem Praelati Protonotarii Apostolici promotus fuerit; siquidem professores elegit et Epporum coetui proposuit viros scientia et virtutibus christianis ita praecellentes, ut in docendis et ad vitam christianam efformandis discipulis aptiores et diligentiores socios invenire non potuisset. Regulas deinde sapientia plenas composuit tum pro totius Universitatis regimine, tum pro Facultatum directione, tum pro collatione graduum aliisque ad Academiam bene ordinatam pertinentibus, quae in annuis Calendariis Universitatis describuntur. Inde factum est, ut Academia Lovaniensis non solum doctrinarum praestantia et professorum capacitate emineat, sed plurimos etiam alumnos computet ad vere christianas imo et nobiliores Belgii familias pertinentes, ac morum integritate conspicuos. Omnes, quotquot sunt in dioecesi mea sacerdotes seu seculares seu regulares, Universitati Catholicae valde addicti sunt eiusque prosperitati mecum cordate cooperantur; laici quoque fideles lubenter et generose annua subsidia conferunt

ac filios eius curae committunt; ex quo fit, ut maximus sit alumnorum ad dioecesim meam spectantium numerus. Tanta, Beat. Pater, ex ista Universitate in dioecesim meam derivant bona, ut ipsam meritissimo iure almam foecundissimamque scientiarum ac virtutum matrem et altricem appellem et debitis pro tanto beneficio gratiis Deo referendis imparem me profitear. Quare etiam viginti octo, quibus Universitas existit, annis continuo adlaboravi, ut magis magisque cresceret et floresceret. Singulis praecipue annis in domum meam Eppos Suffraganeos convocavi, ut relationem a Rectore nobis iuxta statuta exhibendam audiremus, computos inspiceremus, de subsidiis cleri et fidelium diligenter colligendis ac selectis ex omnibus Belgii seminariis alumnis maiori quo fieri potest numero ad Facultatem Theologicam mittendis sollicite deliberaremus, ceteraque ordinaremus quae necessaria fuerint. Antequam vero, Beat. Pater, humillimae huic de Lovaniensis Universitatis statu relationi finem faciam, *non possum quin omnium professorum nomine eorumdem pietatis, obsequii et obedientiae testimonia ad pedes Sanctitatis Vestrae deponam, occasione praesertim recentioris controversiae, quae super quibusdam doctrinae principiis in Universitate traditis fuit excitata.* Omnia enim, quae in epistola mense Septembri elapsi anni ad Belgici regni Eppos missa professores annunciarunt, denuo etiam confirmant, ac *mandatis Beatitudinis tuae per encyclicas literas die 19 Dec. sapientissime datis sese omni tempore obtemperaturos hac quoque occasione declarant ac spondent.* Quapropter Academiam tot tantisque titulis praestantem paternae tutelae Sanctitatis Vestrae enixe commendo, atque Sanctitas Vestra eam magis magisque fovere ac tueri dignetur, humillime et instantissime deprecor. — Romae, 12 Iunii 1862. Engelbertus, Card. AEp. Mechlin.

1225. *Responsum Pii IX ad praeviam epistolam.* Libentissimo certe animo tuas accepimus literas, dil. fili noster, quas die 12. huius mensis ad nos dedisti, ut certiores nos faceres de Catholicae Lovaniensis Universitatis statu. Atque etiam libenter novimus quae significasti tum de studio, quo eiusdem Universitatis Rector et Professores animati sunt ad proprium fungendum munus, tum de studiosae iuventutis frequentia, ac de utilitatibus, quae ex ipsa Universitate in Catholicam Ecclesiam et civilem societatem redundant. Te minime latet, dilecte fili noster,

quae fuerint semper nostrae de eadem Universitate curae, ac pergratum nobis est, nunc denuo tibi testari, praecipuam esse nostram erga tam utile institutum benevolentiam. Namque ea profecto fiducia nitimur fore, ut institutum ipsum Deo bene iuvante numquam declinet a salutari fine, ob quem a fel. rec. Gregorio XVI decessore nostro fuit erectum et approbatum. Ut autem huiusmodi finis quotidie magis possit obtineri, oportet omnino, ut cuncti ven. fratres Belgii Eppi, tui collegae, a quibus Universitas ipsa pendet, suas omnes curas cogitationesque in id assidue ac sedulo conferant. Quocirca maxime interest, ut iidem Eppi, ubi opus fuerit, una tecum inter se conveniant, et accurate examinent quidquid pertineat ad rectam studiorum rationem, ad professorum electionem et confirmationem, atque ad alias res omnes, quibus Universitas ipsa prospere feliciterque vigere et efflorescere queat. Cum autem, dil. fili noster, mentionem feceris de ultimis controversiis in Belgio excitatis propter quasdam doctrinas a nonnullis Universitatis Professoribus traditas, *dissimulare non possumus, magno nos dolore affectos fuisse, ubi per recentes ephemeridum promulgationes intelleximus, haud fecisse, uti omnino par erat, plane observata et executioni mandata, quae encyclica nostra epistola die 19 Dec. anno superiore ad te omnesque Belgii Eppos data mandavimus atque praescripsimus.* Etsi enim recentes, de quibus loquimur, promulgationes minime essent intentae ad commemoratas praesertim discutiendas doctrinas, tamen poterant aditum ad novas excitandas controversias patefacere, atque ita de medio tollere illam omnem utilitatem, quam prae oculis habuimus in edendis perspicuis illis praescriptionibus, quae eadem nostra encyclica epistola continentur. Itaque hac etiam occasione renovantes quae a nobis in eadem encyclica fuere praescripta circa modum, formam et limites, quibus memoratae doctrinae a Lovaniensibus doctoribus erunt tradendae, denuo *omnibus tum ecclesiasticis tum laicis viris praecipimus atque mandamus, ut plane se abstineant ab excitandis quovis modo* etiam indirecto et sub quovis praetextu declarandi ac diluendi facta, *quaestionibus ac controversiis,* quae caritatem laedant, conscientias turbent, et imminuant reverentiam debitam omnibus aliqua ecclesiastica cuiusque gradus dignitate insignitis, et in contraria studia Belgii clerum scindant, qui semper singulari in Catholicam Ecclesiam

amore et studio ac pari in hanc Ap. Sedem fide et observantia praestitit. Optamus autem vehementer, ut hae nostrae praescriptiones iis omnibus, quos respiciunt, iterum manifestentur, sive ipsi ad Lovaniensem Universitatem pertineant, sive ad eam minime spectent. Ea porro spe sustentamur fore, ut indefessae tuae et omnium in Belgio Epporum curae ac sollicitudines efficiant, ut pax et tranquillitas in posterum numquam turbetur novis et importunis cuiusque naturae ac generis hac super re promulgationibus. Denique tibi persvade, praecipuam esse, qua te in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apost. benedictionem etc. Datum Romae die 16 Iunii 1862.

1226. *Rescriptum Card. Praefecti Congr. S. Officii ad Eppos Belgii in obiecto nonnullarum doctrinarum Lovaniensium, 1864.* Quum non levis momenti sit pluribus abhinc annis istis in regionibus agitata quaestio circa doctrinam a nonnullis Universitatis Lovaniensis doctoribus traditam *de vi nativa humanae rationis:* SSmus Dnus noster, qui in Apost. Sedis fastigio positus advigilare pro suo munere debet, ne qua minus recta doctrina diffundatur, quaestionem illam examinandam commisit duobus S. R. E. Cardinalium conciliis, tum S. Officii, tum Indicis. Iam vero cum esset huiusmodi examen instituendum, prae oculis habitae sunt resolutiones, quae sacrum idem concilium Indicis edidit iam inde ab annis 1843 et 1844, posteaquam ad illius iudicium delata sunt opera *Gerardi Ubaghs* in Lovan. Univ. doctoris decurialis, inprimisque tractatus Logicae ac Theodiceae. Etenim sacer ille consessus mature adhibita deliberatione duobus in conventibus habitis die 23 Iun. 1843, ac die 8 Aug. 1844, emendandas iudicavit expositas tam in Logica quam in Theodicea doctrinas de humanarum cognitionum origine, sive ordinem metaphysicum spectent, sive moralem, et illarum praesertim, quae Dei existentiam respiciant. Id sane constat ex duobus notationum foliis, quae ex eiusdem sacri consessus sententia, Gregorii XVI Summi Pontificis auctoritate confirmata ad Emin. Card. AEppum Mechliniensem per Nuntiaturam Apost. transmissa fuerunt, monendi causa auctorem operis, ut nova aliqua editione librum suum emendandum curet, atque interim in scholasticis suis lectionibus ab iis sententiis docendis abstinere velit. Quae duo notationum folia, modo res spectetur, si-

millima omnino sunt; si namque in folio posteriori aliqua facta est specietenus immutatio, id ex eo repetendum est, quod auctor accepto priori folio libellum die 8 Dec. 1843. Emin. AEppo tradidit, quo libello doctrinae suae rationem explicare atque ab omni erroris suspicione purgare nitebatur. Quem sane libellum, licet idem Emin. Patrum concilium accurate perpendisset, minime tamen a sententia discessit, atque adeo tractatus illos ac nominatim tractatum de Theodicea, qui typis impressi in omnium versabantur manibus, atque in Universitate aliisque scholis publice explicabantur, corrigendos iudicavit. Fatendum quidem est, post a. 1844 nonnullos intervenisse actus, quibus praedicto Lovaniensi doctori laus tribuebatur, perinde ac si in posterioribus sui operis editionibus Sacri Consessus voto ac sententiae paruisset; sed tamen uti firmum ratumque est, bina illa notationum folia post sacri eiusdem Concilii sententiam SS. Patris auctoritate comprobatam fuisse conscripta; ita pariter certum est, posteriores illos actus haudquaquam sacri consessus, multoque minus SS. Patris continere sententiam, quod quidem actus illos legentibus videre licet. Quae quum ita sint, necessarium investigare ac perdendere visum est, num memoratus Lovaniensis doctor in editionibus Logicae ac Theodiceae, quas post diem 8 Aug. 1844 confecit, accurate sit executus, quod a S. Concilio libris notandis inculcatum ei fuit in memoratis notationum foliis per Card. AEppum eidem auctori transmissis. Huiusmodi porro instituto examine rebusque diu multum ponderatis memorati Cardinales tum qui S. Inquisitioni, tum qui libris notandis praepositi sunt, conventu habito die 21 Sept. proxime praeteriti iudicarunt recentes eorumdem tractatuum editiones minime fuisse emendatas iuxta praedicti sacri consessus notationes, in iisque adhuc reperiri ea doctrinae principia, quae uti praescriptum fuerat corrigere oportebat. Quod quidem auctor ipse recenti in epistola ad Emin. Card. L. Altieri Praef. S. C. libris notandis missa aperte fatetur. Scribit enim quatuor adhuc se publicasse Theodiceae editiones: primam nimirum a. 1841, quae primitus subiecta est S. Sedis iudicio; secundam a. 1845 typis impressam haud ita multo post notationes a sacro Cardinalium consessu propositas. Utraque vero editio, quemadmodum suis ipse verbis fatetur auctor, ‚similes prorsus sunt, idem capitum, paragraphorum et paginarum numerus, eaedem locutiones; hoc solum differunt, quod secunda

editio aliquot diversi generis notas et paucas phrases incidentes continet, quae simul paginas forte 12 implere possint. Editiones vero, ut ipse prosequitur, tertia 1852, et quarta 1863, etiam in se similes sunt, et a praecedentibus, si formam exteriorem, non doctrinam spectes, multum differunt.' Ad Logicam porro quod spectat, cum illius tractatum iterum typis mandavit, post acceptas sacri consessus notationes haec in praefatione significavit: ‚Quantumcunque scripta immutaverim, numquam minime recedendum esse duxi a principiis, quae in primis editionibus assumseram, quae tamen repudiare vel mutare me non puderet, si illa falsa vel minus recta esse quisquam ostendisset.' Hinc pariter memorati Cardinales iudicarunt, exequendum ab auctore esse quod minime adhuc praestitit, nimirum emendandam illi esse expositam doctrinam in cunctis iis locis seu capitibus, quae sacer consessus librorum notandorum iudex minus probavit, iuxta notationes in supradictis duobus foliis comprehensas, et peculiariter in primo utpote quod rem apertius ac distinctius explicat. Ex quo tamen haudquaquam intelligendum est probari doctrinas reliquas, quae in recentioribus operum praedictorum editionibus continentur. Hanc porro Emin. Patrum sententiam SS. D. N. Pius IX auctoritate sua ratam habuit et confirmavit. Quae cum ita se habeant, dum Emin. Card. Mechliniensis iuxta demandatas ei partes memoratum doctorem Gerardum Casimirum Ubaghs admonebit officii sui eique vehementius inculcabit, ut doctrinam suam ad exhibitas Sacri Consessus notationes omnino componat, erit vigilantiae studiique tui pastoralis, una cum AEppo aliisque Suffraganeis Eppis omnem dare operam, ut huiusmodi Emin. Patrum sententia executioni nulla interiecta mora mandetur, neque in ista Lovaniensi Universitate, quae ab AEppo Mechliniensi et Suffraganeorum Antistitum auctoritate pendet, neque in Seminariorum scholis aliisque lyceis illae amplius explicentur doctrinae, quae ubi primum ad Apost. Sedis iudicium delatae fuerunt, visae sunt a scholis catholicis amandandae. Haec significanda mihi erant Emin. Patrum nomine Amplitudini tuae, cui fausta omnia ac felicia precor a Domino. Romae die 11 Oct. 1864. C. Card. Patrizi. — **Der Katholik.** *Neue Folge* III. 623. et V. 210. — **Bouix** *Revue des Sciences Eccl.* VI. 205. X. 568.

1227.

Conc. prov. Pragense A. 1860. de Rom. Pontifice.

MON. *Tit. I. cap.* 2. — Quoniam *Primatum Petro datum credimus*, ut una Christi Ecclesia monstretur, et capite constituto schismatis tollatur occasio: rectissime cum S. Ambrosio profitemur, ibi esse Ecclesiam, ubi Petrus est. Soliditatem illius fidei, quae in Apostolorum Principe laudata est, divino annitente praesidio perpetuam esse novimus: et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Hinc *beatissimum Principis Apostolorum haeredem Pontificem Romanum totius Ecclesiae caput*, *summum Christi Vicarium*, *omnium fidelium in orbe terrarum Patrem*, *et Apostolicam Sedem Romanam omnium Ecclesiarum matrem agnoscimus et reveremur.* Vetustissima huius provinciae templa nomine S. Clementis Romani Deo sacrata gloriosi Martyris, quem ab ipso S. Petro ordinatum eiusdem in Pontificatu mox successorem clarissimum veneramur, vivam a primordiis maiorum nostrorum communionem cum S. Sede Romana in hodiernum enarrant. Quorum praeclaram fidei haereditatem sortiti Petro nos per eius succesorem beatiss. Patrem Pium IX unitos profiteamur, cui debitam obedientiam, reverentiam, et exactissimam subiectionem concordissimis votis spondeamus. *Ad Petri*, quam Pius haereditavit, *Cathedram confugiamus, unde unitas sacerdotalis exorta est*, *quam per tot secula docente Spiritu S. nulla haeresis violavit, apud quam incorrupta Patrum servatur haereditas*, *ex qua proinde nostrum est quaerere, quid credendum*, *quid sentiendum, et quid tenendum sit.* Huic qui cathedrae iungitur, noster est. — Quo magis pretiosissimum fidei orthodoxae donum ac praemium in Clero et per Clerum in populo augeatur, et ex viva nostra communione cum una sancta catholica et apostolica Ecclesia robur nobis accrescat, nec non in die malo coelestis Paracliti solamen, sequentia in hac Synodo statuenda censuimus: — 2. Quum (Episcopi) ad tuendam et servandam unitatem fidei

promissam ab ordinatis sibi et successoribus suis reverentiam et obedientiam canonicam pro Deo et propter Deum postulare debeant: propriae etiam sponsionis suae non immemores, beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi et solvendi, eiusque Vicario Pontifici Romano pro tempore existenti, eiusque successoribus fidem, subiectionem et obedientiam secundum canonicam auctoritatem per omnia paratissimi exhibebunt, ut pax Domini sit semper cum eis. Hinc non tantum omnia ad personas et res ecclesiasticas pertinentia secundum Ecclesiae doctrinam et disciplinam a Sede Apostolica adprobatam dirigent et administrabunt, sed et providebunt, ut Constitutiones Romani Pontificis et decreta a Sacris Congregationibus seu edita seu edenda Clericis innotescant, et in singulis huius provinciae ecclesiis, prout S. Sedi placuerit, executioni mandentur. Sequentes enim in omnibus Sedem Apostolicam et observantes eius omnia constituta, speramus, ut in una omnium communione, quam Apost. Sedes praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. 3. Ut autem pietatis et vivae communionis, qua Eppi una cum universo suo Clero et gregibus sibi concreditis Cathedrae Petri iunguntur, publicum quoque documentum praestemus, statuimus: ut recurrente anniversario electionis Summi Pontificis in singulis huius provinciae ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus, nec non quantum fieri poterit etiam in parochialibus sacrum solemne cum hymno Ambrosiano celebretur; insuper mandamus, ut parochi et concionatores sacrum peragendum populo fideli annunciaturi data praesertim hac occasione fideles ad reverentiam et obedientiam Sedi Romanae debitam et ad faciendas pro Beatissimo Patre pias preces excitare non intermittant.

Tit. II. cap. 2. De Primatu R. P. Reiicimus errorem illorum, qui alicubi Ecclesiam Catholicam existere posse autumant absque unitatis vinculo cum Ecclesia Romana, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio. Sciant, neminem, qui extra unionem Capitis est, censeri posse inter membra corporis Ecclesiae, quam Dominus super Petrum fundavit et in eius auctoritate solidavit. Confiteantur potius nobiscum et cum orthodoxis per orbem terrarum fidelium turmis sanctae Romanae Ecclesiae principatum et Pontificis Romani Primatum; summa qua decet pietate nobiscum venerentur

colantque SS. D. N. Pium divina providentia Papam IX ceu legitimum Principis Apostolorum successorem, Iesu Christi in terris Vicarium, supremum fidei doctorem, et navis Christi gubernatorem, cui fidelissima obedientia animique assensus ab omnibus, qui ad ovile Christi pertinere volunt, praestetur. Declaramus et docemus, hanc *Romani Pontificis auctoritatem a Christo Domino descendere, a nulla proin hominum potestate vel concessione pendere, atque omni tempore et in atrocissimis Romanae Ecclesiae afflictionibus perdurare illibatam, prout etiam in carceribus et martyriis beati Petri perduravit. — Acta et decreta C. Pragensis.*

1228—1230.

Conc. Coloniense de Rom. Pontifice. A. 1860.

1228. MON. *P. I. tit. 6. cap.* 22. Christus ut Ecclesiae, corpori suo mystico et visibili, visibile etiam, postquam hinc discesisset, Caput constitueret, Simonem Petrum Apostolorum creavit Principem. Id ut significaret, *supra Petrum se aedificaturum Ecclesiam edixit.* Quam aedificium a fundamento, eandem *a Petro fundamento visibili firmitatem acceptura declaratur Ecclesia.* Sunt quidem et reliqui Apostoli, quum potestate praediti sint, Ecclesiae fundamenta, attamen non tam insigni, quo Petrus, modo. Hic enim prae ceteris unum et universale constituitur fundamentum, quum ei, sicuti prae ceteris Iesum Christum Dei Filium professus erat, prae ceteris praerogativa esset deferenda. Hoc quo fieret manifestius, *plenam de omnibus, quae ad Ecclesiam respiciunt, statuendi seu clavium potestatem Christus ei promisit.* Etsi clavium potestas etiam reliquis concedenda erat Apostolis, eminentiori tamen modo confertur Petro, quum quod omnibus est commune, non singularis dignitas fuisset nec munus singulare ob singularem fidei professionem delatum. Hanc autem singularem dignitatem et potestatem reapse Christus tunc contulit in Petrum, quum postquam e sepulchro vivus prodiit agnos ovesque pascendi munus eidem imposuit. *Soli* iterum *Petro munus hoc tam amplum, quod et agnos et oves totumque*

Christi gregem, omnes denique, qui inter Christi oves referri cupiunt, omnes proin Ecclesiae ordines respicit, demandari videmus, quum Petrus an prae ceteris Apostolis Christum amet interrogatus prae ceteris etiam distingvendus declaratur. Iam etiam manifestum est, cur soli Simoni Petro Christus nomen imposuerit, quod aliquam in Ecclesia significaret potestatem; cur singulari modo pro Petro rogaverit, ne eius deficeret fides et ut aliquando conversus fratres confirmaret. Longum est, Patrum tam Graecorum quam Latinorum singillatim recensere testimonia, qui modo a Petro unitatis originem repetunt, modo eundem Caput constitutum dicunt ut schismatis tollatur occasio, modo os et Apostolorum principem appellant, modo ubi Petrus ibi Ecclesiam esse declarant. Communem fuisse apud Graecos et Latinos illam Christi verborum interpretationem e S. Gregorio M. discimus, qui apud Mauritium Imperatorem de Ioanne CPno Eppo ‚Universalis' sibi appellationem arrogante conquerens scribit: ‚Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto et omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est.' Petro Apostolorum principi unum aliquem in principatu successisse pronum iam est concludere, quandoquidem Christus cum illo Apostolorum collegio, quemadmodum tunc erat constitutum, se perpetuo mansurum promiserat; hoc autem Apostolorum collegium ita constitutum erat, ut unus in eo gereret primatum. Petrus porro illud est Ecclesiae fundamentum illeque rector, a quo firmitatem Ecclesia acciperet, ut hostibns perpetuo esset superior. Semper autem aedificium indiget fundamento semperque civitas rectore. Dein quum semper his in terris ligandae et solvendae sint res gravissimae, semper etiam sit, qui amplissima illa Petro demandata in Ecclesia polleat potestate, necesse est. Denique quum semper sint oves agnique pascendi semperque fratres confirmandi, non ad Petri personam munus hoc gravissimum Christus restrinxisse existimandus est. Itaque Petri aliquo successore constituto corpus Ecclesiae visibile visibili insignitum est capite, et perfectissima gaudens unitate, quae facile per orbem disiicerentur membra, colligit mutuoque inter se iungit nexu. *Romanos* vero *Pontifices Petri Romae pro fide interfecti esse successores, id quidem inde ab initio constabat omnibus*, unde et rerum eccles. scriptores antiquissimi quum Romanorum Pontificum texunt seriem, a Pe-

tro incipiunt. Quum enim Eppo succedat is, qui defuncti sedem eo qui statutus est modo occupat : Petro tamquam Romanae Ecclesiae Eppo defuncto successerunt illi, qui in eius locum Romae deinceps suffecti sunt. *Collatam Petro potestatem pascendi, ligandi et solvendi, fratresque confirmandi in se transiisse norant inde a primis seculis Romani Pontifices.* Praeclaris id S. Leo PP. effert verbis : ‚Quamvis, inquit, singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est, neque cuiusquam administratio non nostri laboris est portio; ut dum ad beati Petri Ap. sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis maiora debemus.‘ (Serm. 4. al. 5. in anniv. assumt.) *Petrum in Romanis Pontificibus vivere ac per eosdem loqui* norant Concilii Chalcedonensis Patres omnes, qui recitata Leonis Papae epistola uno ore professi sunt : Petrus per Leonem locutus est. *Romana Ecclesia* S. Cypriano *est Petri cathedra atque Ecclesia principalis*, unde unitas sacerdotalis exorta est; *est Ecclesiae Catholicae radix et matrix*, quam ut agnoscant et teneant, alios hortatur. De Romana Ecclesia agens S. Irenaeus ait: Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles. Non sua solum, sed omnium sensa pandit S. Bernardus, quum Eugenium Pontificem hisce compellat verbis : Age indagemus adhuc diligentius, quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, etc. *ut supra in test. S. Bern.* *) — Itaque ad declarandam nostram in hanc Sedem Romanam, et illum, qui Dei providentia nunc eam gloriosissime tenet, SS. Patrem nostrum Pium IX, venerationem et submissionem cum Patribus Florentini Oec. Concilii profitemur : Sanctam Ap. Sedem etc. —

Eiusd. Tituli cap. 24. — Exercent Eppi *magisterium nulli obnoxium errori*, quoties congregati in Concilio, quid credendum sit, solemniter, *approbante Summo Pontifice*, edicunt; — exercent pariter, dum dispersi licet per orbem, *cum Summo Pontifice in doctrina conspirantes* singuli gregem suum docent;

*) Vid. Mon. 575—584.

— exercent demum, *dum sequuntur sententia praeeuntem et pro suprema auctoritate fidei controversias dirimentem Summum Pontificem, cui per Petrum transmissum est munus tum confirmandi fratres, tum pascendi oves et agnos, tum fundamentum et fulcrum praebendi toti Ecclesiae*, ut portae inferi non praevaleant. Etenim *Romana Ecclesia, in qua* secundum Christi Domini vocem: Tu es Petrus — *immaculata est semper servata religio, est mater universorum Christifidelium et magistra, et sicut Romanus Pontifex prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri, ipseque est omnium christianorum pater et doctor, cuius in fidei quaestionibus per se irreformabile est iudicium.* —

Eiusd. Tit. c. 25. — *Romano Pontifici ut Ecclesiae Capiti* et fundamento visibili, *Epporum principi pastorique supremo, vera iurisdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam.* Propterea ius ei inest *convocandi Concilia Generalia, iisdem praesidendi et sua confirmatione eorum decreta sanciendi, quae dein irreformabilia sunt ex se et ante Ecclesiae reliquae consensum. Penes ipsum est dispensare in legibus seu canonibus universalibus Ecclesiae; a iudicio eccles. inferiore ad eius iudicium provocare fas; ab eius autem iudicio, quum supremum sit, ad aliud provocare semper nefas est. Qui vero asserunt, Summum Pontificem non a Christo in persona Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accepisse, haereticis adnumerandi sunt.*

Eiusd. Tit. cap. 26. — Una est Christi sponsa, et Christus unum est Ecclesiae Caput invisibile. Nec potest non esse una sola Ecclesia, quum unum solum sit fundamentum visibile, quo singulae huius societatis partes fulciantur et inter se mutuo connectantur. *Verum Christi ovile illud solum est, cuius Petrus est pastor; verum Christi invisibilis corpus visibile illud solum est, quod Petro capite visibili est insignitum.* — Illa autem Ecclesia, quam solam Christus instituit, non alia esse potest, nisi Ecclesia Catholica, quae sola est una, quum eius unum sit Caput, eadem auctoritas, idem magisterium; — sola apostolica, quum Epporum cum Romano Pontifice iunctorum ordo ad ipsum Petrum ascendat. Merito igitur cum S. Augustino profitentur singuli: Multa sunt, quae in eius (Eccl. Catholicae) gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum, — tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrecti-

onem Dominus commendavit, usque ad praesentem Eppatum successio sacerdotum etc. —

1229. *Ex Epistola Concilii ad Papam pro eiusdem confirm.* — Nunc meum est, acta et decreta, quae in hoc concilio provinciali pro temporum et locorum conditione condenda esse existimavimus, *Sanctitati Vestrae, summo doctrinae et disciplinae arbitro*, recognoscenda et approbanda, aut ubi opus fuerit emendanda humillime offerre; nec minus hac occasione *devotionis humillimae et obedientissimae subiectionis obtestationem, quam Eppi in concilio nostro congregati erga S. Sedem Apostolicam et erga Principis Apostolorum successorem, nunc eam tanta gloria occupantem, uno animo unaque voce professi sunt, ad sacratos Sanctitatis Vestrae pedes deponere sanctum mihi est.* Amantissimi Patris ac Domini nostri dolores, sollicitudines et anxietates, quibus cor eius paternum hisce tristissimis temporibus premitur, cum ipso sentientes, non cessamus cum ovibus nostris Deum Omnipotentem sine intermissione exorare, ut omnes Ecclesiae inimicos brachio suo fortissimo profligare, eorum conatus execrandos confundere, ac Sanctitatis Vestrae personam augustissimam dilectissimamque in omnibus et ubicunque sospitem semper et incolumem servare velit. — Coloniae die 15. Iunii 1860. Ioan. Card. de Geissel.

1230. *Ex Epistola Cardinalis AEppi Colon. de decretorum promulgatione.* — In Concilio Provinciali celebrando *inprimis testatam publice et solemniter nostram omnium voluimus cum Romana Ecclesia Petrique Cathedra unionem et concordiam, quum persvasissimum nobis fuerit, eo tutius nos progressuros esse, quo arctius eius fidem et doctrinam ubique profiteremur eiusque disciplinae normam sequeremur.* Ea igitur duce et magistra antiquum verae fidei depositum exposuimus, Ecclesiam eiusque hierarchiam divinitus institutam descripsimus, sacramentorum fontem vivificum aperuimus, sanam vitae vere clericalis et christianae disciplinam expandimus, atque errores et abusus, quos in agrum dominicum irrepsisse deprehendebamus, reiecimus et perstrinximus. Id vero quam opportunum fuerit, quamque ex omnium animis et votis egerimus, rerum demonstravit eventus, quum summa semper in deliberationibus sese prodiderit erga Romanam Ecclesiam matrem observantia, summa in Petri successorem, omnium christianorum Patrem et Docto-

rem obedientia, summum in eundem obsequium. Atque huius nostrae in Sedem principem, ad quam omnes ex orbe catholico qua late patet tamquam centrum et unitatis originem radii convergunt, venerationis et obsequii testimonium solemnius praebere tanto consultius visum est, quum quotquot hodie implacabili in Dei Ecclesiam fremunt odio, in illam, cui superstructa est, Petram saevos excitare fluctus non desistant. Ex eiusdem denique Sedis Apostolicae suprema auctoritate gravius etiam pondus accessurum esse censuimus iis, quae ex matura multorum deliberatione et communi pastorum definitione ad fidem tuendam, ad salutis media rite administranda et ad disciplinam eccles. salubriter promovendam in Concilio decrevimus ac statuimus. Itaque omnia decreta, quae a nobis et ven. fr. nostris huius provinciae Eppis in Concilio unanimi voto condita sunt, Sanctae Sedis Apost. summo arbitrio recognoscenda subiecimus, atque eadem ab illa S. Sede revisa et recognita nunc hisce vobis exhibemus et auctoritate nostra metropolitica promulgamus. — Coloniae, die 23. Iul. 1862. — *Acta et decreta C. prov. Coloniensis.* p. 51. 57. 60. et LXXVIII.

1231.

Pius IX Vicario Apostolico CPno de **Bulgarorum** ad S. Unionem catholicam reditu, et primatu Rom. Pontificis ab ipsis solenniter professo, A. 1861.

MON. Maxima in Domino laetitia affecti fuimus, ubi post varias notitias iamdiu vulgatas de *Bulgarorum* ad catholicam fidem et unitatem reditu vidimus tam salutarem tamque exoptatam rem Deo bene adiuvante feliciter esse acquisitam. Namque hisce diebus nobis misisti, ven. frater, literas a plurimis clericis laicisque Bulgaris catholice unitis ad nos datas, ex quibus cum summo animi nostri gaudio novimus, ipsos divina adspirante gratia e funestissimo schismate emersos ad amantissimae matris Catholicae Ecclesiae sinum rediisse. Itaque in eisdem literis ipsi nobis luculenter *declarant, se ea omnia credere et profiteri, quae*

haec S. Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, credit ac docet, seque recognoscere omnique observantia prosequi Romanum Pontificem veluti adspectabile totius Catholicae Ecclesiae Caput, et Christi Domini hic in terris Vicarium, ac beatissimi Petri Apostolorum Principis successorem, quemadmodum in solemni fidei professione coram te ac ven. fratre Antonio AEppo Primate Armeniorum, aliisque Praefectis Apostolicis, et utriusque catholici Cleri viris die 30 proximi mensis Decembris emissa palam publiceque declarare gloriati sunt. Equidem cumprimum in maximis nostris angustiis propter acerbissimas, quibus hoc luctuosissimo tempore Ecclesia Dei premitur, calamitates, et plurima, quae catholicum gregem undique circumstant, pericula, commemoratae Bulgarorum ad nos pervenerunt literae, maximas in humilitate cordis nostri Deo totius consolationis egimus gratias, cui placuit hoc laetissimo sane eventu non mediocre nostris angoribus afferre levamen. Nulla autem interposita mora hanc tibi, ven. frater, scribimus epistolam, qua tibi committimus, ut nostro nomine eisdem Bulgaris catholice unitis significes: nos de hoc optatissimo eorum ad catholicam fidem et unitatem reditu vehementer laetari. Ac nostro etiam nomine ipsos amantissimis verbis certiores facies de singulari ac prorsus paterna caritate, qua eos prosequimur et tamquam carissimos nostros et catholicae Ecclesiae filios amanter complectimur, et qua parati sumus ad ea omnia peragenda, quae maiori spirituali eorum utilitati conducere possint. Atque utinam alios omnes et singulos inclytae Bulgarae nationis, et illos praesertim, qui sacris funguntur muneribus, et maiori etiam eccles. dignitate fulgent, cum hac Petri Cathedra nobisque iterum coniunctos quamprimum videre et amplecti possemus. Hoc quidem assiduis fervidisque precibus a clementissimo luminum et misericordiarum Patre exposcere non desistimus. Iam vero iidem dilecti filii Bulgari catholice uniti in commemoratis obsequentissimis suis ad nos literis exposuerunt, suis in votis esse, ut sacri legitimique eorum ritus, ceremoniae, liturgia, hierarchia serventur. Quocirca ipsis, ven. frater, nostro nomine confirmabis, quod eisdem iam respondit ven. fr. Antonius AEppus Primas Armeniorum: Nos scilicet ea omnia perlibenter praestituros, quae de hisce rebus per nostram Encyclicam Epistolam die 6. Ianuarii 1848 ad Orientales datam clare aperteque

diximus et declaravimus. Nihil vero dubitamus, quin iidem Bulgari pergant legitimum suum Principem Magnum Turcorum Dominum debita fidelitate prosequi, quemadmodum catholicos decet. Dum vero haec omnia ipsis dilectis filiis Bulgaris catholice unitis nunciabis, et hanc nostram communicabis epistolam, eos etiam certiores facies tam de apostolica benedictione, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam ipsis peramanter impertimus, tum de impensissimis precibus, quibus Deum O. M. indesinenter oramus et obsecramus, ut abundantes divinae suae gratiae divitias super eos propitius semper effundat. Denique praecipuae nostrae in te benevolentiae pignus apost. bened. tibi ipsi, ven. frater, cunctisque clericis laicisque fidelibus curae tuae commendatis peramanter impertimur. Datum Romae die 24. Ian. 1861.

1232. 1233.

Bulgarorum ad fidem cath. conversorum **AEppus** de sua ad Cathedram S. Petri adhaesione solennem elicit professionem Romae die 14 April. 1861.

1232. MON. Vellem equidem, Pater Beatissime, in hoc auspicatissimo iucundissimoque eventu tua in nos promerita non obscuris grati animi significationibus prosequi. Vereor tamen, ne parum cumulate pro magnitudine beneficiorum tuorum gratias egerim. Tuum namque est, si, cum essemus mortui, revixi-mus, cum perierimus, inventi simus. Satius existimo et meo et Bulgarorum meorum nomine publicum ac solemne fidei, quam tenemus, exhibere testimonium. Scias itaque, Pater Beatissime, *nos credere et profiteri omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana utitur Ecclesia. Veneramur etiam et suscipimus omnes universales Synodos auctoritate Romani Pontificis celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum;* ac profitemur quae in ea definita sunt. — — Sanctam Ap. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem

tenere Primatum *etc. ut in C. Florent.* Suscipimus tandem ac profitemur quae recipit et profitetur S. R. Ecclesia, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas, et anathematisatas pariter damnamus, reiicimus, et anathematisamus. Haec tenent et credunt Bulgari, qui nuperrime adspirante Spiritus S. gratia alacres et laeti optatissimam sanctissimamque instaurarunt *unionem cum hac Petri Sede, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Haec ego teneo et credo, haec docebo oves a Beatitudine tua mihi committendas. Felix heu nimis! si viribus meis sic enitar, ut felicia coepta iugi sollicitudine Beatitudinis tuae felicem progressum exitumque consequantur. Ceterum *si quid a nobis recte agetur, recteque discernetur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinebimus, illius erit operum atque meritorum, cuius in hac Sede Romana vivit potestas et excellit auctoritas.*

1233. *Responsum Summi Pontificis.* Disiecta tandem diuturni dissidii caligine splendidum catholicae unitatis iubar et Bulgaris affulsit: indubiis siquidem documentis nobis compertum sit, non exiguam illorum partem in communionem rediisse cum hac *Petri Sede, quae vitae aeternae gratiam consecuta et vivit in aeternum, et vivificat Dei populum.* Quis bonorum omnium Largitori debitas non agat gratias? quis divinae miserationis divitias non miretur? Cuius vel ferreum pectus tanta supernae pietatis magnitudo non emolliat? Sunt ista prorsus divina opera, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, ac divinis prosequenda laudibus. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Iesu Christe fons misericordiarum, ac totius consolationis, qui in generatione nostra pietatis tuae miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. De sincera unitorum mente dubitare nos haud sinunt tum allata documenta, tum praesertim solemnis illa professio, quam modo et tuo et tuorum nomine edidisti. Confidimus itaque, quod protectio Dei corda illorum fidemque custodiat. Te interim obtestamur vehementer, ut quod divinitus incoeptum est opus, sedulitate tua, adiuvante Spiritus S. gratia, perficias, atque ita cooperator Dei et dici et esse merearis. Faxit Deus Omnipotens, ut vera Christi Ecclesia, foecunditate, successibus copiosa, ramos suos in universam Bulgariam extendat, ac profluentes largiter rivos latius expandat! Hac spe

freti, Bulgaros catholicos paterna caritate complectimur, ac tibi tuisque apostolicam benedictionem peramanter impertimur. — **Civilta Cattolica.** 1861. Serie IV. vol. 10. p. 353.

1234—1239.

Pius IX PP. peculiarem pro negotiis **Orientalium Congregationem** erigit, eosdemque ad firmam et constantem adhaesionem erga Petri Cathedram hortatur, huius Primatum uberius evolvit, et simul decernit: Graecos in suis ritibus porro quoque relinquendos esse, probata Conventione, quae eatenus inter **AEppos Leopolienses L. et G. R.** inita fuit. A. 1862—1864.

INTR. Monumenta praesenti loco exhibita gravis sunt momenti. Concernunt quippe coordinationem rei catholicae apud Graecos cum S. Sede unitos, signanter in Galicia Austriaca. Quum nimirum Pius IX pro sua apostolica sollicitudine peculiarem pro rebus Graecorum Unitorum pertractandis Congregationem erexisset, desuperque Graecos, dimisso distincto Brevi Apostolico, edocuisset, ac una declarasset, ritus Graecorum, qui fidei catholicae nil officerent, porro quoque iisdem relinquendos, ipsosque in illorum usu nequaquam molestandos esse: factum est, ut APraesul Leopoliensis G. R. apud parochos suos plura ad ritus spectantia disponeret, quae quamdam quasi inquisitionem super statu controversiae ritualis inter Latinos et Graecos gliscentis redolere videbantur. Quamobrem Latinus quoque AEppus Leopolitanus similem ex parte sua ad Clerum suum dimisit Circularem literam. Enatae hinc graviores lites, et S. Sedi Ap. necessitas imposita, rem uberius investigandi: cuius interventu Conventio tandem duos inter AEppos coaluit, suffragio Sedis Apost. roborata.

1234. MON. Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona beatissimi Apostolorum Principis fuit com-

missa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, numquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis vel schismatis contagione infectos ad Catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae maiori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in *Orientalis* quoque *Ecclesiae* gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis, magnorumque rectefactorum et sanctitatis gloria insignes. Et sane ut in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret, iidem Pontifices, ubiprimum Ecclesiae pax fuit donata, et plura convocarunt Concilia et varias edidere constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum et huius S. Sedis erga Orientales populos studium et amor semper viguit ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut in Oriente catholica servaretur et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo maior in Ecclesiam ipsam splendor et maiestas mirifice redundat. Hinc ipsi decessores nostri non solum in animo numquam habuere Orientales gentes ad ritum latinum ducere, verum etiam quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios Orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate et SS. Patrum auctoritate commendatos destruere, vel immutare, sed unice velle, ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae dero-

get honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV decessor noster copiose demonstravit suis encyclicis literis ad Orientales Missionarios die 16 Iul. 1755. datis, quarum initium ‚Allatae sunt.' Quodsi Orientales ritus alicuius arbitrio aliquando immutati fuerint, id numquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum. Maiores vero ac potissimae post funestissimum et numquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Ap. Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum, cum in eodem Concilio sancta catholica unio, iamdiu tam vehementer expetita, fuerit restituta. Cum vero Marcus AEppus Ephesinus tamquam novus Photius huiusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura et Missionarii ad Orientales gentes missi, et orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Cardinalium Consilia instituta; quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII Pontificatum specialis instituta fuit *Congregatio de rebus Graecorum*, ac alia deinde sub eodem Pontifice erecta super negotiis fidei et religionis catholicae, paulo post appellata *de Propaganda fide*, quae tum Graecorum aliorumque Orientalium negotia, tum fidei propagationem in occidentalibus regionibus curaret. Atque haec Congregatio eundem habebat finem, quem deinde habuit et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo Propagandae fidei insignita, et a Gregorio XV apost. literis die 23 Maii 1622. datis et incipientibus ‚Inscrutabili' erecta cum munere praesidendi Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam. At vero inspecta Orientalium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congr. generalis de propaganda fide institutionem necesse esse, ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negotia, quae maiori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis eiusdem Congr. generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca Urbano VIII Pontifice, qui in locum Gregorii XV fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congr. de

propaganda fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata super dubiis Orientalium, altera super correctione Euchologii Graecorum. Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur, et studia eidem pro Euchologio Graecorum commissa omnes Orientalium libros complecterentur, nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda fide erecta fuit a Clemente XI super correctione librorum Orientalium, proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus Theologis, virisque Orientalium rituum et lingvarum peritis. Ex ipsius autem Congregationis Christianae fidei propagandae actis apparet, quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis seu Congregationibus S. R. E. Cardinalium eiusdem Congr. de Prop. fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos Melchitas, Armenios, Cophtos, Maronitas, Ruthenos, aliasque Orientales nationes respiciebant. Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae nostris hisce literis constituere existimavimus. Cum enim arcano Divinae Providentiae consilio in hac Petri Cathedra licet immerentes collocati pastoralis nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes homines cognoscant solum Deum verum, et quem misit Iesum Christum, et omnes occurrentes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei vitam habeant, iccirco, *vel ab ipso nostri Pontificatus exordio curas nostras ad Orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati, magis in dies stabiles et immoti persistant,* et crescentes in scientia Dei et cognitione D. N. I. C. per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant; *qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad illud redire properent, atque festinent.* Ea porro spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orientalium conditionem,

et noscentes in aliquibus locis quaedam impedimenta Deo auxiliante ita fuisse remota, ut Orientalis ritus gentes possint cum hac Apost. Sede libere communicare, et iccirco facilius nobis sit gravibus illarum indigentiis occurere, apostolici nostri ministerii esse duximus, nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem Orientalium bono et necessitatibus maiorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Prop. Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut rebus sedulo perpensis nobis proponeret, quae potiora essent suscipienda consilia ad Orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cardinales et Praesules ex una parte apprime noscentes, quam multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter lingvae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur; ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes eiusdem Congr. Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte seculo divina adspirante gratia in America Septemtrionali, in Indiis Orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari eiusdem Congr. opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Eppalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi persvaserunt, eandem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultatibus Orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad huiusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congr. Fidei Prop. more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, institueretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus tum disciplinae Orientalium Ecclesiarum negotia tractanda ac dirigenda unice curaret. Quamobrem nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Prop. *specialem et stabilem Congregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cuiusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis eiusdem Congr. Fidei Prop. Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores, ac proprios Officiales.* Nos

igitur de maiori Orientalium bono summopere solliciti et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem ven. fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia hisce literis auctoritate nostra apostolica praedictam specialem Congregationem pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce nostris literis statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus. *(Sequitur coordinatio huius specialis Congregationis, post quam sic concludit S. Pontifex:)* — Atque hic levantes oculos nostros ad miserationum Dominum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut divinae suae gratiae divitias super Orientales nationes copiose effundens efficiat, *ut tot olim illustres in Oriente Eppales Cathedrae Apostolorum auctoritate constitutae, quae nunc, heu miserum! a Petra, cui Ecclesia innititur, seiunctae et collapsae iacent, denuo pristino exornatae splendore reviviscant, atque uti antea vigeant, floreant, fideliter custodientes fidei depositum, morumque disciplinam.* In eam profecto spem erigimur fore, ut bonorum omnium auctor et largitor Deus nostris hisce curis propitius benedicere velit, utque omnes Orientales, qui catholicam veritatem profiteri gloriantur, hisce paternis nostris studiis magis in dies respondeant, nihilque antiquius habeant, quam ut arctiori usque amoris et obsequii vinculo huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaereant, ac miseros errantes ad catholicam unitatem reducere contendant. — Datum Romae die 6 Ianuar. 1862.

1235. *Breve ad Eppos Orientales dd. 8. Apr. 1862.* Amantissimus humani generis Redemtor *Christus Dominus* Unigenitus Dei Filius, volens, ut optime nostis ven. fratres, omnes homines a daemonis captivitate et a peccati iugo vindicare, eosque de tenebris in admirabile lumen suum vocare, et salvos facere, cum delesset quod adversus nos erat chirographum decreti affigens illud cruci, *Catholicam Ecclesiam* suo sangvine acquisitam tamquam unam domum Dei vivi, unumque regnum coelorum, vel unam civitatem supra montem positam, aut unum ovile, et unum corpus uno spiritu consistens vigensque, et una fide, spe, caritate, et unis eisdemque sacramentorum, religionis doctrinaeque vinculis compactum et coagmentatum confirmavit,

constituit, et rectoribus a se nominatis ac delectis instruxit, eamque ita a se conformatam et constitutam, quamdiu mundus ipse non intereat et concidat, permanere, et omnes universi terrarum orbis populos nationes complecti decrevit, ut cuiusvis gentis homines divinam suam religionem et gratiam acciperent, quam ad extremum usque spiritum retinentes aeternam adipiscerentur salutem et gloriam. Ut autem haec fidei doctrinaeque unitas semper in sua servaretur Ecclesia, *Petrum ex omnibus selegit unum, quem Apostolorum Principem suumque in terris Vicarium et inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum et caput constituit*, ut cum honoris gradu, tum omni praecipuae auctoritatis, potestatis et iurisdictionis amplitudine ceteris omnibus quam maxime praestans pasceret oves et agnos, confirmaret fratres, atque universam regeret et gubernaret Ecclesiam. Cum autem Christus hanc suam Ecclesiam unam et immaculatam usque ad consummationem seculi permansuram voluerit, et unam fidem, unam doctrinam, ac regiminis formam servandam esse mandaverit, tum *quae Petro dignitatis, potestatis ac iurisdictionis amplitudo, fideique integritas ac stabilitas data, eadem prorsus eiusdem Petri successoribus Romanis Pontificibus est tradita, qui in hac Romana ipsius Petri Cathedra collocantur, et quibus in persona beatissimi Principis Apostolorum ab ipso Christo Domino suprema totius dominici gregis cura divinitus est commissa, ac supremum universalis Ecclesiae regimen demandatum.* Ac vobis apprime compertum exploratumque est, ven. fratres, *quomodo hoc divinae nostrae religionis dogma unanimi ac perenni Synodorum Patrumque mente ac voce fuerit semper praedicatum, defensum et inculcatum.* Siquidem ipsi numquam cessarunt edocere, unum esse Deum, unum Christum, unam Ecclesiam, et cathedram unam super Petrum Domini voce fundatam, cui tamquam petrae lapidique firmissimo tota quanta est christianae reipublicae moles divinitus est superinstructa. Enimvero haec Petri Cathedra et dicta semper et habita, quae unica est et prima de dotibus, quae per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, quaeque radix et matrix, unde unitas sacerdotalis exorta, quae omnium Ecclesiarum non modo caput sed mater et magistra, ac pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta stabilitas, et in qua semper apostolicae Cathedrae viguit principa-

tus, quaeque illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae, et cui totam doctrinam Apostoli cum sangvine profuderunt, ex qua in omnes venerandae communionis iura dimanant, ad quam omnis obedientia et honor est deferendus, quam qui deserit, in Ecclesia frustra esse confidit, extra quam qui comederit agnum, profanus est. Atque insuper Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem; Petrus, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet, ipse per Leonem locutus est. Romanus Pontifex, qui in universum orbem tenet primatum, successor est beati Petri Apostolorum Principis, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum pater et doctor existit. Et alia fere innumera ex luculentissimis testibus depromta, quae clare aperteque edocent, ac declarant, quanta fide, religione, observantia et obedientia hanc Ap. Sedem, Romanumque Pontificem ii omnes prosequi omnino debent, qui ad veram, unicam, sanctamque Christi Ecclesiam pertinere volunt, ut aeternam assequantur salutem.

Iam vero *Catholicae Ecclesiae unitati nihil plane adversatur multiplex sacrorum legitimorumque rituum varietas,* quinimo ad ipsius Ecclesiae dignitatem, maiestatem, decus ac splendorem augendum maxime conducit. Neminem autem vestrum latet, ven. fratres, quomodo nonnulli incautos praesertim et imperitos decipere, et in errorem inducere nitantur, hanc sanctam calumniantes Sedem, perinde ac si ipsa dissidentes Orientales ad catholicam fidem excipiens velit, ut ii proprium deserant ritum, ac illum Latinae Ecclesiae amplectantur. Quod quidem quam falsum sit et a veritate alienum, evidentissime ostendunt ac testantur tot decessorum nostrorum Constitutiones et Apostolicae literae ad ecclesiastica Orientalium negotia spectantes, quibus iidem Praedecessores nostri non solum constanter declararunt, id sibi in animo numquam fuisse, verum etiam professi sunt, se omnino velle, ut Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem vel morum honestatem irrepsisset error, sarti ac tecti haberentur. Quibus repetitis clarissimisque decessorum nostrorum declarationibus plane respondent tum vetera tum recentia facta, cum dici numquam possit, hanc Ap. Sedem vel sacrorum Antistitibus vel ecclesia-

sticis viris vel populis Orientalibus ad catholicam unitatem reversis praecepisse, ut suum legitimum ritum mutarent. Atque universa CPna civitas nuper vidit, quomodo ven. frater Meletius AEppus Dramensis, qui cum summa animi nostri consolatione et omnium bonorum gaudio ad catholicae Ecclesiae gremium rediit, proprio ritu ac solemnibus ceremoniis et pompa rem divinam magna populi frequentia peregerit. Itaque, ven. fratres, pro eximia vestra eppali sollicitudine ne desinatis vestrarum dioecesium clero etiam atque etiam inculcare, ut opportunis quibusque modis detegere ac refellere studeat calumniam, qua malevoli homines imperitorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra hanc Ap. Sedem excitare conantur.

Nos porro cum in hac Petri Cathedra arcano divinae providentiae consilio collocati ad supremum universae Ecclesiae Christi regimen evecti simus, nostram omnem spem et fiduciam in Christo Iesu habentes apostolici nostri ministerii partes implere contendimus, veluti a nobis postulat instantia quotidiana, et sollicitudo omnium ecclesiarum. Siquidem divino illius auxilio freti, cuius vicariam hic in terris licet immerentes gerimus operam, et qui dixit: ‚ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,‘ et confirmavit ‚inferi portas contra Ecclesiam suam numquam esse praevalituras,‘ *nihil metuimus tot nefarias sacrilegasque molitiones*, conatus et impetus, quibus in hac tanta temporum iniquitate inimici homines catholicam Religionem, si fieri unquam posset, funditus evertere connituntur, sed spirituali omnium gentium bono et saluti consulere non desistimus. Etenim charitas Christi urget nos, ac nihil nobis potius esse potest, quam ut omnes curas, labores, consilia libentissime suscipiamus, quo omnes populi occurrant in unitatem fidei, et crescant in scientia Dei, et cognitione D. N. I. C. qui est via, veritas, et vita, via scilicet conversationis sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis sempiternae. Neque vero vos ignoratis, ven. fratres, quo singulari amore et assiduo studio paternas nostras curas ad istam electam dominici gregis partem vestrae vigilantiae commissam vel ab ipso supremi nostri pontificatus initio contulerimus, atque ex recentissimis nostris literis annulo piscatoris obsignatis et 8 idus proximi mensis Ianuarii editis magis magisque intelligere potuistis, quam vehementer nobis cordi sit istarum Orientalium Ec-

clesiarum bonum, utilitas ac prosperitas. Namque iisdem literis peculiarem ex Congregatione Fidei Propagandae conflatam Congregationem constituimus, quae eidem Congregationi Fidei Propagandae tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae maiori sit auxilio, quaeque operam ab ipsa Fidei Propagandae Congregatione hactenus omni studio ac summa cum laude praestitam ita exerceat, ut omnia Ecclesiarum Orientalium negotia unice tractanda et expedienda curet. Ea profecto spe sustentamur fore, ut Deo bene iuvante ex huiusmodi nostro consilio et sollicitudine in omnes Orientales nationes spiritualis utilitas quotidie magis redundet. Etenim plane confidimus hanc novam specialem Congregationem nuper a nobis institutam nihil unquam iuxta nostra desideria intentatum esse relicturam, quod in vestris tractandis negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad vestrarum Ecclesiarum felicitatem augendam, ac vestrorum legitimorum rituum integritatem tuendam, atque ad maiorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo possit pertinere. Verum ut haec Congregatio omni cura et industria demandatum sibi a nobis munus exercere, suosque labores et studia in maiorem istarum Ecclesiarum prosperitatem conferre possit, opus omnino est, ut optime noscat spirituales Orientalium nationum indigentias, quibus opportune ac provide sit consulendum. Et quoniam vobis, ven. fratres, apprime nota est conditio et status gregis curae vestrae traditi, iccirco pro vestra sapientia probe nostis maxime oportere, ut de rebus omnibus, quae vestras ecclesias vestrumque gregem respiciunt, maiore qua fieri potest celeritate nos diligentissime certiores facere velitis, et accuratam de vestrarum dioecesium statu relationem mittatis, in qua sedulo exponatur quidquid ad ipsas dioeceses spectat, quo fidelium in eisdem dioecesibus degentium necessitatibus omni cura prospicere possimus. Summa certe erit nostra consolatio, si quisque vestrum, ven. fratres, omnes suae propriae dioecesis res sedulo ad nos referens significaverit, quot fideles in ipsa versentur dioecesi; quot sint ecclesiastici viri qui proprii ministerii munia obeuntes ipsis fidelibus assistant; quae eorumdem fidelium agendi ratio tum quoad fidem tum quoad morum honestatem; qua doctrina Clerus sit praeditus, quaeque ipsius Cleri educatio; et quomodo populus ad sanctissimam nostram religionem morumque disciplinam in-

stituatur, et qua ratione populus idem ad pietatem morumque probitatem quotidie magis et conformari et excitari queat. Optamus etiam summopere agnoscere, qualis sit vestrarum scholarum conditio, et qua frequentia illas iuventus adire soleat. Cum vero probe sciatis, ven. fratres, omnes rei cum sacrae tum publicae spes positas esse in recta, salutari ac religiosa puerorum educatione, iccirco maxime interest ipsos vel a teneris annis catholicas celebrare scholas, quo divinae nostrae religionis veritatem ac praeceptiones sedulo discentes a periculo amoveantur, ne tenerae eorum mentes pravis imbuantur principiis. Neque omittatis nobis manifestare, si libris indigeatis, ac simul exponere, qui potissimum libri ex vestra sententia et cleri doctrinae curandae et populi institutioni promovendae, et acatholicorum placitis confutandis, et fidelium pietati fovendae magis opportuni esse possint. Insuper cum acceperimus, in aliquibus locis liturgicos ac rituales adhiberi libros, in quos vel aliquis irrepsit error, vel aliqua ad arbitrium invecta immutatio, vestrum erit nobis patefacere, qui libri apud vos adhibeantur, itemque dicere, si huiusmodi libri aliquo tempore fuerint ab hac S. Sede approbati, vel si ex vestro iudicio errores corrigendos contineant, atque etiam si quae dubia dirimenda habeatis, vel si adsint abusiones tollendae. Atque etiam praecipue expetimus a vobis accipere, quos in vestris dioecesibus progressus habeat sancta catholica unio, quae impedimenta eidem obstent, quibusque opportunioribus modis huiusmodi impedimenta amoveri possint, ut ipsa unio magis in dies promoveatur et augeatur.

Videtis profecto, ven. fratres, quanto amore quantoque studio istas Orientales prosequamur Ecclesias, et quam vehementer optemus, ut in Orientalibus populis sanctissima nostra fides, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiat, ac vigeat et efflorescat. Ac certi sumus, vos pro eppalis vestri ministerii munere et pastorali zelo vestras omnes curas cogitationesque in divina nostra religione tuenda et propaganda, atque in vestri gregis salute curanda studiosissime impendere. Cum vero inimicus homo hisce praesertim luctuosissimis temporibus non cesset in dominico agro superseminare zizania tum pestiferis libris et ephemeridibus, tum monstrosis quibusque opinionum portentis, quae catholicae fidei ac doctrinae plane ad-

versantur, iccirco probe intelligitis, quanta sollicitudine, vigilantia et constantia vobis sit allaborandum et excubandum, ut fideles vobis commissos ab hisce venenatis pascuis arceatis, et ad salutaria propellatis; eosque catholicae ecclesiae doctrina maiorem in modum imbuatis. Ut autem id facilius assequi valeatis, animarum Curatorum praesertim zelum assidue excitare ne intermittatis, ven. fratres, ut ipsi suo munere diligenter fungentes numquam desinant evangelisare Dei evangelium sapientibus et insipientibus, et omni sacrorum ope christianam plebem sibi commendatam iuvare, ac pueros praesertim et rudes homines catholicae fidei documenta morumque disciplinam patienter amanterque docere, omnesque continenter exhortari in doctrina sana, ne circumferantur omni vento doctrinae, omnes quoque vestrarum dioecesium presbyteros semper monete, ut animo serio reputantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud sedulo implendum curent, ut virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, orationi instent, ac sacras praesertim disciplinas assidue excolant, et in sempiternam fidelium salutem procurandam totis viribus incumbant. Atque ut facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui in vinea Domini excolenda auxiliariam vobis operam in tempore exhibere valeant, nullis parcite curis, nullisque consiliis, ven. fratres, ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per lectissimos magistros ad pietatem, verumque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac literis et disciplinis praecipue sacris ab omni cuiusque erroris periculo omnino alienis diligentissime erudiantur. Equidem haud ignoramus, ven. fratres, quae quantaeque sint difficultates, quibus in eppali vestro ministerio exercendo obnoxii estis. Sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius memoria repetentes, vos pro Christo legatione fungi, qui tradidit animam suam pro ovibus suis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius. Nemo vero ignorat, quanto usui et ornamento Catholicae Ecclesiae in Oriente fuerint religiosae Monachorum familiae. Namque ipsae vitae integritate, morumque gravitate, ac religiosae disciplinae laude spectatae et bonorum operum exempla fidelibus exhibere, et iuventutem instituere, et literas ac disciplinas excolere, et auxiliariam utilemque Sacrorum Antistitibus operam navare studebant. Tristissimis autem rerum ac temporum vicibus hae sacrae familiae de christiana et civili re-

publica egregie meritae in aliquibus locis vel a proprii ordinis disciplina declinarunt, vel omnino extinctae fuerunt. Cum autem magnum emolumentum sanctissimae nostrae afferretur religioni, si hae sacrae familiae, ubi praesertim interierunt, denuo reviviscerent, et inter orientales nationes pristino fulgerent splendore, iccirco a vobis exposcimus, ut nobis significetis, quid de hac re sentiatis, et qua ratione huiusmodi sacrarum familiarum instauratio effici possit.

Persvasissimum nobis est, vos, ven. fratres, non solum hisce nostris desideriis ac postulationibus alacri ac libentissimo animo esse satisfacturos, verum etiam singulari diligentia exposituros alia omnia, quae ex vestra sententia ad maiorem in istis regionibus sanctissimae nostrae religionis, ac tum cleri tum populi fidelis utilitatem procurandam sint peragenda. Cum autem ex encyclica Cardinalis Praefecti nostrae Concilii Congregationis epistola noveritis, gratissimum nobis fore ven. fratrum Sacrorum Antistitum praesentia frui in solemni plurium Sanctorum canonisatione, quam proximo Pentecostes die Deo favente celebraturi sumus, tum ea spe nitimur fore, ut hac occasione, si vestrarum dioecesium rationes permittant, vos praesentes intueri, amanterque complecti, et a vobis ipsis earumdem dioecesium relationes accipere possimus. Interim vero pro eximia vestra pietate et eppali zelo pergite, ven. fratres, maiore usque alacritate et contentione ministerium vestrum implere, et omni studio vestrorum fidelium saluti prospicere, eosque etiam atque etiam monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, et omnia Dei eiusque S. Ecclesiae mandata religiose custodiant, et ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Consveta autem vestra benignitate eos paterno affectu excipite, qui cum ingenti animi nostri laetitia ad catholicae ecclesiae gremium redeunt, et omnem impendite curam, ut illi magis in dies amanter enutriti verbis fidei, et per gratiarum carismata confirmati in sancta vocatione immobiles permaneant, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, atque instent viam, quae ducit ad vitam. Ac pro egregia vestra religione numquam desinite omnia conari, ut in omni bonitate, patientia, doctrina, mansvetudine, lenitate miseros errantes Christo lucrifacere, atque ad unicum eius ovile reducere, et in spem aeternae haereditatis restituere possitis.

Inter angustias vero et difficultates, quae hisce potissimum asperrimis temporibus ab eppali vestro munere abesse non possunt, confidite in gratia D. N. I. C. prae oculis habentes, quod qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Denique, ven. fratres, pro certo habeatis, velimus, praecipuam esse, qua vos in Domino prosequimur, benevolentiam. Atque interim haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a Deo O. M. humiliter enixeque petere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vigilantiae vestrae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem et propensissimae nostrae in vos voluntatis pignus apost. benedictionem ex intimo corde profectam vobis ipsis, ven. fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus. Datum Romae die 8 April. 1862.

1236. *AEppus G. C. Leopoliensis Breve Apostolicum Clero suo communicat, et super ritualibus cum Latinis controversiis referri sibi iubet.* In apostolicae dignitatis apice positus omnesque dominici agri partes in Occidente et Oriente, in Austro et Aquilone quasi de montis vertice inspiciens, ac quidquid Ecclesiarum omnium conditioni et firmamento conveniat, diiudicans SS. Dominus noster *Pius* divina providentia *Papa IX*, gravissimam ad Antistites Ecclesiarum ritus Orientalis, gratiam et communionem cum Ap. Sede habentes nuper direxit encyclicam epistolam, quam festinamus vobis, dilectissimi in Christo fratres, in notitiam deducere, ut Suae Sanctitatis apostolicam benignitatem, curam et sollicitudinem sicuti erga Occidentales ita etiam erga Orientales, et inter hos quoque erga nos Ruthenos non tam perspiciatis quam potius manibus palpetis. *(Tenor Encyclicae.)* — Haec itaque plena apostolici zeli verba Beatissimus Pater Pius PP. IX *ex altissima in universam Ecclesiam*, sangvine amantissimi generis humani Redemtoris Iesu Christi acquisitam, *Primatus sui Romana Sede* nobiscum communicare dignatus est; ex quibus habemus, quod unitati catholicae ecclesiae nihil plane adversetur multifex sacrorum legitimorumque rituum varietas, quodque hi varii ac legitimi ritus ad ipsius Ecclesiae dignitatem, maiestatem, decus et splendorem augendum conducant. Quare etiam S. Sedes Romana Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos

nullus circa catholicam fidem vel morum honestatem irrepsisset error, sartos tectosque habet, neque intendit, ut Orientales in unitate catholica suos legitimos ritus mutent, aut eos deserant, ac illum Latinae Ecclesiae amplectantur. Imo Sua Sanctitas aperte declarat, contrarias assertiones esse calumniam, qua malevoli homines imperitos decipere, eorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra Ap. Sedem excitare conantur. Interprete iam omni exceptione maiore, utpote ipso supremo Ecclesiae Catholicae Legislatore, ipsa Sanctitate Sua hic et non alius est sensus Constitutionum et apost. Literarum, ad ecclesiastica Orientalium negotia spectantium, quibus tum vetera tum recentia facta respondent, quale nuper vidit universa CPna civitas ex occasione renovatae per AEppum Dramensem Meletium unionis Bulgarorum cum S. Romana Ecclesia. Quae ex literis Sanctitatis Suae repetere putavimus ideo, ut secundum requisitionem Suae Sanctitatis vobis etiam atque etiam inculcemus, quatenus haec exponantur a vobis populis curae vestrae concreditis fine consolidandi eos eo magis in unitate catholica; quod e sacro suggestu facietis, et quatenus contrariam calumniam detegatis ac refellatis, quae teste tristissima experientia non colligit sed dissipat, non bonum Ecclesiae Catholicae respicit, sed longe alia consilia meditatur. Reassumens illam praedecessorum suorum quoad Orientales Ecclesias earumque legitimos ritus oeconomiam Sanctitas Sua ab ipso supremi sui pontificatus initio literis suis sub 8 idus proximi mensis Ianuarii editis et annulo piscatoris obsignatis in perenne documentum, quam vehementer sibi cordi sit Orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas et prosperitas, constituit peculiarem ex Congregatione Fidei Propagandae Congregationem, quae eidem Congregationi Fidei Propagandae etc. *ut in Brevi.* — Quis vestrum, dilectissimi in Christo fratres, non videt ex dictis saluberrimam destinationem neo institutae a Sua Sanctitate specialis Congregationis pro Orientalibus? quis exinde non intelligit, bonum, utilitatem et prosperitatem Orientalium Ecclesiarum vehementissime Suae Sanctitati cordi esse? Nobis profecto restat Deum orare, ut iis, quae Sua Sanctitas plantavit, det incrementum. Neque nostra ex parte in ferendo illo adiutorio possumus tardare, quod Sua Sanctitas a nobis requirit, ut haec Congregatio optime noscat spirituales nostrae Ruthenae

nationis indigentias, quibus opportune et provide sit consulendum, atque omni cura et industria demandatum sibi munus exercere, suosque labores et studia in maiorem Ecclesiae nostrae Ruthenae prosperitatem conferre possit. Requisitiones istae habentur in praesenti epistola Suae Sanctitatis specificatae, utque eis satisfacere valeamus, necessarium duximus de nonnullis adhuc vestras habere informationes ex immediata observatione, experientia et intuitione rerum locali promanantes, et quidem circa sequentia obiecta : a) Quae in ipsius cleri nostri educatione secundum indigentias nationis et ritus nostri graeco-slavici adhuc desiderentur? b) Numne praelectiones saltem aliquarum et quarum praeprimis materiarum theologicarum in lingvis ecclesiastico-slavica et ruthena ad maiorem dexteritatem cleri nostri obeundi munia sua spiritualia et ecclesiastica magis conducerent, quam obtinentes modo in lingva latina praeter illas unicas ex theologia pastorali? c) Qui sunt defectus librorum pro combibendo studio theologico in praesentiarum praescriptorum? d) Quare in lingva nostra patria non habeantur sufficientes libri pro aedificatione populi fidelis in doctrina religiosa? e) Quae facerent ad pietatem morumque probitatem populi nostri quotidie magis confirmandam et excitandam? f) Quid adiuvaret maiorem frequentiam scholarum nostrarum nationalium ex parte iuventutis? g) *Numne in scholis nationalibus his, quae etiam a fidelibus nostri ritus sustentantur, sed sub inspectione Consistorii AEppalis ritus latini existunt, iuventus ruthena ritusque noster non experiantur damna?* h) *Quas deformitates, contradictiones, et discrepantias per singulas nostras Ecclesias attraxit ritus noster ex illo imprudente zelo, eum in favorem Polonorum latinisandi?* i) *Quae S. Unio nostra experitur impedimenta, quominus eluctari possit ex sua debilitate, et in oculis Occidentis et Orientis nec non ipsorum Unitorum debitam sibi nanciscatur aestimationem et venerationem, qua olim Ecclesiae Orientales communionem cum S. Sede Romana foventes fruebantur; quibusque opportunioribus modis huiusmodi impedimentis efficacius occurri posset, ne circumdantes nos Orientales a praefata communione separati scandalum et ansam sumant perhorrescendi sacram Unionem et Latinos, ac si iidem sacram unionem tractarent qua medium eo facilius obtrudendi Orientalibus et speciatim nostris Ruthenis latinum ritum, eos-*

que huic ritui postpositis omnibus legibus ecclesiasticis aggregandi? Hic accludendae sunt consignationes eorum, qui ex ritu nostro in singulis Curatiis illegaliter ad ritum latinum per clerum polonum suscepti sunt cum provocatione ad testimonia librorum matricularium, quod ad ritum nostrum pertineant. Insuper exhibendum est, num in matrimoniis mixti ritus partes ritus nostri per clerum polonum non latinisentur, numque idem clerus non adversetur ineundis matrimoniis mixti ritus, quando non praevidetur latinisatio partium nostri ritus? k) *Qualia adhibentur a clero polono media, cuiusque generis argumentationes adducuntur, ut fideles nostri ritus permoveantur transire ad ritum latinum?* l) *Num Clerus polonus ritus latini ritum nostrum debite aestimet, et observare soleat Constitutiones Apostolicas, quae correlationes utriusque ritus ordinarunt?* m) *Num ius patronatus et praesentationis, quod domini terrestres latini ritus super Ecclesias nostras ruthenas exercent, tractetur ita, prouti iuxta praescripta Ecclesiae tractari deberet, numque fundationes Ecclesiarum nostrarum in agris ex parte dominorum patronorum non violentur? Unde promanant cavillationes et denuntiationes Polonorum, quod Rutheni graecocatholici in Galicia gravitent ad schisma Orientale et ad Moscovitismum?* n) *Num ad eas faciendas non intercedant politicae combinationes Polonorum, quas sub specie religionis et catholicitatis fieri notavit Sanctitas Sua in literis ad AEppum Leopoliensem ritus latini die 17 Martii 1862 datis, ut nempe tali ratione Rutheni in Galicia priventur gratia S. Sedis Romanae et Regiminis Austriaci?* De his et aliis similibus cupimus informari, et quidem eo magis, quia Consistorium nostrum Metropolitanum huius generis querelis vestris obruitur, in quibus vos ipsi auxilium S. Sedis Romanae implorandum esse iudicatis, ut desuper certam notitiam Sanctitati Suae praestemus, quatenus malo obex ponatur. Itaque ordinamus, ut non solum singuli vestrum sed etiam Decanales vestrae Congregationes, per Decanos ad hoc quantocius convocandae, re omni ex parte trutinata conscientiosa responsa ad propositas quaestiones nobis sine mora exhibeant, quatenus ad eas relationem nostram Suae Sanctitati substernendam conformemus. Denique provocamus religiosissimum Provincialem Ordinis ritus nostri S. Basilii M. ut capto communi consilio cum suis secundum ea, quae in lite-

ris Sanctitatis Suae de instauratione huius Ordinis dicuntur, nobis relationem exhibere festinet. Participes facti orationum et obsecrationum Suae Sanctitatis, ut Deus O. M. uberrima quaeque suae bonitatis dona super nos propitius semper effundat, nec non benedictionis apostolicae, vicissim non intermittamus omni ardore cordium nostrorum Deum exorare, ut Sanctitatem Suam Pium PP. IX concedat sanctis suis Ecclesiis in pace sospitem, honorabilem, incolumem, longaevum, recte dirigentem verbum suae veritatis. — Leopoli die 25 Maii 1862. Gregorius.

1237. *AEppus Leopoliensis ritus latini, literis praeviis excitatus, vicissim relationes congruas de differentiis ritualibus a Clero suo deposcit.* Frequentissimae et ad solvendum durissimae erant suntque praesertim hodie in exercenda cura animarum illae difficultates, quas in ambitu huius ADioeceseos gignere solet incertitudo circa ritum, et eo ipso circa parochum, ad quem magna multitudo fidelium sive e matrimoniis mixti ritus progenitorum, sive in alterutro ritu de facto baptisatorum et educatorum, legitime annumeranda sit. Incertitudo haec mater est maxima subinde cum animositate inter Clerum latini et graeco-catholici ritus agitatarum quaestionum, vindicationem unius eiusdemque personae pro utroque ritu intendentium. Inde tot et tantae utraque ex parte de violatione iurium parochialium per illegaliter benedicta matrimonia, per administrationem sacramenti baptismi, per sepulturas mortuorum, per inscriptiones talium actuum in non proprio ritui respondentes libros matriculares, denique per iniuste sibi appropriatos proventus e iuribus stolae, apud ecclesiasticas et civiles instantias acriter agitatae querelae. His satagebant opem medelamque ferre Antistites latini et graecocatholici ritus iam illo ex tempore, quo Praesules Rutheni dioecesium Leopolitanae et Premisliensis in capite et membris cum sancta Romana Ecclesia sese unitos declaraverunt; ex illo inquam iam tempore reliquerunt pii docti zelosique praedecessores nostri vestigia sollicitudinis circa definiendum modum, quo promiscue cum catholicis latini ritus his in oris viventes unionemque cum S. Ecclesia Romana profitentes Rutheni matrimonia inire, proles educare, omnibusque religionis catholicae officiis salvo ritu sive latino sive graecocatholico satisfacere possent. Cum multiplicibus zelosisque eorum conatibus effectus nequaquam responderet, sopiendi huius negotii causa, agente piae memoriae AEppo Leo-

poliensi r. l. Luca Equite Baraniecki, facta fuit inter Galicienses Eppos omnes latini et graecocatholici ritus A. 1853 solemnis *Conventio*, substrataque pro confirmatione SS. Papae Pio IX. Cardo rei in Conventione hac versatur circa sequentia: a) statuatur fixum tempus; ritus, quem hoc fixo tempore fideles tenere adinvenientur, erit in futurum eorum legitimus, nullo pacto arbitrario permutandus; b) in matr. mixtis baptisandae et educandae sunt in futurum omnes sine sexus discrimine proles iuxta ritum patris; c) ritus, quem tempore supra expresso quis sequebatur, nonnisi accedente facultate Sedis Ap. mutari potest. Respectu huius puncti dilucidationis causa observamus, quod ab Eppis Galiciensibus acceptari et in hac forma proponi debuit; nam dum constans est S. Romanae Ecclesiae norma, transitum a latino ritu nonnisi accedente S. Sedis facultate posse admitti, eapropter similem restrictionem denegare impossibile erat RR. Eppis Graecocatholicis: hi enim provocantes ad rescriptum Papae Urbani 8 dd. 7. Febr. 1624, porro ad bullam Papae Benedicti 14 dd. 26. Iul. 1755 ‚Allatae sunt,' denique ad resolutionem a Congr. de Prop. Fide sub 2 Apr. 1803 Eppo Premisliensi ritus g. c. Angielowicz ex mandato Papae Pii 7 datam demonstrare satagebant, transitum a graecocatholico ad latinum ritum iam ab antiquis temporibus nonnisi a facultate a S. Sede Ap. impertienda dependisse. Haec igitur mutua Epporum Galiciensium utriusque ritus Conventio a SS. D. N. Pio IX sacrae Congregationi de Prop. Fide ad tractanda negotia Orientalium cum S. Sede in communione viventium destinatae pro muneris functione tradita, antequam definitive resolvi poterit, praestanda est adhuc opinio super sequentibus, nobis a Sua Exc. RR. AEppo Tarsensi Antonino de Luca Nuntio Ap. Vindobonae residente communicatis, quinque dubiis: 1. An consultius foret, ad periculum aeternae perditionis praecavendum facultatem parochis facere baptisandi proles alterius ritus, si praeter casum necessitatis ob imminens vitae periculum alia impedimenta, prout e. g. hyemis inclementia, locorum distantia, itineris difficultas obstent, quominus baptisma a proprio sacerdote administrari possit? Agitur enim de Sacramento aeternae animarum saluti necessario, cuius administratio ex mente Ecclesiae Cath. diu procrastinari non debet ob repentinos casus, qui semper incidere possunt. Quapropter RR. utriusque ritus Antistites viam

rationemque proponant, eo, ut pro locorum adiunctis, et quin occasio contentionibus et dissidiis praebeatur, infantes non tardius quam deceat salutari regenerationis lavacro abluantur. 2. An a Ruthenis consvetudo, quae apud ceteros Orientales viget, servetur, praesentandi ad baptismum pueros infantes post quadragesimum, puellas vero post octogesimum a nativitate diem? 3. An usu apud Ruthenos receptum sit, parochos tam latinos quam ruthenos absque speciali venia proprii Eppi rite et legitime mutuo sibimet delegare ius baptisandi infantes alterius ritus? 4. Cum in articulo C. §. 11. superius memorati schematis de concordia statuatur, ut in locis thaumaturgis a presbyteris latinis invitentur tot rutheno-catholici presbyteri, quot sufficere possint consecrationi et distributioni S. Eucharistiae pro fidelibus ruthenis in loco thaumaturgo confessis, quanam de causa nulla fit mentio de locis thaumaturgis rutheno clero commissis, et de invitatione latinis presbyteris facienda, ut pari vice eucharisticum panem consecrent et distribuant proprii ritus fidelibus? 5. An timori sit locus, ne dissidia intestina in privatis familiis exoriri possint ex praxi iuxta Conventionis schema noviter inducenda circa religiosam educationem prolis ex matrimoniis mixti ritus procreatae, nempe ut in posterum cuncta proles hac in re ritum patris sequi debeat? Cum de re tam gravi agatur, RR. Eppi pro ea qua praefulgent prudentia sententiam exquirant parochorum in unoquoque districtu, si hoc commode fieri poterit. Hac ratione probabilis coniectura fieri poterit, an proposita innovatio damnosa vel utilis sit evasura. Ut vero responsa nostra pro possibili praxi e cura animarum depromtae accomodare possimus, provocamus officium Decanale, quatenus Clero suo condecanali (optimum foret in unum locum convocando) dubia superius notata exponat, et sensa eorum circa singula scripto exaranda nobis tanto celerius submittat, quod nos ipsi ad festinam responsionem provocati extiterimus.

Dum vero in his a S. Sede Apostolica dirimendis negotiis opinionem Cleri in cura animarum laborantis exploramus: vel invite attenti reddimur ad similem praxim a Sua Exc. D. AEppo Metropolitano Leopoliensi ritus gr. cath. Barone Gregorio Iachimowicz medio literarum encyclicarum ad Clerum ritus g. c. die 25 Maii a. c. directarum introductam. In his literis alloquitur Exc. D. Metropolita suum clerum sequenti orationis contextu:

— (Necessarium duximus etc. *ut supra.)* — Ex his clarum est, *quod in tot et tantis a RR. Metropolita in ius vocati materialia defensionis accusationi ad amussim respondentia colligere et in promtu possidere obligemur.* Provocamus igitur officium Decanale, ut clero suo condecanali nunc exposita quaesita Rev. ac Exc. Metropolitae Iachimowicz nota faciat, singulosque provocet, ut nobis observationes suas circa sequentia saltem scripto exarandas substernant: a) Exhibendi sunt conatus Cleri gr. cath. Galiciensis pertrahendi fideles ritus latini posthabitis omnibus legibus ecclesiasticis ad ritum graeco-catholicum. Hic accludendae sunt consignationes eorum, qui ex ritu nostro in singulis Curatiis illegaliter ad ritum gr. cath. per clerum respectivum suscepti sunt, cum provocatione ad testimonia librorum matricularium, quod ad ritum nostrum pertineant. Insuper b) exhibendum est, num in matrimoniis mixti ritus partes ritus nostri per clerum gr. c. a latino ritu non alienentur, numque idem clerus non adversetur ineundis matrimoniis mixti ritus, quando non praevidetur pertractio ad ritum gr. c. partium nostri ritus? porro quibus aliis adhuc de causus et quibus mediis clerus ritus gr. c. eiusmodi matrimonia mixti ritus impedire conetur, et qualia incommoda partes nostri ritus quoque inde experiantur? Hic quoque specificandi sunt casus, in quibus clerus gr. cath. illegaliter vel etiam invalida matrimonia benedixit, altero vel etiam utroque sponso ritum latinum profitente. c) Qualia adhibentur a clero gr. cath. media, cuiusque generis argumentationes adducentur, ut fideles nostri ritus permoveantur transire ad ritum graecum? d) Num clerus ritus gr. c. ritum nostrum debite aestimet et observare soleat Constitutiones Apostolicas, quae correlationes utriusque ritus ordinarunt? e) Unde promanant oblatae Clero Galiciensi ritus gr. c. criminationes, quod ad schisma Orientale et ad Moscovitismum gravitet? et ex adverso, unde provenit cleri ritus gr. c. passim erga ritum et clerum latinum animositas? num ad illam non faciant politicae et nationales Ruthenorum combinationes? f) Exprimantur factae a vobis observationes de impressionibus, quas recenter inductae per clerum gr. cath. circa gr. c. ritum innovationes in populo fideli tam gr. c. quam latini ritus produxerunt. g) Item exponantur causae, ob quaspassim fideles ritus gr. cath. p raesertim recentissimis temporibus ad ritum latinum transire valde exoptent. h)

Exhibeatur quoque, num oborta proh dolor! recenti tempore huc illuc dissidia inter Clerum utriusque ritus ipsum quoque populum fidelem affecerint? Ad hasce quaestiones singuli parochiarum rectores, in quantum ipsis suberit materia, seorsim sua dabunt responsa, sermone latino exaranda, et sine ira et studio explananda. Non sufficient autem generales duntaxat assertiones, sed adducenda erunt facta et dicta cum denominatione personarum agentium aeque ac testium sive immediatorum sive mediatorum. — Leopoli, die 4 Nov. 1862. Franciscus Xav. AEppus.

1238. *Conventio inter AEppos Leopolienses L. et Gr. R. de ritibus.* Ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quae in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae varietatem, nec non ratione mutuarum relationum inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus inde promanantium non absque christianae charitatis dispendio atque animarum detrimento agitabantur, optimo sane consilio utriusque ritus antistites conventionem seu concordiam sub die 23. Decembris 1853 ineundam censuerunt, quam deinde S. Sedis placito subiiciendam curarunt. Propositam itaque conventionem, cuius examen peculiaribus de causis differri debuit, tandem ex mandato SSmi. D. N. Pii PP. IX. Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis ab eodem Pontifice nuper instituta ad trutinam revocavit in generalibus comitiis habitis die 4. et 12. Augusti 1862, in quibus eiusdem conventionis articulos singillatim expendens, quoad aliquos satius duxit ab Ordinariis dioecesanis illius provinciae ecclesiasticae necessarias declarationes fore in antecessum exquirendas.

Quod quidem munus commissum est Apostolico Nuntio Vindobonae commoranti, qui laudatos Ordinarios de praedictis declarationibus interrogare non destitit; sed cum inter responsionum moras acceptum fuerit in eadem provincia liturgica ac ritualia dissidia non solum non extingui, quin imo quotidie vehementius accensa effervescere, hinc sapientissimo quidem consilio die 2. Martii huius anni Pontificiae literae datae sunt ad Leopolienses Archipraesules latini ac rutheni ritus eorumque suffraganeos excitandos, ut scilicet averti mala, quae ex huiusmodi dissidiis Religioni et animarum saluti impendebant, ac opportuniora, cum citius fieri posset, remedia proponi satagerent, nec non etiam aliquem ecclesiasticum virum Romam mittendum cu-

rarent, qui de memoratis liturgicis et ritualibus controversiis Apostolicam Sedem magis magisque certiorem faceret.

Huiusmodi invitatione libentissime accepta ipsimet antistites haud ulla interiecta mora Romam se contulerunt, quorum aliqui plenam de rerum suarum statu relationem SSmo. D. N. humillime exhibuerunt, universi vero Emo S. Congregationis Praefecto requisitas explicationes super propositam concordiam diligenter tradiderunt.

Hisce mature perpensis, eumdem Emum S. C. Praefectum cum duobus item Emis Patribus deputari optimum visum est, coram quibus, omnia deinde in generali Sacri Ordinis conventu relaturis, Leopoliensis utriusque Ecclesiae praesules suos sensus liberrime patefacerent, et quod scripto tradiderant fusius explicarent, et si quid etiam uberius addendum oretenus foret, fidenter exprimerent.

Hanc quidem sibi propositam agendi rationem praelaudati antistites nimirum RR. PP. DD. Franciscus Xaverius Wierzchleyski Archiepiscopus Leopoliensis latini ritus, Thomas Polanski Episcopus Premisliensis ritus graeci catholici, Spiridion Litwinowicz Episcopus Canatensis et Archidioecesis Leopolitanae ritus rutheni vacantis Administrator Apostolicus, ac Iosephus Hoppe Praepositus Ecclesiae Cathedralis Premisliensis ritus latini et Sede vacante Vicarius Capitularis grato animo susceperunt, atque explicationibus ultro citroque porrectis, tandem die 17. Iulii 1863 de controversis articulis unanimiter convenientes superius memoratae Concordiae schema quoad nonnulla immutatum, assentiente etiam, nonnullis tamen animadversis, R. P. D. Iosepho Aloisio Pukalski, hodierno episcopo Tarnoviensi, qui Concordiae tabulis anno 1853 exaratis subscripserat, eo quod intra limites eiusdem dioeceseos plura Ruthenorum millia Premisliensis antistitis iurisdictioni obnoxia commorentur, S. Congregationis iudicio iterum subiiciendum postularunt. Quae sane omnia una cum universis declarationibus ab ordinariis Leopoliensis Ecclesiae, uti superius relatum est, editis proposita sunt in generali conventu diei 30. Septembris anni vertentis, ubi Emi Patres novas Conventionis tabulas in singulis partibus rite excussas paucis variatis probandas censuerunt.

Hanc vero Emorum Patrum sententiam infrascriptus Se-

cretarius in Audientia habita die 6. mensis huius Octobris SSmo Domino nostro retulit, qui eamdem Apostolica auctoritate confirmans antedictam Conventionem per hoc S. C. decretum approbari mandavit iuxta sequentem tenorem :

A) Sub respectu transitus ab uno ad alterum ritum.

„a) Quilibet in suo nativo ritu permanere tenetur, et arbitrarius iam permultis tum ad Missionarios et fideles Orientis, tum ad oras nostras directis Constitutionibus et Decretis reprobatus transitus, denuo ac severissime prohibetur et quocumque modo ad effectum deductus irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat. Attamen quoniam aliquando urgens necessitas forsitan expostulat, vel rationabiles causae suadere possunt transitum de uno ritu ad alium, idcirco in hisce casibus ritus mutationi fiet locus, sequenti tamen methodo religiose servata. Ille qui ex uno ad alium ritum transire cupit, preces proprio Ordinario Dioecesano porriget, causas, quae ritus mutationem suadent, accurate et fideliter exponens. Ordinarius scripto tenus sententiam suam super petitione et causis aperiet; hoc autem documentum exhibebitur Ordinario alterius ritus, ad quem transitus expostulatur; atque hic etiam suam sententiam scripto significabit, et omnia transmittet ad S. Sedem, quae vel per se, vel per suum delegatum decernet, utrum transitus permittendus sit nec ne. In casibus autem urgentibus, qui moram non patiuntur, Ordinarius illius ritus, ad quem transitus exposcitur, audito, methodo superius enunciata, Ordinario alterius ritus, a quo dimittendus est Orator, transitum admittet provisorie et sub conditione, si a S. Sede transitus hic confirmabitur. — b) A die publicationis initae Concordiae in unaquaque Dioecesi utriusque ritus faciendae terminus sex mensium praefigitur, intra quem licitum erit partibus, quae arbitrario ritum mutarunt, ad ritum suum redire, atque hoc desiderium Episcopo utriusque ritus partes eaedem insinuabunt. Praedicto autem termino elapso, illi qui hac facultate usi non fuerint, si laici sint, in ritu illegaliter assumto ex Apostolico indulto perpetuo manebunt, si vero sint Ecclesiastici, ad S. Sedem singillatim recurrant, ut provideat. — c) Ab eodem die publicationis Concordiae, si sacerdos sive latini sive rutheni ritus quempiam

illegitime transeuntem sciens et volens ad suum aggregaverit ritum, aggregatio talis sit nulla et irrita; et insuper sacerdos, qui hoc grave piaculum admiserit, si regularis sit, obnoxius erit poenis statutis in Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Demandatam coelitus;* si vero sit e clero seculari sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est, praevio processu iudiciali; si operarius inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. Quod si quispiam celato nativo ritu, fidelibus alterius ritus se iungeret, et a sacerdote alterius arbitrario assumpti ritus obsequia expeteret et obtineret, subdolus ille actus, licet post decursum plurium annorum in lucem demum prodierit, sit nullus et irritus; sacerdos tamen, qui advenam suis ovibus inscius adnumerabat, insons declaretur, et nonnisi eumdem ad ritum nativum relegare teneatur. Si vero etiam indubitata de nativo advenae ritu obtenta notitia, obsequia spiritualia eidem praestare pergeret, iam sciens et volens talem advenam suo gregi adnumerare nititur: hinc poenis superius positis subiiciendus est."

B) Sub respectu functionum sacrarum sive liturgico.

„a) Utriusque ritus sacerdotes, qui censuris ligati non sunt, in Ecclesiis mutuis cum facultate rectoris Ecclesiae licite super altaribus sive consecratis, sive portatilibus, sive super antimensiis, ut in Ecclesia graeca moris est, singuli tamen suo ritu et sua lingua liturgica ex apostolico indulto missas celebrare possunt. — b) Pari modo offerre possunt sacrificium Missae in Oratoriis privatis canonice erectis aut sacellis cum licentia Episcoporum in pagis et coemeteriis reperibilibus sacerdotes utriusque ritus, ast semper praevia licentia Parochi, in cuius iurisdictione sacellum situm est. In Oratoriis latinorum sacerdotes latini ritus (iuxta Bullam Benedicti XIV, quae incipit *Imposito nobis)* tantum super consecrato altari vel super lapidea pariter consecrata tabula, non autem super antimensiis missas celebrare tenentur. — c) Si localis Ecclesiae rector censuerit devotioni et aedificationi fidelium id profuturum, ut in maiori populi concursu persolvatur devotio, nonnisi in altero usitato ritu, e. g. parasta-

sis, aut decantatio Evangeliorum tempore comitationis funerum, aut alia similia, nil obest, quatenus devotiones tales peragantur. Peragi autem debent nonnisi ab illis sacerdotibus, in quorum ritu devotiones illae usitantur, et remuneratio, quae a populo pro tali devotione offertur, non rectori Ecclesiae sed sacerdoti functionem peragenti cedat. — d) Non licet Sacerdotibus unius ritus in Ecclesia alterius ritus (nisi a respectivo parocho expresse invitati fuerint) benedictiones salis, aquae, frugum, thuris etc. peragere. — e) Visitare loca thaumaturga, (sive sub regimine latinorum, sive rutheno-catholicorum sacerdotum existant) cuilibet liberum maneat, sintque imagines aliaeque res in uno ritu venerabiles aequaliter etiam in altero ritu aestimatae."

C) Sub respectu administrationis sacramentorum.

„a) Nullus sacerdos proles alterius ritus baptizare praesumat, nisi necessitas ob periculum mortis infantis, aut hyemis inclementia, locorum distantia, itineris difficultas obstent, quominus baptisma a proprio sacerdote administrari possit. Baptismus autem in hisce rerum adiunctis collatus nullo modo ritus mutationem involvit, neque ad huiusmodi mutationem ullum praetextum aut colorem praebere poterit. Quilibet baptismum in praedictis necessitatis aut gravis difficultatis circumstantiis peragens sacerdos utatur rituali sui ritus. Sacerdotes vero rutheno-catholici proli ad latinum ritum spectanti sacramentum baptismi in iisdem commemoratis casibus administrantes, etiam confirmationis sacramentum conferre nullatenus audeant sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, salvis aliis poenis arbitrio Episcopi infligendis. Actus autem baptismi in necessitate vel gravi difficultate, ut supra, collati inscribatur in libro separato pro baptismate prolium alterius ritus, atque in eo adnotetur, quod baptizata proles ad alium ritum pertineat. Demum de collatione huius baptismi respectivus parochus via officiosa irremore informetur. — b) Fideles utriusque ritus apud sacerdotem latini vel rutheni ritus a suo Episcopo Ordinario adprobatum peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis valide ac licite obtinere possunt. Sacram vero Communionem nemo aliter ac in suo ritu sumat, scilicet latini sub una specie ac in pane azymo, rutheno-catholici sub utraque specie et in pane fermentato. Curent autem Episcopi ut in locis

thaumaturgis seu latinis seu ruthenis tot alterius ritus sacerdotes a parochis invitentur, quot sufficere possint ad Missam celebrandam et sacram Communionem distribuendam iuxta proprium fidelium sive ruthenorum sive latinorum ritum. — c) Matrimonio benedicit secundum antiquissimam in dioecesibus nostris vigentem consuetudinem parochus sponsae. Idem quoque in matrimoniis mixti ritus, ubi sponsorum unus est ritus latini et alter ritus rutheni, servandum, et talia matrimonia a parocho sponsae benedicenda sunt, nisi ambo sponsi contrarium petierint. In benedicendis talibus matrimoniis tempus sacratum, quod in utroque ritu diversum est, observari debet, et ne conscientia alterutrius sponsi laedatur et aliis fidelibus scandalum praebeatur, cavendum quoque est, ne benedictio matrimonii in diem, ieiunii in hoc vel in altero ritu praescripti incidat. — d) Si ad infirmum sacramentis providendum proprii ritus sacerdos haberi nequit, potest illi etiam alterius ritus sacerdos extremam unctionem oleo sacro in suo ritu usitato administrare; sacrum vero Viaticum etiam infirmis nonnisi iuxta eorum ritum a proprii ritus sacerdote porrigi debet. Deficiente autem sacerdote proprii ritus valeat ex Apostolico indulto latinus a presbytero rutheno in fermentato, et ruthenus infirmus a presbytero latino in azymo sacrum Viaticum accipere.— Nec baptismus a sacerdote alterius ritus urgente necessitate, vel in gravi difficultate, ut supra dictum est, collatus, nec confessio peccatorum coram tali sacerdote facta, nec sacra Communio ex ignorantia sive inadvertentia aut consilio ritum mutandi iuxta alterum ritum sumta, nec denique sacramentum extremae unctionis ab alterius ritus sacerdote in articulo mortis obtentum, transitum ab uno ad alterum ritum producere possunt.“

D) Sub respectu ineundorum matrimoniorum et educationis prolium.

„a) Matrimonia inter rutheno- et latino-catholicos praepedire non licet. De talibus vero Matrimoniis ineundis proclamationes in Ecclesiis utriusque ritus omnino instituendae, nonnisi tunc promulgari incipiant, si sponsi utriusque ritus conditiones lege praescriptas impleverunt. Eo fine sponsus a suo parocho scripto exaratam contestationem expetat, qua confirmetur, omnes praescriptas conditiones ex parte sponsi esse adimpletas, et incho-

andis proclamationibus intenti matrimonii nil obstare. Hanc contestationem parocho sponsae admanuabit, et similem contestationem intuitu sponsae ab eodem obtentam, parocho suo adferendam habet. Adquisita hoc modo certitudine de adimpletis conditionibus, uterque parochus ad inchoandas proclamationes procedat. Graviter reprehendatur sacerdos proclamationes ideo protrahens aut impediens, quod pars ad eius ritum spectans, alterius ritum sponsum sive sponsam sibi elegerit, aut qui ex hac causa testimonium bannorum sine mora extradare, aut demum tali testimonio non producto, matrimonio benedicere praesumeret. — b) Iuxta antiquam praxim, prout iam superius notatum, benedicit matrimonio parochus sponsae. — c) In posterum ubique proles e matrimoniis mixti ritus progenitae educabuntur in ritu parentum iuxta sexum. Ad evitanda autem gravia incommoda in familiis mixti ritus, per dispensationem ab Ordinariis impetrandam facultas fiat, dies festos et ieiunia observandi iuxta unum eumdemque ritum, si ita parentes inter se conveniant, quin exinde ritus ipsius mutatio ullo modo deduci valeat. In matrimoniis tamen clericorum Ruthenorum abhinc universa proles sequi debebit ritum patris, atque uxor latina per dispensationem ab Ordinario impetrandam facultatem obtineat, festos dies et ieiunia servandi iuxta ritum ruthenum. Episcopi pariter dispensare poterunt cum famulitio in familiis mixti ritus substentato, ut circa ieiunia et festos dies sese accomodent conventioni inter coniuges, ut supra dictum est, initae; et diebus dominicis et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus devotiones in Ecclesia sui nativi ritus tam coniuges ac filii quam famuli peragere possunt. Praedictas vero dispensationes Ordinarii concedent tamquam Apostolicae Sedis delegati. — d) Quia vero lex retro non agit, idcirco si certo constiterit, alicubi matrimonia ea lege contracta fuisse, ut universa proles ritum patris sequatur, subsistens usus ad evitandas in familiis et actis parochialibus confusiones, impertita sanctione a Summo Pontifice, ultro servetur. — e) Illegitimae proles sequantur matris ritum.“

E) Sub respectu mutui adiutorii.

„a) In baptizando adiutorium non feratur nisi in casu urgentis necessitatis aut gravis difficultatis, prouti iam superius notatum est. — b) Omnis sacerdos a suo Ordinario adprobatus

et a respectivo Ecclesiae rectore requisitus, absque ritus discrimine fidelium confessionem audire, et eosdem a peccatis licite et valide absolvere potest. In assignandis satisfactionis operibus ratio diversitatis ritus habeatur, et nonnisi talia eligantur opera, quae in ritu poenitentis sunt usitata. Nulli sacerdoti, ad hoc non auctorizato, absolvere a reservatis ab Ordinariis licebit. Hoc fine omnes Ordinariatus casus a se reservatos informandi cleri causa sibi invicem communicabunt. — c) Absque proprii parochi requisitione nullus sacerdos mortuos alterius ritus sepelire praesumat. Si fideles mortuos suos in coemeterio alterius ritus sepelire optant, sepulturae non impediantur. Si ad sepulturam talem proprius parochus advenerit, proni sint sacerdotes alterius ritus, usum campanarum, luminarium, feretri etc. concedere erga iustam remunerationem ei, ad quem pertinent, praestandam. Funebralem devotionem aut catechizationem iuventutis in Ecclesia alterius ritus peracturus sacerdos de secuturo suo adventu rectorem huius Ecclesiae praevie informare tenetur, qui curare obligatur, ut et Ecclesia patefiat, et peragendae devotiones parochiales ita ordinentur, ut cum secutura devotione alterius ritus non coincidant et se invicem turbent. — d) In solemnibus processionibus pulsus campanarum mutuo et gratis concedatur. — e) Generatim iura parochialia e. g. circa domorum, esculentorum, pascalium etc. benedictionem nemo involare praesumat. — f) Episcopis suas Dioeceses canonice visitantibus, etiam sacerdotes alterius ritus honorem et obsequia spiritualia prompte praestent. — g) Ne inter sacerdotes latini et rutheni ritus in processionibus, sessionibus et aliis solemnitatibus ecclesiasticis simul peragendis, de praecedentiae ordine controversiae oriantur, quibus charitas et mutua animorum concordia turbetur, decretum S. Congregationis Rituum datum 16 Februarii 1630, quo in causis praecedentiae inter Episcopos latini et Episcopos graeci ritus uniti statuitur, nullam aliam rationem, ceteris paribus, inter illos habendam esse, quam antiquitatis eorum promotionis ad Episcopatum, permittente Sanctitate Sua, pro norma in posterum habebitur ab universo utriusque ritus Clero ita, ut ad designandam prioritatem in eiusmodi solemnitatibus simultanee peragendis non ritus diversitas, sed tempus ordinationis aut qualitas Ecclesiasticae dignitatis consideretur.“

Post haec Sanctitas Sua, cui apprime perspectum est ar-

ctissimis charitatis vinculis Leopolienses praesules inter sese coniungi, et singulari zelo erga oves sibi concreditas inflammari, eosdem vehementer hortatur, ut toto animo incumbere pergant ad concordiam in suis dioecesibus stabiliendam, et illud certum exploratumque habet ope huiusmodi conventionis praeteritas controversias omnino diremptas iri, et hinc plurima bona et iucundae pacis, quae a Deo est, uberrimos fructus Latinis et Graecis ecclesiasticae provinciae Leopoliensis fore obventuros. — Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis die 6. Octobris 1863. Al. Card. *Barnabo*, Praef." Ioannes *Simeoni* a secretis.

1239. *Literae Card. Praefecti Congr. de Propag. ad dictos AEppos. 1864.* „Illustrissime ac Reverendissime Domine! Periucundum mihi est Amplitudini tuae transmittere typis impressum decretum diei 6. Octobris anni proxime elapsi, quo SSmus D. N. Pius Papa IX iuxta sententiam ab Emis huius S. C. Patribus editam in generalibus comitiis habitis die 30. Septembris eiusdem anni approbari mandavit novas conventionis tabulas ab Ordinariis Ecclesiasticae provinciae Leopolitanae exaratas ad *pacem* et *concordiam* inter ecclesiasticos viros latini ac Rutheni ritus *servandam* ac *fovendam*. Iam porro Sacra haec Congregatio ultro sanciendos censuit propositae conventionis articulos nonnullis dumtaxat peractis *immutationibus*, ut videre est in decreto superius memorato et hisce literis adnexo. Eidem S. Congregationi admodum acceptum erit, ut quilibet in sua dioecesi Episcopus, eo quem aptiorem existimaverit modo, curet certiores reddendos confessarios alterius ritus circa conscientiae casus, quorum absolutionem sibi reservandam iudicavit. Attenta autem antiqua istarum dioecesium consuetudine, quae non absque gravi perturbationum discrimine tolli posse affirmatur, retinendi scilicet in nonnullis Ecclesiis sub *eodem tabernaculo* SS. Eucharistiam sub speciebus sive azymi sive fermentati, Smus D. Noster indulget, ut huiusmodi *Consuetudo* in praesentiarum *toleretur*, modo tamen sedulo *removeantur abusus*, qui ex ista promiscua asservatione possent exoriri, sicuti ex. gr. ille foret, quo latinus sacerdos extrahat Sacramentum Eucharistiae in fermentato vel ruthenus in azymo fidelibus alterius ritus communionem administraturus. Sic etiam abusivus mos ille censendus, quo latinus sacerdos idem sacramentum in azymo conferat fidelibus.

graeci ritus, et vicissim ruthenus sacerdos in fermentato praebeat fidelibus latini ritus. Hoc enim non ad lubitum conceditur, sed tantum *urgenti gravi necessitate*, qua iuxta articulum C. §. d. Ruthenis id licere asseritur ad modum simplicis declarationis, latinis vero ex Apostolico indulto permittitur. Haec ex mandato S. Congnis significanda erant Ampl. Tuae, quam Deus diutissime sospitet. — Datum Romae ex Aedibus S. Cognis de Propaganda Fide pro negotiis ritus Orientalis die 25. Ianuarii 1864. — *Religio.* Pestini 1862. I. nr. 8. 9. — **Moy** *Archiv für kath. Kirchenrecht.* IX. 199. ss. — *Circul. Iaurinenses.* 1864. p. 103.

1240.

Pius IX PP. Eppos **Portugalliae** hortatur ad munus Eppale sancte explendum, et ad causam iuraque Ecclesiae ac Sedis Apost. strenue defendenda. 1862. (Ex ital.)

MON. Quo graviora ex nefariis adversariorum machinationibus sanctissimae Religioni nostrae, fideliumque incolumitati imminent mala, eo alacriorem in iis propulsandis operam impendere debent Episcopi, a quibus ipsa Religio omni studio est propugnanda et salus fidelium procuranda. Itaque inter maximas, quibus premimur, acerbitates, summo certe dolore afficimur, noscentes, Dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! in qua deploranda sane conditione in isto Regno Catholicae Religionis, et Ecclesiae res versentur, quin pateat, eam a Vobis in gravissimo Episcopatus munere obeundo adhiberi vigilantiam, et fortitudinem, quam si semper, in hac praesertim temporum iniquitate et ipsius muneris vestri officium, et Ecclesiae catholicae causa, et commissorum Vobis fidelium salus omnino exposcunt. Quocirca, pro Apostolici ministerii Nostri debito, de spirituali bono fidelium istorum admodum solliciti et anxii, non possumus, quin vos etiam atque etiam excitemus et hortemur, ut omnes Episcopalis Officii vestri partes summa cura et constantia studiosissime implere velitis. Ad vos enim, qui in partem sollicitudinis vocati estis, cuius plenitudo Nobis commissa

est, maxime pertinet, integrum custodire, ac inviolatum sanctissimae fidei, et sacrae doctrinae depositum; et Ecclesiae catholicae, atque huius Apost. Sedis causam, iura ac leges strenue tueri, defendere, ac toto animo illis fortiter obsistere, qui ipsam Ecclesiam, et Sedem, earumque iura legesque oppugnare conantur. Muneris vestri est assidue vigilare, ut disciplina Cleri sana et salva conservetur, omnes ecclesiastici ab iis, quae Clericis vetita sunt, et non conveniunt, abstinentes, exemplum sint fidelium in verbo, conversatione, caritate, fide, castitate, diligenterque, prudenter et sancte impleant obligationes ministerii sui, omni virium adstrictione intendant, operenturque salutem animarum, et specialiter summa industria colant scientias sacras, quo sic omnes exhortari valeant in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

Nec potestis ignorare Dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! quantae considerationis sit pro Ecclesia, maxime luctuosissimis his temporibus, idoneos habere ministros, qui nonnisi e Clericis bene institutis possunt formari. Convenit igitur, ut curas, cogitationesque vestras eo specialiter dirigatis, quo iuvenes Clerici in Seminariis vestris inde a tenera aetate, in spiritu ecclesiastico mature formentur a magistris pietatis et doctrinae laude conspicuis, assidueque erudiantur in literis ac disciplinis peculiariter sacris, ab omni periculo cuiuscunque profanae novitatis, et erroris remoti. Summopere attendite, ne in tradenda speciatim Theologia et Iure canonico adhibeantur libri falsas opiniones, et errores purae et sanae doctrinae Ecclesiae catholicae, et huius Apostolicae Sedis contrarios continentes.

Cum summa porro vigilantia et sollicitudine agendum, ut vitae religiosae disciplina in monasteriis accurate observetur, et ubi collapsa est, reflorescat, ne ecclesiasticae de clausura Monialium leges unquam violentur, sed summa viligantia manuteneantur. Pari attentione agendum, ut iuventus utriusque sexus, in qua omnis spes christianae et civilis reipublicae concentratur, in sanctissimis divinae Religionis nostrae praeceptis rite instituatur, ad omnem morum honestatem, pietatem omnemque virtutem manuducatur.

Neminem autem vestrum latet, quo teterrimo sane bello nunc Ecclesia catholica divexetur, quibusque pravis omnis generis artibus, insidiis, pestiferis scriptis, Dei et hominum

hostes omnium mentes animosque corrumpere, et a sanctissima Religione nostra avellere connitantur. Nullis igitur curis, nullis consiliis nullisque laboribus parcere debetis, ne dilectae oves vobis commissae vestra incuria fiant in devorationem omnium bestiarum agri. Itaque, dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! ne sitis canes muti, non valentes latrare; sed qua voce, qua salutaribus et opportunis scriptis ne cessetis inimicorum hominum insidias detegere, errores refellere, impiisque eorum conatibus impavide obsistere. Ac numquam desinite e fidelium vestrorum manibus libros, et ephemerides perniciosas, obscoenas, et impias eripere, eosque monere et exhortari, ut in dies magis stabiles et firmi persistant in professione Religionis Catholicae, neque patiantur decipi ac induci in errorem fabricatorum mendacii, et perversorum dogmatum. Et cum peccatum miseros reddat populos, exerite omnem vestram Episcopalem sollicitudinem et zelum ad eradicanda vitia et peccata, specialiter eo intendentes, ut crediti vobis fideles in dies magis nutriantur verbo fidei, et charismate gratiarum roborentur, declinent a malo, faciant bonum, semperque alacrioribus passibus procedant per semitas Domini, et religiose observent cuncta Dei, et Sanctae Ecclesiae praecepta, faciantque opera bona caritate Dei et proximi plena. Quantum porro in Vobis est, omni labore, consilio, et auctoritate nihil intentatum relinquite, ut ad viam salutis reducantur, et Christo lucrifiant miseri seducti; principaliter autem et irremisse parochos excitate, ut officium suum implentes, populum christianum curae suae commissum a venenatis pascuis summo studio retrahant, eum ad salutarem doctrinam revocantes, ac praedicatione verbi Dei, Sacramentorum, et multiformis gratiae Dei dispensatione continuo pascentes; ne per socordiam intermittant visitare infirmos, eos spirituali succursu sublevantes, et quod summum, et praecipuae considerationis est, in doctrina sana instituentes; cum omni caritate, ac patientia in christiana fidei et morum doctrina erudire parvulos et ignorantes, ne unquam in eos recidat improbatio illa: „Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret illis.“

Cum porro Pastoris oculus in procurando spirituali Dioeceseos bono, et avertendo malo magnum exerat influxum, idcirco dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! non intermittite Dioeceses vestras accurate lustrare, de Cleri et populi moribus

vosmet attente informare, quod corrigendum est, omni studio et diligentia emendare, ac eradicare, scandala tollere, malas consuetudines, et peccandi occasiones sufferre, per omnia christianam educationem, et Sacramentorum frequentationem, quo nihil est salubrius populo christiano, promovere, dierum festorum observantiam, templorum venerationem inculcare; Clerum ad exactum officii implementum, populum autem ad virtutum christianarum exercitium inflammare. Atque Episcopali, uti par est, fortitudine iis omnibus resistite, quae contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura, et leges isthic impune patrantur. Etenim haud ignoratis, debitam civili potestati obedientiam in iis solum, quae Dei et Ecclesiae legibus non repugnant, praestandam esse.

Nolite intermittere, dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! quidquam eorum, quae ad rite, et exacte implendum ministerium vestrum quoquo modo pertinent, ne gravissima illa improbationis Dominicae verba in vos recidant: „quod erat debile, non consolidastis, quod erat infirmum, non sanastis, quod ruptum, non ligastis, quod remotum, non collegistis, quod perditum, non quaesivistis.“ Ac ideo cum fortitudine et constantia extrahite gladium spiritus, praedicate quemadmodum in persona discipuli sui Timothei, tantopere vobis inculcat Apostolus Paulus, instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina. Nec sit, quod vos deterreat a pugna pro gloria Dei, defensione Ecclesiae, et creditarum vobis animarum salute. Recordemini Illius, qui similes contradictiones contra se ipsum toleravit a peccatoribus. Quodsi nequissimorum timeatis audaciam, actum iam est de Episcopatus vigore et fortitudine, ac de divina Ecclesiae gubernandae potestate.

Iam vero hac occasione dissimulare non possumus, dilecte Fili noster, et Venerabiles Fratres, non parum nos doluisse propterea, quod neminem vestrum videre potuerimus in solemni plurium Sanctorum Canonisatione, VI Idus proximi mensis Iunii a Nobis celebrata, ad quam tot universi orbis Catholici Sacrorum Antistites e remotissimis etiam regionibus cum summo animi nostri gaudio confluere gloriati sunt. Atque etiamsi aliquae extiterint difficultates, ob quas venire ad Nos haud potueritis; impedire tamen nemo vos potuit, quominus vestras scriberetis ad nos Literas, queis pietatem et observantiam vestram erga Nos, et hancce Petri Cathedram, Catholicae unitatis cen-

trum, declaretis; quemadmodum cum summa nominis sui laude et pro consolatione Nostra fecere Episcopi Italiae, et aliarum Ecclesiarum quibus Romanum iter suscipere minime licuit.

Ea porro spe sustentamur fore, dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres! ut vos, gravissimas muneris vestri obligationes, et durissimum iudicium iis, qui praesunt, et in specie speculatoribus Domus Israel subeundum in conspectu Domini serio perpendetes, hisce Nostris monitis, hortationibus, votis et postulationibus aures alacri libentique animo praebentes, velitis Episcopali zelo incensi, Religionem catholicam pro viribus tueri, eamque ab impiis inimicorum insidiis, ac molitionibus impavide defendere, saluti proprii gregis diligentissime consulere, et maiora etiam iis, quae scripsimus, praestare. Confortati etiam spe ista cum pleno cordis affectu, Vobis, dilecte Fili noster et Venerabiles Fratres, item Clericis et laicis curae vestrae commissis, omnium bonorum coelestium auspicem, et specialis Nostrae in vos Benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 3. Iulii, 1862. — **Steccanella** *il valore e lavi olazione della Dichiarazione pontificia sopra il dominio temporale della S. Sede.* Roma. 1864. p. 440.

1241.

Pius IX damnat errores a Professore Monacensi ‚Iacobo Frohschammer' in philosophicis suis operibus de ratione et revelatione propositos. A. 1862.

NON. Ven. fratri Gregorio AEppo Monacensi et Frisingensi. Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, vehementer dolemus, cum noscamus in variis Germaniae regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui sacram theologiam ac philosophiam tradentes minime dubitant quamdam inauditam adhuc in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, novasque et omnino improbandas opiniones palam publiceque profiteri et in vulgus disseminare. Hinc non levi moerore affecti fuimus,

ven. frater, ubi tristissimus ad nos venit nuntius, Presbyterum *Iacobum Frohschammer* in ista Monacensi Academia philosophiae doctorem huiusmodi docendi scribendique licentiam prae ceteris adhibere, eumque suis operibus in lucem editis perniciosissimos tueri errores. Nulla igitur interposita mora nostrae Congregationi libris notandis praepositae mandavimus, ut praecipua volumina, quae eiusdem presbyteri Frohschammer nomine circumferuntur, cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad nos referret. Quae volumina germanicae scripta titulum habent: ‚Introductio in Philosophiam; — de libertate scientiae; — Athenaeum;' quorum primum a. 1858. alterum a. 1861. tertium vero vertente hoc anno 1862. istis Monacensibus typis est in lucem editum. Itaque eadem *Congregatio* nostris mandatis diligenter obsequens summo studio accuratissimum examen instituit, omnibusque semel iterumque serio ac mature ex more discussis et perpensis *iudicavit, auctorem in pluribus non recte sentire, eiusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici praesertim parte, et primo quidem propterea, quod auctor tales humanae rationi tribuat vires, quae rationi ipsi minime competunt; secundo vero, quod eam omnia opinandi et quidquid semper audendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiae iura, officium, et auctoritas de medio omnino tollantur.* Namque auctor imprimis edocet, philosophiam, si recta eius habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata, quae naturalis ratio cum fide habet communia, tamquam commune scilicet perceptionis obiectum, verum etiam ea, quae christianam religionem fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem, et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere, rationemque dato hoc obiecto suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter haec et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et haec ultima minori iure rationi attribuat, tamen clare aperteque docet, etiam haec contineri inter illa, quae veram propriamque scientiae seu philosophiae materiam constituunt. Quocirca ex eiusdem auctoris sententia concludi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis etiam divinae sapientiae ac bonitatis imo etiam et liberae eius voluntatis mysteriis licet po-

sito revelationis obiecto posse ex seipsa, non iam ex divinae auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire. Quae auctoris doctrina quam falsa sit et erronea, nemo est qui christinae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus non illico videat, planeque sentiat. Namque si isti philosophiae cultores vera ac sola rationis et philosophiae disciplinae tuerentur principia et iura, debitis certe laudibus essent prosequendi. Siquidem vera ac sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum eiusdem philosophiae sit veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam nullo tamen modo extinctam recte ac sedulo excolere, illustrare, eiusque cognitionis obiectum ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fide rectius tenenda, et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere, atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia. Ad quae praestanda si viri docti in Germaniae Academiis enitantur pro singulari inclytae illius nationis ad severiores graviores que disciplinas excolendas propensione, eorum studium a nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectumque convertant, quae illi ad suos usus invenerint. At vero in hoc gravissimo sane negotio tolerare numquam possumus, ut omnia temere permisceantur, utque ratio illas etiam res, quae ad fidem pertinent, occupet atque perturbet, cum certissimi omnibusque notissimi sint fines, ultra quos ratio numquam suo iure est progressa, vel progredi potest. Atque ad huiusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, iccirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt. Numquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad huiusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea. Quodsi haec isti temere asseverare audeant, sciant se certe non a quo-

rumlibet doctorum opinione, sed a communi et numquam immutata Ecclesiae doctrina recedere. Ex divinis enim literis et SS. Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit mysterium, quod absconditum fuit a seculis et generationibus (Col. 1, 26.), et ita quidem, ut postquam multifariam multisque modis olim locutus esset patribus in prophetis, novissime nobis locutus est in Filio, per quem fecit et secula. (Hebr. 1, 1. 2.) Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. (Ioan. 1, 18.) Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens de gratia et veritate, (Ioan. 1, 17.) quae per Iesum Christum facta est, loquimur, inquit, Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam nemo principum huius seculi cognovit, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. (I Cor. 2, 7—11.) Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distingvere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum S. fide suscipitur; et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solam humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transscendunt, quaeque etiamsi revelatione innotuerint, et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. (Ioan. Chrys. hom. 7. in 1 Cor. — Ambros. etc.) Ex his omnibus patet alienam omnino esse a Catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse obiectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire.

IV.

Nunc vero in memoratis eiusdem auctoris scriptis *alia* dominatur *sententia*, quae Catholicae Ecclesiae doctrinae ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiae tribuit libertatem, quae non scientiae libertas, sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiae licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta, tribuit philosopho ius et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; sed utrumque philosophiae ita denegat, ut nulla doctrinae revelatae ratione habita asserat, ipsam numquam debere ac posse *auctoritati* se submittere. Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec dicerentur de iure tantum quod habet philosophia suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae, ac si eius libertas consisteret in hoc suo iure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum, aut fuerit ipsi alienum. Sed haec *iusta philosophiae libertas suos limites noscere et experiri debet. Numquam enim non solum philosopho, verum etiam philosophiae licebit aut aliquid contrarium dicere iis, quae divina revelatio et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare propterea quod non intelligit, aut iudicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit.* Accedit etiam ut idem auctor philosophiae libertatem seu potius effrenatam licentiam tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat; ex quo evenit, ut philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur. Ecquis non videt, quam vehementer sit reiicienda, reprobanda, et omnino damnanda huiusmodi Frohschammeri sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari, vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo auctore commissa non solum ius, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas, et animarum salus

postulaverint; et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae id officium incumbit nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea rectractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus.

Quibus omnibus accurate perpensis de eorumdem ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Congregationis libris notandis praepositae consilio, ac motu proprio et certa scientia, matura deliberatione nostra deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine *praedictos libros presbyteri Frohschammer tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, erroneas, Ecclesiae eiusque auctoritati ac iuribus iniuriosas reprobamus, damnamus,* ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus, atque eidem Congregationi mandamus, ut eosdem libros in indicem prohibitorum librorum referat. Dum vero haec tibi significamus, ven. frater, non possumus non exprimere magnum animi nostri dolorem, cum videamus hunc filium eorumdem librorum auctorem, qui ceteroquin de Ecclesia bene mereri potuisset, infelici quodam cordis impetu misere abreptum in vias abire, quae ad salutem non ducunt, ac magis magisque a recto tramite aberrare. Cum enim alius eius liber ‚de animarum origine' prius fuisset damnatus, non solum se minime submisit, verum etiam non extimuit eundem errorem in his etiam libris denuo docere, et nostram Indicis Congregationem contumeliis cumulare, ac multa alia contra Ecclesiae agendi rationem temere mendaciterque pronunciare. Quae omnia talia sunt, ut iis merito atque optimo iure indignari potuissemus. Sed nolumus adhuc paternae nostrae caritatis viscera erga illum deponere, et iccirco te, ven. frater, excitamus, ut velis eidem manifestare cor nostrum paternum, et acerbissimum dolorem, cuius ipse est causa, ac simul ipsum saluberrimis monitis hortari et monere, ut nostram, quae communis est omnium patris, vocem audiat, ac resipiscat, quemadmodum Catholicae Ecclesiae filium decet, et ita nos omnes laetitia afficiat, ac tandem ipse feliciter experiatur, quam iucundum sit non vana quadam et perniciosa libertate gaudere, sed Domino adhaerere, cuius iugum svave est, et onus leve, cuius eloquia casta, igne examinata, cuius iudicia vera iustificata in semetipsa, et cuius universae viae misericordia et

veritas. Denique hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam nostram in te benevolentiam. Cuius quoque pignus esse volumus apost. benedictionem etc. Datum Romae die 11. Dec. 1862. — **Acta Pii IX,** *ex quibus excerptus est Syllabus.* Romae. 1865. p. 219.

1242—1243.

Commissio **Societatis catholicae** in Germania de concluso eiusdem Societatis, erigendi liberam **Universitatem** scientiarum **Catholicam**, Summum Pontificem edocet, ab Hocque adprobationem huius conclusi obtinet per Breve ad Cardinalem Coloniensem directum. A. 1863.

1242. MON. Beatissime Pater! Comitatus a generali Associationum Catholicarum in Germania congregatione in Civitate Aquensi dioecesis Coloniensis habita electus ad fundandam *liberam Universitatem Catholicam*, venerabundus ad solium Apostolicum appropinquat, humillime precatur, ut Sanctitas tua programma acclusum hunc in finem elaboratum clementissime accipere dignetur. Iam nunc incoeptum nostrum tam prosperum successum habuisse laetamur, ut magna Eppatus Germanici pars hoc opus a nobis institutum approbaverit, eique opem suam cooperantem promiserit. Neque minus commemorandum est, iam haud exiguam pecuniae summam et a clericis et a laicis huius boni operis fautoribus esse collatam. *Sed quid haec omnia proficerent, nisi, quemadmodum prisci aevi Universitates Catholicae ortum suum a S. Sede duxerunt, ita nos quoque fundamenta aedificii a nobis condendi in Petri petra locare atque firmissimo vinculo cum unitatis centro summaque auctoritate, quam Deus Vicario in terris suo mandavit, coniungi studeremus?* Quo sensu animati et ad genua tua provoluti tamquam fideles sanctae nostrae Romanae Ecclesiae filii humillime precamur, ut Sanctitas tua hoc nostrum inceptum sancire, tuoque opitulante favore adiuvare dignetur. Quod quo facilius fieri possit atque ut quasi praesen-

tia tua nos confirmari et recreari sentiamus, rogamus Te, ut e gremio Praesulum in Germania aliquem tamquam tuum in hac causa Vicarium designare gratiosissime velis, qui quidem auctoritate apostolica sibi demandata munitus consilio suo nos sustentet atque gressus nostros dirigat. Insuper Te imploramus, ut pro Principibus Catholicis et pro omni cuiusvis ordinis fidelium grege in Germania, qui hoc pium opus nostrum patrocinio Immaculatae Virginis Mariae commendatum oratione et eleemosynis adiuvant, thesaurum indulgentiarum, quem Iesus Christus dispensationi tuae commisit, clementissime aperire digneris. — Mense Ianuario 1863. Clemens C. de Brandis. — Georgius Phillips. — Henricus L. B. de Andlaw. — Franciscus Ios. Buss. — Wildericus L. B. de Ketteler. — Felix L. B. de Loë. — Iosephus Lingens.

1243. *Pius PP. IX consilium erigendae Cath. Universitatis probat datis ad Cardinalem Coloniensem literis, 1863.* — Dilecti filii Clemens Comes de Brandis etc. *(ut supra)* — observantissimas nobis scripserunt literas proximo mense Ianuario datas, ac singularis erga nos et hanc Petri Cathedram amoris et obsequii plenas. Eisdem autem literis significarunt, in comitiis catholicarum in Germania Societatum in Aquensi civitate istius tuae Coloniensis dioecesis superiore anno habitis initum fuisse consilium erigendi in Germania Catholicam Universitatem, et idcirco comitatum, uti appellant, electum fuisse ex eisdem dil. filiis conflatum. Equidem non possumus non vehementer probare, ac meritis laudibus efferre huiusmodi tam pium, tam salutare, tamque utile propositum. Nihil enim gratius, nihil optatius nobis esse potest, quam ut hisce praesertim calamitosissimis christianae civilisque reipublicae temporibus studiorum ratio ad verae germanaeque catholicae doctrinae normam dirigatur, ac iuventus humanioribus literis severioribusque disciplinis ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis accuratissime imbuatur. Iidem autem dil. filii disertissimis verbis professi sunt, suis in votis esse, ut haec instituenda Universitas a nobis et ab hac S. Sede omnino pendeat, quo arctissimo fidei et obedientiae vinculo cum nobis et eadem Sede sit coniuncta. Quamobrem enixis precibus nos obsecrarunt, ut aliquem virum ecclesiastica dignitate ornatum designare velimus, qui vicariam nostram operam agens gravissimo huius erigendae cath. Univ. negotio praesit, et illam, post-

quam suprema nostra accedente auctoritate rite fuerit constituta, regat ac moderetur. Nos itaque hisce desideriis, quae gratissima nobis extiterunt, perlibenter obsecundantes, et quamplurimum in spectata tua religione et virtute confisi, per has literas tibi munus committimus, dil. fili noster, ut adhibens etiam auxiliariam operam et consilium ven. fr. Gulielmi Eppi Moguntini, et Conradi Eppi Paderbornensis, pro summa tua prudentia ea omnia disponere et agere cures, quae ad hanc Univ. Cath. erigendam et rite constituendam conducere possint. Tuum autem erit, commemoratis dilectis filiis significare, quae Tibi hac super re scribenda in praesentia existimavimus. Nihil vero dubitamus, quin nos diligentissime certiores facias de rebus omnibus, quae ad hanc Universitatem quovis modo pertinent, ut statuere possimus, quidquid maiori eiusdem Univ. prosperitati ac decori prodesse in Domino censuerimus. — Datum Romae die 31. Aug. 1863. — **Der Katholik.** *Neue Folge.* X. 487.

1244. 1245.

Eppus Gr. Cath. MVaradinensis de Primatu R. P. tum in prima sua Encyclica ad Clerum, tum in altera de Sacra Unione omnimode promovenda. A. 1863.

1244. MON. — *Encyclica prior.* Ad salutis hominis opus operandum fundavit Dei Filius, Deus Iesus Christus Ecclesiam, quam acquisivit sangvine suo. — Ecclesiam construxit ex Apostolis, quorum *vertex esset unus Petrus. — Ecclesia Dei constructa est super fundamentum Apostolorum, quorum vertex Petrus est in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivens, quemadmodum confessa est universa Ecclesia in sacris oecumenicis Conciliis Chalcedonensi et Ephesino ex toto Oriente et Occidente coadunata.* Ipse etiam Constantinus Magnus primus Imperator Christianus eandem confessionem emisit inquiens: ‚Decernimus Eppum Romanum et successorem primi et principis Apostolorum Petri Regia maiorem in universam terram habere potestatem, et ab omnibus multo magis quam si Rex esset ho-

norari et extolli, et esse quatuor Patriarchalium sedium caput, et iudicari et decerni ab eo, quae ad fidem orthodoxam pertinent.' *(Blastaris* Syntagma.) Ceterorum autem Apostolorum successores sunt Eppi cum S. Sede beati Petri Romana communionem habentes. *Qui* enim *Eppi christiani ab eiusdem Sedis principalis apostolicae communione abscissi sunt, legitima missione ad regendum gregem Domini destituti sunt, oberrantes extra veram Christi Ecclesiam*, quae tantum illa esse potest, in qua collegium Apostolorum cum vertice Petro repraesentatum est. Unde S. Ambrosius inquit: Ubi Petrus, ibi Ecclesia. —

— Inprimis, quod proxime ad nos spectat, studia nostra in id conferamus labore et indesinenti oratione, *ut concordia Ecclesiae Orientalis cum Occidentali in Concilio Florentino producta iterum restituatur.* O utinam intelligerent ad quos spectat, et qui sanctam ecclesiarum christianarum unionem impediunt, quantum delinquant, et quantam damnationem sibi consciscant. Qui *S. Cyprianum* universae Ecclesiae Christianae doctorem venerantur, cuius memoriam recolit Ecclesia Orientalis die 2 Oct. audiant illum vere divina loquentem, dum de *unitate Ecclesiae* sic scribit: ‚Inimicus salutis satanas excogitavit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos, haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem; hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad unitatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec Magistri coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis. Et iterum post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem etiam potestatem tribuat et dicat: sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum S. si cuius remiseritis peccata, remittentur illi, si cuius tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, te-

nere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Eppi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Eppatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.' Inprimis autem nunc est opportuna occasio restituendae ecclesiarum christianarum unionis, dum in Cathedra Principis Apostolorum sedet Summus Pontifex Pius IX. Est venerandum nomen eius, quo nullus praedecessorum suorum maiorem impendit sollicitudinem apostolicam restituendae sacrae Ecclesiarum unionis; qui omnes peramanter invitat ad caritatis communionem, eiusdem solum fidei professionem postulans, permittens de cetero ritus et consvetudines, quae rectae fidei et bonis moribus non adversantur, ac promittens servare privilegia et iura Patriarcharum Orientalium iuxta sanctionem Concilii Florentini. O Fratres, quid ergo adhuc impedire potest vinculi caritatis fraternae inter christianos restitutionem ac commune illud christianorum solatium, se, uti obligati sunt, fratres nominandi et diligendi atque coniunctis viribus eo connitendi, ut illi longe plures milliones incolarum terrae, qui Patrem adhuc non cognoscunt, et quem ille misit, Iesum Christum, ad veram eius adorationem adducantur et per eius crucem salventur? Non aliud certe impedit hanc communem christianorum consolationem, quam opus satanae, qui homicida fuit ab initio, et mendaciis decepit hominem primum in paradiso, et continuo decipit ad multiplicandos socios aeternae damnationis suae. Indesinenter ergo oremus, ut destruatur hoc opus diaboli, et adveniat regnum Dei. —

1245. *Encyclica posterior.* Percepimus Epistolam Encyclicam Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae IX. ad universos Italiae Praesules dedato 10. Augusti anni currentis editam, quibus Sanctissimus Pater Summus Pontifex et Vicarius Christi in terris, qui ex altissima in qua constituitur specula catholicae fidei puritati et integritati conservandae et christianorum moribus ex officio incumbente invigilat et pro domo Dei saluteque fidelium pariter ac infidelium excubias agit, ad communem consolationem annunciat, militantem in terris Ecclesiam Christi, quae ab hostibus salutis animarum, qui se in servos et instrumenta principis tenebrarum, qui homicida fuit ab initio mendaciis decipiens primum hominem in paradiso et

decepturus usque ad consummationem seculi incautos et quorum nomina non sunt scripta inter electos Dei, se totos tradiderunt, nostris temporibus vehementius quam unquam impetitur, dum in Regione Italiae Praesules et Sacerdotes officio suo fideles violentissimis et iniustissimis modis miserandum in modum vexantur et a proprio grege avelluntur, in exilium eiiciuntur, in carcerem detruduntur, et ad mortem cruciantur, christianorum mores vulgatis irreligiosis, nefandis obscenisque scriptis, ac scenicis spectaculis ac meretriciis domibus fere ubique constitutis studio depravantur ac monstrosa omnium errorum portenta quaqua versus disseminantur, mortiferumque incredulitatis ac indifferentismi virus longe lateque diffunditur, super assultibus inimicorum salutis generis humani novos in dies celebrare triumphos, quoniam hoc ipso quo vivimus tempore non tantum in Tunkini et Cochinchinae regionibus Episcopi, Sacerdotes, laici viri, ac vel ipsae imbelles mulieres, ac teneri adolescentuli veterum Martyrum exempla aemulati animo invicto et heroica virtute crudelissimos cruciatus despicere et exultantes pro Christo vitam profundere vehementer laetantur, verum etiam in Regione Italiae non tantum abundavit persecutorum delictum, sed abundat gratia quoque Dei, quae gloriosos illos athletas confortat ac roborat pro Christi Ecclesia et fidelitate officio suo sacerdotali debita, usque ad Martyrii coronam strenue et constanter dimicare, gaudentes prout Apostoli pro Christo, et sancto suo officio fidelitatis erga Ecclesiam contumeliam pati, roborati gratia Dei qui dixit: „*In mundo pressuram habebitis, sed gaudete, quoniam ego vici mundum.*“

Quoniam vero inimicus salutis non tantum in Italiae regione sed ubique etiam in nostra Patria contra Regnum Dei operatur, tamquam leo rugiens iuxta S. Petrum, circumiens, quaerens quem devoret, cui resistere debemus fortes in fide; postquam ex una parte cum dolore experimur a grassantibus annis 1848 et 1849 internis motibus in nostra quoque Patria mores christianorum multum depravatos esse, atque erroneas doctrinas imprimis indifferentismum religiosum propagantes apud nos quoque disseminari, quod Sanctissimus Pater Summus Pontifex memorata sua Encyclica pro Regione Italiae contra errores et incredulitatem promulgavit, Vobis quoque promulgare officii nostri esse duximus, nempe:

„Non possumus non commemorare et damnare errorem illorum, sunt verba Sanctismi Patris, qui homines in erroribus viventes, et a vera fide, atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum Nobis, Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem, eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati honestam ac rectam vitam agunt, posse divinae lucis, et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habet. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate, atque a Petri successore Romano Pontifice, cui vineae custodia a Salvatore est commissa pertinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem, clarissima enim sunt Christi Domini verba: „*Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*“ *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*“ „*Qui non crediderit, condemnabitur.*“ *Qui non credit, iam iudicatus est.*“ *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum dispergit.*“ Hinc Apostolus Paulus huismodi homines dicit *subversos, et proprio iudicio condemnatos,*“ et Apostolorum Princeps illos appellat: „*Magistros mendaces, qui introducunt sectas perditionis, Dominum negant, superadducentes sibi celerem perditionem.*“

Absit vero, ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui eisdem fidei charitatisque vinculis nobiscum minime sunt coniuncti, quin imo illos sive pauperes, sive aegrotantes, sive aliis quibusvis aerumnis afflictos omnibus christianae charitatis officiis prosequi et adiuvare semper studeant, et imprimis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere atque ad catholicam veritatem, et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos amanter tendere, eosque suum ad sinum revocare nunquam

desinit, ut in fide, spe, et charitate fundati ac stabiles in omni opere bono fructificantes aeternam assequantur salutem."

Quibus verbis Sanctissimi Patris Summi Pontificis stimulati ac roborati Dilecti Fratres et Filii Sacerdotes Dei! contendite ut missionem vestram propheticam in gregibus vobis creditis adimpleatis, incredulitatem et indifferentismum sacra institutione et omni prudenti pastorali cum zelo vitaeque vestrae sanctae ratione exstirpetis, ac vivam fidem quae operibus iustitiae et charitatis se manifestet excitetis, scientes quoniam merces vestra magna erit in Coelis. Annunciate sacram unionem atque dicite populis unum Deum, unum baptisma, unam et solam esse Ecclesiam sponsam Christi, quam pro toto genere humano acquisivit sangvine suo, cuius criterium est plenum Apostolorum collegium cum Vertice Petro, propter quod S. Ambrosius dicebat: „*ubi Petrus, ibi Ecclesia.*" Et memorabilia sunt S. Cypriani Doctoris etiam Ecclesiae Graecae verba, quae in Libro eius de Unitate Ecclesiae hunc in modum occurrunt. „Cum moneat Dominus et dicat, Vos estis sal terrae, cumque esse nos iubeat ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes: quid aliud Fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, et sollicito corde vigilantes subdoli hostis diaboli insidias intelligere pariter ac cavere, ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur. Neque enim persecutio sola metuenda est, et ea quae subruendis et deiiciendis Dei servis aperta impugnatione grassatur. Facilior cautio est ubi manifesta formido est, et ad certamen animus ante praestruitur quando se adversarius confitetur. Plus metuendus est et cavendus inimicus cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, unde et nomen serpentis accepit. Ea est eius semper astutia, ea est circumveniendi hominis coeca et latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit et verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit. Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus ac falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est et retusus: et ideo prostratus, quia agnitus atque detectus. Unde nobis exemplum datum est, veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi viventis insistere, ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, sed ad periculum providi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea, quibus

mors expugnatur et vincitur, Christi mandata servemus, ipso monente et dicente, si vis ad vitam venire, serva mandata — et iterum, si feceritis quae mando vobis, iam non dico vos servos sed amicos. Hos denique fortes dicit et stabiles, hos super petram robusta mole fundatos, hos contra omnes tempestates et turbines seculi immobili, et inconcussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. Verbis igitur Eius insistere, quaecunque et docuit et fecit discere et facere debemus, ceterum credere se in Christum quomodo dicit qui non facit quod Christus facere praecepit? Aut unde perveniet ad praemium fidei qui fidem non vult servare mandati? Nutet necesse est et vagetur, et spiritu erroris abreptus velut pulvis, quem ventus excutit, ventiletur: nec ambulando proficiet ad salutem qui salutaris viae non tenet veritatem (seu non pertinet ad catholicam Ecclesiam).

Cavenda sunt autem, Fratres dilectissimi, non solum quae sunt aperta atque manifesta, sed et astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius quidve subtilius quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus (daemon) postquam lux gentibus venit, et sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiae spiritualis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos coeci, infirmi aeterna sanitate revalescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, muti claris vocibus et precibus orarent, videns ille (diabolus) idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa (daemoniaca) deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo (seu inter ipsos christianos) fallat incautos, *haereses* invenit et *schismata*, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viae veteris (idololatriae) coecitate circumscribit et decipit novi itineris (haeretici et schismatici) errore. Rapit de ipsa Ecclesia (catholica vera) homines, qui seducti ad tenebras (haereticorum et schismaticorum) et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment; blandiente illis (diabolo) adversario, atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfigurat se velut Angelum lucis, et ministros suos (haereticos et schismaticos) subornat velut ministros iustitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prae-

textu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.

Hoc eo fit, Fratres dilectissimi! dum ad unitatis originem non reditur, nec caput (Petrus) quaeritur, nec magistri coelestis doctrina (de constituto Petro capite ecclesiae et magistro) servatur. Quae siquis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est (dum quis constituto a Christo capiti et magistro Petro eiusque Successoribus Romanis Pontificibus se subiicit). Probatio est (illi) ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta in coelis. Et iterum eidem (Petro) post resurrectionem suam dicit: „Pasce oves meas.“ — Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas .... ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. — Quisquis ab hac Ecclesia (in capite Petro) una segregatus adulterae (cuique haereticae aut schismaticae) iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia qui relinquit Ecclesiam Christi (ad haeresim et schisma convolat). Alienus (hic) est, profanus est, hostis (Christi) est. Habere iam non potest Deum Patrem qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit. Monet Dominus et dicit: Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit, qui alibi praeter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.

Nemo autem existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleae tempestate iactantur, invalidae arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur et percutit Ioannes Apostolus dicens: „Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Hinc haereses (et schismata) et factae sunt frequenter et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero haec Dominus permittit et patitur, manente propriae libertatis arbitrio: ut dum cor-

da nostra et mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Per Apostolum monet Spiritus Sanctus et dicit „Oportet haereses esse et schismata, ut probati manifesti sint in vobis (I. ad Corinth. 11. 19.) — Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Sic et ante iudicii diem hic quoque iustorum atque iniustorum animae dividuntur, ut a frumento paleae.“

Haec Fratres dilectissimi venerandi Dei Sacerdotes! scripsit S. Cyprianus, quem Ecclesia graeca, doctorem suum et magistrum fidei ad diem 2. Octobris, quo memoriam eius recolit, celebrat, cuius doctrinam Vobis notam facere desideravimus, ut perpetua maneat in Vobis traditio, ad amplius vos persuadendos de veritate, muniendos contra indifferentismum, et inflammandos animos vestros, ad annunciandam Evangelii veritatem quemadmodum eam declarat unice salvifica et sola infallibilis catholica Christi Ecclesia, quae sola plenum Apostolorum collegium cum Capite Petro in suis Successoribus Romanis Pontificibus semper vivente, proinde et verum a Christo institutum magisterium Petro-Apostolicum possidet, et opus adimpleatis evangelistae. Indicite bellum erroribus et vitiis, extirpate ea virtute praedicationis, atque propriae intemeratae vitae exemplo. Propagate sanctam cum Matre Ecclesia Romana Unionem, a qua sola expectanda est connationalium nostrorum cultura et ipsa temporalis felicitas imprimis vero salus aeterna quae in catholica Ecclesia obtinetur habente destinationem suam et institutionem ad sanctificandum hominem, coniungendum Deo, apud quem aeterna beatitate fruatur.

Dispellite omnes erroneas de Sacra Unione doctrinas qualis est illa: Unionem in quatuor punctis tantum per Concilium Florentinum enunciatis consistere, ac proinde unitos non obligari ad ea etiam dogmata Ecclesiae credenda, quae inde a Concilio Florentino adusque enunciata sunt, aut dehinc usque consummationem seculi per vivum semper Ecclesiae Magisterium enunciabuntur; aut dicite, quis illum catholicum et in fide unitum habebit, qui dogma Ecclesiae de absoluta indissolubilitate Matrimonii etiam ex capite fornicationis, aut dogma de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis post Concilium Florentinum enunciatum negaverit? Ideo firmiter tenete, Sacram Unionem in plena subiectione Magisterio et Regimini Ecclesiae consistere, in

plena subiectione Romano Pontifici, de ipsa definitione Concilii Florentini Vicario Christi in terris et omnium Christianorum Patri ac Pastori cui omnium Christi ovium et totius gregis cura a Christo tradita est, quive salutarem Ecclesiae Orientalis disciplinam nunquam mutavit, nec latinas consuetudines quae ritui orientali non congruerent introduxit, verum semper indisciplinam damnavit atque idgenus consuetudines quae principiis catholicae Ecclesiae adversae ab acatholicis mutuatae, prout sunt praetensae in Transsylvania Synodi parochiales, tractuales seu protopopales atque superintendentiales seu episcopales ad normam acatholicorum conventuum constructae; aut e Legislatione Imperatorum Byzantinorum incompetente irrepserunt, prout leges matrimoniales Pravila complexae quae deteriorem faciunt sortem matrimonii sacramenti, quam quae ab acatholicis custoditur, et contra quas ipse Princeps Valachiae Cusa tamquam socialitati humanae perniciosas excepit, nec ab ipsis schismaticis Imperii Austriaci amplius omnes observantur, quae in hac ipsa Dioecesi nostra advigilantibus eius vere catholicis Episcopis aut numquam acceptata, aut vero aliqua per desuetudinem cum maiori fidelium spirituali emolumento abolita sunt, observantes in his, quae per catholicam Ecclesiam praescribuntur, et aemulantes iuxta Apostolum Paulum cum sorore latina Ecclesia iuxta eandem et communem fidem charismata meliora, atque condemnantes eorum placita qui Autonomiam Ecclesiae Orientalis in independentia ab Ecclesiae Universalis Capite Romano Pontifice, quasi ille tantum latinorum caput et legislator esset, constituunt, atque putant Episcopos Ecclesiae Orientalis posse sine approbatione Summi Ecclesiae Capitis pro arbitrio statuta condere disciplinam universalem concernentia, aut non posse Summum Pontificem abusus in Ecclesia Orientali, ab eius vero spiritu abludentes observatos tollere, prout sustulit et damnanda damnavit, ab approbabilia approbavit in ipsis Conciliis Oecumenicis quondam in Orientalibus regionibus celebratis.

Sed non possumus non commemorare etiam illum perniciosissimum errorem et malum, quo hac nostra aetate, prout Sanctissimus Pater Summus Pontifex in eisdem suis Encyclicis inquit, hominum mentes animique misere abripiuntur, videlicet dum praesens vita terrestris pro fine hominis, non vero pro stadio meritorum ad ultimam hominis destinationem, vitam aeternam con-

sequendam respicitur, hinc spiritus terrestris, contra Spiritus Sancti monitum „Quae sursum sunt quaerite“ atque iterum „Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus aeternam in coelis.“ Hebr. 13. 14. Atque ipse Salvator „Nolite vobis thesaurisare thesauros in terra, sed in coelo.“ Matth. 6. v. 19. 20. Ecquidem inquit Sanctissimus Pater Summus Pontifex, homines iuxta propriam ac diversam cuiusque conditionem suis laboribus necessaria vitae praesidia sibi comparare debent seu in litteris ac scientiis excolendis, seu in artibus tum ingenuis tum vulgaribus exercendis, seu in publicis privatisque muneribus obeundis, seu in rerum commercio habendo, sed omnino oportet ut omnia cum honestate, iustitia, integritate et charitate agant, et Deum prae oculis semper habeant, eiusque mandata et praecepta diligentissime observent. Damnatur autem effrenatus ac damnosus ille proprius amor et studium, quo non pauci homines, nulla plane proximi sui ratione habita, proprias utilitates et commoda unice spectant et quaerunt, damnatur instabilis illa dominandi et acquirendi cupiditas qua, honestatis iustitiaeque regulis omnino posthabitis, divitias quovismodo cupidissime congregare, et cumulare non desinunt, ac terrenis tantum rebus assidue intenti, et Dei, religionis, animaeque suae immemores suam omnem felicitatem in comparandis divitiis et pecuniae thesauris perperam collocant. Meminerint huiusmodi homines, inquit Sanctissimus Pater, ac serio meditentur gravissima Christi Domini verba „*Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*“ et animo sedulo reputent quae Apostolus Paulus docet „*Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.*

Absit autem ut inter ipsos Sacerdotes inveniantur avari, qui iuxta Apostolum essent idolorum servitores usurarii a Sancta Dei Ecclesia damnati.

Sed scitote charissimi Fratres ad extirpandos errores et vitia non sufficere praedicationem ac propriae vitae exemplum, verum assidua Oratio coniungenda est, operosa enim Oratione promerenda est gratia, sine qua conversio errantium et pecca-

torum obtineri nequit, S. Paulus Apostolus inquit, sine fine orate. Orate pro invicem, ut salvemini, multum potest oratio iusti apud Deum. Ideo et ego vobis inclamo orate, pensum breviarii quod Ecclesia vobis imposuit, et in Orologion (Ciaslov) exhibetur, quotidie sive liturgiam celebrantes, sive non celebrantes, conscientiose absolvite, Officium mediae noctis Matutinum cum laudibus, horas, vesperas, ac officium postvespertinum quod dicitur completorium. Conversamini cum Deo in Oratione quotidie, este devoti ac pii Sacerdotes; Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae. Sacram liturgiam non tantum diebus dominicis et festis fori dictis, sed etiam festis saltem sic dictis suppressis sive chori, prout in Orologion adnotata sunt, celebretis, — celebretis autem in statu gratiae sanctificantis, nullius peccati gravioris conscii, in quale si infeliciter aliquem labi contingeret, accedat confessarium et lacrymarum secundo lavacro se iustificet; iusti enim oratio meritoria est apud Deum. Volumus autem ut iis quoque diebus, quibus a celebratione Sacrae Liturgiae abstinetis, saltem Matutinum cum laudibus in Ecclesia statis horis absolvatis, ut piis fidelibus praestetur occasio se coram Deo in Ecclesia sistendi et devotionem suam peragendi. Certe nec ipsi vultis deteriores esse Ministris acatholicarum confessionum, apud quas ad preces matutinas et vespertinas pulsantur campanae, et devotiores ad Oratoria cofluunt. Oratio autem in Ecclesia et cantus non sit strepitosus et clamorosus, nec properanter absolvantur; verum pietatem et devotionem spirans; vita autem sancti diei prout Sinaxarium exhibet ad matutinum post Icos ante cantum 7-um clara voce per ipsum sacerdotem perlegatur, exmissis iis, quae in editionibus schismaticorum fidei contraria, superstitiosa aut schisma redolentia invenirentur. Orate quotidie pro Sanctissimo Patre Summo Pontifice et Pastore nostro Pio IX. ut induat illum Deus virtute ex alto, ut assultus inimicorum salutis fortiter retundere et cohibere valeat, ut eum Deus servet Ecclesiae suae incolumem, triumphantem et gloriosum.

Orate pro concordia Principum Christianorum a qua salus, et ipsa felicitas terrestris multum promanat, ut iidem numquam a praeceptis Evangelii Christi devient, sed populos suos regant in timore Dei. Orate et ad Sanctam mensam propositionis mementote gregis Domini et Pastorum in Regionibus Italiae per-

secutionem passorum, ut Deus sua gratia iis assistat, et consoletur, atque ut hac turbulentissima tempestate depulsa, Ecclesia sua Sancta a tantis calamitatibus respiret, et ubique terrarum optatissima pace ac libertate fruatur et novos ac splendidiores de suis inimicis agat triumphos, utque omnes errantes divinae suae gratiae lumine perfusi ab erroris via ad veritatis, iustitiaeque iter revertantur, ac dignum poenitentiae fructum facientes perpetuum Sancti sui Nominis amorem et timorem habeant. Quod tribuat dives in misericordia Deus per merita et intermediationem Domini Dei et Salvatoris Nostri Iesu Christi, ac intercessionem Dei Matris Beatae Mariae semper Virginis absque macula conceptae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum et electorum Dei.

Denique admittite ut dicam Vobis atque reflectam vos, Sacerdotem, qui non vivit et moritur in fama pietatis vix ad exiguum illum electorum numerum qui est iuxta Evangelium spectare, et vocatum esse tamquam Aaron. Ideo inclamo Vobis cum Apostolo: hoc principale sit studium vestrum sanctificatio vestra. Habetis exemplum Christi et Apostolorum, piorumque Sacerdotum coniugatorum et non coniugatorum, hos imitate, atque ostendite gregi in omni conditione humana, ac proinde non solum in Monasteriis posse homines sanctificari, ad quam sanctificationem assequendam inclamat Apostolus: In timore et tremore operamini salutem vestram, atque, Castigo corpus meum et in servitutem redigo illud, neforte cum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar.

Pax vobis et nostra episcopalis benedictio, quam vobis omnibus peramanter impertimur.

Magnovaradini in solitis residentiae episcopalis aedibus die prima Novembris anno Domini 1863 episcopatus nostri anno I.

1246—1249.

Con. Provinc. Colocense de Romano Pontifice. A. 1863.

1246. MON. *Epistola Praesulum Provinciae ad Pium IX PP. de celebranda Synodo.* Sollicitudo de tuenda provehendaque

crediti nobis in ecclesiastica Colocensi et Bacsiensi provincia gregis dominici salute nos obstringit, ut ad Synodum Provincialem isthic Colocae celebrandam, et propediem, festo quippe Nativ. B. M. V. occipiendam congregati mutuis consiliis ac suffragiis stabiliremus et decerneremus ea, quae in sensu Canonum et S. Sedis Ap. constitutionum ad Cleri populive profectum, ad vindicandas ab erroribus fidei veritates, ad roborandam Ecclesiae disciplinam censebimus profutura. Hoc coepto consilio viam sumus ingressi, quam antiqua Ecclesiae praxis velut saluberrimum religionis tutandae corroborandaeque medium fuisse comprobat, quam Patres Tridentini sanxerant, et quam nostro quoque tempore haud cum modico Ecclesiae Dei incremento plurimi in diversissimis provinciis Antistites secuti sunt. Eo autem alacrius hanc viam ingredimur, quo minus constat, usum in hac Colocensi et Bacsiensi provincia salutaris illius religionis fovendae remedii adusque factum fuisse. Licet enim Sedes Eppales provinciae huius utplurimum cum exordio regni Hungariae exurgerent, licet haec provincia successu temporis plurium regnorum tunc ad Hungariam pertinentium Eppatus complecteretur, licet illius Antistites ad conservandam veram religionem difficilibus Turcarum inprimis dominii temporibus plurimum praestiterint, fueritque signanter provincia haec antemurale christianitatis, licet denique depulsis post semialterum seculum e regno Hungariae Turcis provinciae huius eppales cathedrae ipsaque metropolitana sedes sensim instauraretur: subsequae attamen rerum temporumque calamitates impedimento erant, quominus maioribus nostris salutari Conciliorum remedio uti integrum fuisset. Nostris tandem temporibus reservatum est, ut Deo propitio restituta in Austriae Imperio libertate, quae inprimis providae Sanctitatis Vestrae sollicitudini et Aug. Imp. Regisque nostri Apostolici pietati non minus ac aequitati in acceptis est referenda, Synodum Provincialem secundum C. Tridentini praecepta celebrare possimus. Cuius causa isthic iam congregati, antequam illam in Domino ordiremur, *ad Cathedram Petri, in qua est sita Ecclesiae unitas, confugimus*, ut Sanctitatis Vestrae paternam benedictionem filiali cum veneratione exoremus. Facimus id eo fidentius, quo magis credimus omnem benedictionem venire ab Alto per Christum Dominum nostrum, cuius Vestra Sanctitas est in terris Vicarius. Quod ad normam celebrandae Synodi obiectorumque in

ea tractandorum rationem attinet, sequemur potissimum morem, quem Concilia in diversis provinciis celebrata et a Sanctitate Vestra iam recognita ac approbata observarunt. Non morabimur autem decreta Synodi huius provincialis subinde Sanctitati Vestrae pro apostolica revisione et approbatione filiali cum observantia substernere. Quod reliquum est, *alacriter hanc occasionem arripimus ad profitendam Patrum Decessorumque nostrorum intemeratam fidem, qua Cathedrae Petri inter quaevis rerum discrimina semper firmissime adhaeserant; ad significandam filialem venerationem, qua Sanctitatem Vestram ceu christiani orbis Patrem prosequimur; ad contestandum ingenuae subiectionis sanctissimum officium, quo Sanctitati Vestrae ceu Apostolorum Principis successori et Iesu Christi in terris Vicario ad pedes provolvimur, Deum omnis consolationis auctorem enixius deprecantes, ut inter diuturnas aerumnas et afflictiones Ecclesiae laetiora tribuat tempora, quibus Sanctitas Vestra de felici in conversione et sanctificatione animarum successu atque de Ecclesiae haereditate ac independentia in tuto collocata gaudere possit.* Quod ipsum ex animo aventes, nos una cum Clero et fideli populo curae nostrae creditis Sanctitati Vestrae enixe commendamus ac in reverentissmo pedum osculo emorimur. Colocae die 5 Sept. 1863. Iosephus, AEppus et Metr. Col. — Franciscus, Eppus M. Varadin. L. R. — Ludovicus, Eppus Transsylv. — Alexander, Eppus Csanad. — Ioannes, Eppus Tinniniensis.

1247. *Decr. Tit. I. cap. 4.* — Ecclesiam Catholicam divinum opus esse, ipsa historia 18 seculorum, atque quotidiana experientia tanto magis perhibet, quanto evidentius est, quod a nullis tumultuantium errorum fluctibus passionumque impetitibus, quibus hostes veritatis ac virtutis illam continuo oppugnant, unquam subverti potuerit; ut adeo arca haec, pro salute generis humani divina manu constructa, aequori mortalis vitae usque finem seculorum innatet, portumque salutis quaerentibus securum semper transitum offerat. Quo vero eam singuli mortales possent agnoscere, insignita est per Dominum quibusdam dotibus notisque, quibus demonstrata cunctis se in ea salvare volentibus materna viscera exhibet. Unde fecit eam Dominus *unam*, quae ubique gentium eadem praecepta morum et fidei exhibet, iisdem utitur salutis mediis, idem incruentum sacrifi-

cium immolat, atque *eundem Supremum Pastorem venerando in unitate Petrae consurgit.* — Confitetur haec Synodus Ecclesiam Christi esse columnam et firmamentum veritatis, — magistram veritatis infallibilem, — societatem — *supra petram aedificatam, quae divini iuris auctoritate et potestate,* quam mundus nec dare potest, nec accipere, fideles verbo Dei et Sacramentis pascit, *per Episcopos sub dependentia Romani Pontificis regit,* coërcet etc. — Ex adverso damnat et reiicit Synodus — eos, qui docent omnes christianos esse potestate spirituali pares, quasi nulli darentur gradus sive ordinis sive iurisdictionis inter illos, quos Spiritus S. ab initio posuit regere Ecclesiam Dei, *quibusque Petrum praeposuit, ut pasceret agnos et oves.* — Huc denique refert Synodus perversas doctrinas in *Synodo Pistoriensi* contra hierarchicam Ecclesiae constitutionem eique debitam obedientiam et subiectionem prolatas, et a *Pio VI* Papa *Bulla,* quae incipit ‚*Auctorem fidei*' variis censuris perstrictas, eandemque dogmaticam constitutionem tamquam veram et irreformabilem credendorum normam veneratur, atque tota mente amplectitur.

Tit. I. cap. 6. — Declarat Synodus, quaevis *S. Congregationis Indicis* relate ad *libros prohibitos* sancita plenum apud nos quoque obtinere vigorem, atque ab omnibus debite observanda esse. —

Tit. II. cap. 1. Quum visibilis Ecclesia visibili Capite indigeat: Dominus et Salvator noster *Petrum* universi fidelium gregis Caput et Pastorem constituit, dum illi oves suas pascendas verbis amplissimis eoque modo commendavit, ut successores illius eandem plane totius Ecclesiae docendae, regendae et gubernandae potestatem habere voluerit. Unum nempe oportuit pro una Ecclesia eligi, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio; sed et unam constitui cathedram, ad quam propter potiorem principalitatem omnem necesse sit convenire Ecclesiam, ut unitas ab omnibus servaretur. Huius unitatis sacramentum, attestante S. Leone Papa, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo praecipue collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hanc porro cathedram unam et principa-

lem Apostolorum Princeps Petrus *Romae* suo sangvine dedicavit. Cum enim, ut ait S. Leo Papa, duodecim Apostoli imbuendum Evangelio mundum suscepissent, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcam Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Hinc *in Romano Pontifice Maximo*, quem Cyrillus Alex. in Ephesina Synodo AEppum totius orbis terrarum, Patrem et Patriarcham appellat, *summum pontificalis dignitatis culmen et potestatis plenitudinem, non ullis Synodicis aut aliis humanis constitutionibus attributam, sed divinitus collatam semper venerata est catholica Ecclesia.* Quemadmodum ergo Petrus erat petra seu fundamentum Ecclesiae, et invisibilis Ecclesiae capitis Christi visibilis in terris Vicarius; doctrinae fidei magister irrefragabilis, pro quo ipse Dominus oravit, ut non deficeret fides eius; regni coelestis clavicularius, cui traditae sunt claves regni coelorum; denique gregis dominici pastor supremus in terris, qui et oves et agnos pascendos ita accepit, ut, etsi hoc esset Petrus, quod erant ceteri Apostoli, non tamen essent hoc ceteri, quod erat Petrus, cui soli dictum est: ‚Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:‘ pari modo *legitimi eius in Cathedrae Romanae culmine successores, in quibus semper vivit et loquitur et praesidet, nihilo sunt ipso inferiores, sed pari potestatis plenitudine et omnium Ecclesiarum sollicitudine ceterorum Apostolorum in Eppatu successoribus praevalent*, eosque in partem legitimae sollicitudinis admittunt, *depositum fidei summo et irrefragabili oraculo custodiunt, Concilia Oecumenica cogunt, praesidio regunt, oraculo confirmant, atque iisdem succenturiati ita faciunt plena, ut eadem capite truncato sint nulla.* Unde *propositiones Cleri Gallicani a. 1682 editas*, quas iam piae memoriae Georgius Szelepcsényi AEppus Strigoniensis una cum ceteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem *reiicimus, proscribimus, atque cunctis Provinciae huius fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent.* Porro *Summi Pontifices causas maiores cognoscunt, leges pro universa Ecclesia rogant et relaxant, censuras pro utroque foro in coelis perinde ratas infligunt, et, nulla inter iura sua in accidentalia seu adventitia et essentialia seu nativa facta distinctione, omnem potestatis plenitudinem ex uno unitatis fonte habent.* Verbo profitemur cum

Concilio Florentino: S. Ap. Sedem et Romanum Pontificem etc. (ut in C. Flor.) Quapropter Synodus hanc Patrum Florentinorum fidem toto mentis assensu amplexa, et speciatim singulas Apostolicas Constitutiones, quae huc attinent, renovans, reiicit et damnat quaecunque placita et doctrinas his oppositas, prout sunt signanter in Constitutione ‚Auctorem fidei' reiecta, perstricta et damnata; una reverentissimi amoris, firmissimae adhaesionis, integerrimae unanimitatis, sanctae et salutaris subiectionis atque obedientiae religionem ac fidem palam profitetur, omnibusque suis fidelibus praedicat et praecipit. Damnat porro in specie eos omnes, qui Sedi Apostolicae non consentientes, ab eius et ideo totius Ecclesiae communione se sequestrant, qui extra hanc domum agnum comedit, profanus est, et qui non colligit cum Petro, spargit. Damnat denique eos, qui solum nomine Pontificis Primatum retinentes, hunc ut merum unitatis symbolum habent, non autem ut verum munus et officium divinitus collatum pascendi universalem Ecclesiam, quasi ceteris Eppis honoris tantum gradu, non autem supremae potestatis amplitudine antecellat. *Nos* igitur *maiorum nostrorum exempla sectantes statuimus, praeter causas maiores Apost. Sedi reservatas in aliis gravioribus et ancipitibus, quae suboriri possent, quaestionibus nihil a nobis decernendum, quin huius supremae Sedis oraculum consuluerimus. Cuncta etiam eius responsa atque mandata veluti ab apostolico culmine, vel potius ab ore Patris Patrum delapsa humiliter accipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus et faciemus ab omnibus observari.* —

1248. *Epistola ad Papam, acta Concilii substernens.* Ecclesiasticae Provinciae Colocensis et Bacsiensis Concilium, antequam occiperet, Sanctitati Vestrae a me comprovincialibusque Eppis reverentissime annunciatum, Deo propitio duarum hebdomadum intervallo est transactum. Quantum in nobis est, invocato Spiritus S. auxilio, omnimode adnitebamur provincialis huius Concilii decretis concordi voto conditis ea sancire, quae hac praesertim temporum calamitate ad fidei depositum conservandum, Ecclesiae causam propugnandam, mores corrigendos, pietatem et caritatem in populis sollicitudini nostrae creditis excitandam et alendam, eorumque spiritualem salutem procurandam maxime idonea fore reputavimus. Qua quidem in re nulli parcentes labori ea cum fiducia versabamur, quod si in salebro-

so ac multiplici hoc opere nonnulli irrepsissent errores, hi irrefragabili S. Sedis Apost. iudicio, cui acta Synodi subiici debent, sint corrigendi. Cum igitur ideo, tum quam maxime ut intemeratam ac filialem erga Christi in terris Vicarium meam non minus ac Suffraganeorum huius provinciae Epporum venerationem, obedientiam et devotionem facto quoque perhibeam: acta et decreta Concilii nostri hisce advoluta Cathedrae S. Petri omnium Ecclesiarum matris et magistrae, examini et iudicio humillime submitto, tunc utique promulganda vigoremque nactura, dum suprema Sanctitatis Vestrae auctoritate fuerint sancita et approbata. Quod reliquum est, non cessat universa haec Provincia Deum ardentissimis exorare precibus, ut ad ostendendas gratiae suae divitias Sanctitatem Vestram diu multumque servet sospitem et incolumem, ad cuius pedes provolutus pro me et Coeppis meis, totius item provinciae Colocensis et Bacsiensis Clero populoque apost. benedictionem humillime efflagito, ac in devoto beatorum pedum osculo summa cum veneratione emorior. Colocae die 29. Sept. 1863. Iosephus, AEppus et Metr.

1249. *Responsum Summi Pontificis.* Libentissimo quidem animo tuas nuper accepimus literas 3 Cal. proximi mensis Oct. datas, quibus nobis misisti acta Provincialis Concilii a te et a ven. fr. istius eccles. provinciae Eppis, tuis Suffraganeis, recens celebrati, ut acta ipsa supremo nostro et huius Apost. Sedis iudicio ex more institutoque maiorum subiicerentur. Nos eadem acta nostrae Congregationi Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae, cuius auxiliaria opera, quemadmodum optime noscis, ad huiusmodi cognoscenda negotia uti solemus, examinanda statim commisimus, ut ipsa Congregatio omnia accuratissime perpendat et ad nos deferat, ac deinde congruum tibi det responsum. Interim vero tibi ac tuis Suffraganeis summopere gratulamur de eximia erga nos et hanc Petri Cathedram, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, fide, amore et observantia, quae in te ac tuis Suffraganeis enitet. Singulari autem voluptate ex tuis literis agnovimus, qua cura, studio, labore in hoc celebrando Concilio omnis a te et ab eisdem tuis Suffraganeis opera fuerit adhibita, ut concordissimis animis ea ederentur decreta, quae in hisce praesertim tantis rerum asperitatibus tantaque temporum iniquitate possint in istis regionibus ss. fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custo-

dire, et Catholicae Ecclesiae causam, iura, doctrinam tueri, et cleri disciplinam sartam tectamque servare, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem, probitatem quotidie magis excitare, ac mutuam eorum caritatem fovere et inflammare. Itaque hanc egregiam tuam et tuorum Coëpiscoporum pastoralem sollicitudinem debitis meritisque laudibus prosequimur. Certi autem sumus, te ac tuos Suffraganeos divino auxilio fretos nihil unquam intentatum esse relicturos, ut divina nostra religio eiusque salutaris doctrina in istis dioecesibus magis in dies vigeat, floreat ac dominetur, ut fideles isti populi quotidie magis enutriti verbis fidei et per gratiarum charismata confirmati alacriori usque pede incedant per semitas Domini, ut adversariorum detegantur insidiae, profligentur errores, atque ut miseri errantes ad salutis tramitem revocentur. Optamus autem vehementer, ut a te, ven. frater, atque ab Eppis tuis Suffraganeis una cum universo isto clero populoque fideli ferventissimae diviti in misericordia Deo sine intermissione offerantur preces, ut exurgat et iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tot tantisque eripiat calamitatibus, eamque novis ac splendidioribus ubique terrarum triumphis exornet et augeat, atque omnes Ecclesiae et huius Apost. Sedis hostes humiliet, eosque de perditionis via ad iustitiae, veritatis, salutisque semitas reducat. Pro certo autem habe, nos in humilitate cordis nostri ab ipso clementissimo Domino enixe exposcere, ut uberrima coelestis suae gratiae dona super te et Eppos tuos Suffraganeos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves tuae et illorum curae traditas copiose descendant. Atque horum auspicem et certissimum praecipuae nostrae benevolentiae pignus apost. benedictionem effuso cordis affectu tibi ipsi, ven. frater, aliisque ven. fratribus sacrorum istius eccles. provinciae Antistitibus, tuis Suffraganeis, cunctisque clericis laicisque fidelibus tuae et illorum vigilantiae commissis peramanter impertimus. Datum Romae die 26. Nov. 1863. — *Acta et decreta C. Coloc.* p. 6. 51. 67. 37.

1250—1253.

Conventum Theologorum Monachii 1863. habitum concernentia Acta.

1250. MON. *Breve Pii IX ad AEppum Monacensem, in quo suam de similibus Theologorum Congressibus mentem uberius proponit. 1863.* Tuas libenter accepimus Literas, die 7 proxime elapsi mensis Octobris datas, ut Nos certiores faceres de Conventu in ista Monacensi civitate proximo mense Septembri a nonnullis Germaniae Theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, quae ad theologicas praesertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent. Ex Literis Tibi Nostro iussu scriptis a Venerabili Fratre Matthaeo, Archiepiscopo Neocaesariensi, Nostro et Apostolicae huius Sedis apud istam Regiam Aulam Nuntio vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus Nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito Conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus, quomodo commemorati Theologi et viri ad huiusmodi Conventum invitati et congregati fuere. Nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo huius Conventus auctores fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes Catholici viri doctrina praestantes, collatis consiliis coniunctisque viribus, germanam catholicae Ecclesiae scientiam promoverent, eamque a nefariis, ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus, conatibusque vindicarent ac defenderent. Sed in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra licet immerentes collocati asperrimis hisce temporibus, quibus Sacrorum Antistitum auctoritas, si unquam alias, ad unitatem et integritatem catholicae doctrinae custodiendam vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non potuimus non vehementer mirari videntes, memorati Conventus invitationem privato nomine factam et promulgatam, quin ullo modo intercederet impulsus, auctoritas et missio ecclesiasticae potestatis ad quam proprio, ac nativo iure unice pertinet advigilare ac dirigere theologicarum praesertim rerum doctrinam. Quae sane res, ut optime noscis, omnino nova ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque

iccirco voluimus, Te, Venerabilis Frater, noscere hanc Nostram fuisse sententiam, ut cum a Te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus probe iudicari posset de scopo per Conventus programma enuntiato, si nempe talis esset, ut veram Ecclesiae utilitatem afferret. Eodem autem tempore certi eramus, Te, Venerabilis Frater, pro pastorali Tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibiturum, ne in eodem Conventu tum catholicae fidei ac doctrinae integritas, tum obedientia, quam omnes cuiusque classis et conditionis catholici homines Ecclesiae auctoritati ac magisterio praestare omnino debent, vel minimum detrimentum caperent. Ac dissimulare non possumus, non levibus Nos angustiis affectos fuisse, quandoquidem verebamur, ne huiusmodi Conventu sine ecclesiastica auctoritate congregato exemplum praeberetur sensim usurpandi aliquid ex iure ecclesiastici regiminis et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano Pontifici et Episcopis in unione et consensione cum ipso S. Petri Successore, atque ita, ecclesiastico ordine perturbato aliquando unitas et obedientia fidei apud aliquos labefactaretur. Atque etiam timebamus, ne in ipso Conventu quaedam enunciarentur ac tenerentur opiniones et placita, quae in vulgus praesertim emissa et catholicae doctrinae puritatem et debitam subiectionem in periculum ac discrimen vocarent. Summo enim animi Nostri dolore recordabamur, Venerabilis Frater, hanc Apostolicam Sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse ultimis hisce temporibus censura notare ac prohibere nonnullorum Germaniae Scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio seu methodo falsae scientiae aut hodiernae fallacis philosophiae, praeter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad proferendas ac docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimae fidei nostrae dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia iam damnatos e tenebris excitarunt et propriam divinae revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt. Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit

obedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis ac Nostrarum Congregationum decreta declamant ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra et vindex fuit constituta. Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia secula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. Haec sane omnia pro gravissimi supremi Nostri Apostolici ministerii munere ac pro singulari illo amore, quo omnes Germaniae catholicos carissimam Dominici gregis partem prosequimur, Nostrum sollicitabant et angebant animum tot aliis pressum angustiis, ubi accepto memorati Conventus nuntio, res supra expositas Tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad Nos relatum fuit, Te, Venerabilis Frater, huiusce Conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem Conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem Conventu iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam habitas fuisse, et postquam ipsius Conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam Nostram imploraverunt Benedictionem, nulla interposita mora, piis illorum votis obsecundavimus. Summa vero anxietate Tuas expectabamus Literas, ut a Te, Venerabilis Frater, accuratissime noscere possemus ea omnia, quae ad eumdem Conventum quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a Te acceperimus, quae scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore, ut huiusmodi negotium, quemadmodum asseris, Deo auxiliante, in maiorem catholicae in Germania Ecclesiae utilitatem cedat. Equi-

dem cum omnes eiusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt, ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certasque reddere.

Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes ac profitentes uno eodemque tempore plane reiicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda. Eiusdem vero Conventus viros debitis prosequimur laudibus propterea, quod reiicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Literis ad Te scriptis loquuti sumus, noverunt et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis

infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici Magistri ac Scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat Dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides, et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, iccirco eiusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur, ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus, viros, qui commemorato Monacensi interfuere Conventui ullo modo potuisse aut voluisse obstare doctrinae nuper expositae, quae ex verae theologiae principiis in Ecclesia retinetur, quin imo ea fiducia sustentamur fore, ut ipsi in severioribus excolendis disciplinis velint ad enunciatae doctrinae normam se diligenter conformare. Quae Nostra fiducia praesertim nititur iis Literis, quas per Te, Venerabilis Frater, Nobis miserunt. Siquidem eisdem Literis

cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo Conventu mentem numquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quae ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur, noluisse eumdem dimittere Conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam ac filialem pietatem, qua Nos et hanc Petri cathedram, catholicae unitatis centrum prosequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis potestatem auctoritatemque ipsi recognoscant ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinae pascuis, et continenter advigilandi, ne sanctissima fides eiusque doctrina ullum unquam detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis, tradendis, sanaeque doctrinae tuendae operam navantes uno eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exsequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis, quae circa doctrinam a Suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur. Haec autem omnia Tibi communicamus, ac summopere optamus, ut ea iis omnibus significes viris, qui in memorato Conventu fuere, dum, si opportunum esse censuerimus, haud omittemus alia Tibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniae Sacrorum Antistitibus hac super re significare, postquam Tuam et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de huiusmodi Conventuum opportunitate. Demum pastoralem Tuam sollicitudinem ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, ut una cum aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus curas omnes cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conferas. Neque omittas omnibus inculcare, ut profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiae libertatem, eiusque non solum verum profectum, sed etiam errores tamquam progressus impudenter iactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiae progressus, qui, sanctissima ac divina fide duce et magistra, in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas praesertim disciplinas excolant secundum

principia et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi doctores immortalem sibi nominis laudem, et maximam Ecclesiae et scientiae utilitatem ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo catholici viri in scientiis excolendis poterunt, Deo auxiliante, magis in dies, quantum homini fas est, noscere, evolvere et explanare veritatum thesaurum, quas in naturae et gratiae operibus Deus posuit, ut homo postquam illas rationis et fidei lumine noverit, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in aeternae gloriae claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, Eoque felicissime in aeternum perfrui et gaudere. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te caritatem. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus. — Datum Romae apud S. Petrum, die 21. Decembris anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

1251. *Epistola Nuntii Apostolici Vindobonensis ad Praesules Germaniae, cuius ope conditiones exponit, sub quibus Conventus Theologorum celebrari possunt.* 1864. Iussis mihi datis obsequens literas, quas Germaniae Sacrorum Antistites ad me humanissime dederunt, ut suam de theologorum aliorumque scientiarum cultorum conventibus, quales nuper haberi ceperunt, sententiam aperirent, ad S. Sedem incunctanter transmisi. Perspectum exinde fuit Bmo Patri, Episcoporum mentem esse, huiusmodi conventus in praesentibus rerum adiunctis permitti quidem posse, nonnullas tamen servandas esse conditiones, ut ii non solum in scientiarum profectum ac virorum doctorum concordiam, sed etiam in Ecclesiae bonum cedere possint. Quod Episcoporum consilium eo vel magis Sanctitati Suae acceptum fuit, quod iam omnia, quae ab ipsa relate ad primum Monachii habitum conventum seu animadversa seu iussa fuerant, id luce clarius ostenderant, S. Apostol. Sedem huiusmodi conventus per se nullimode improbare, maxime autem sollicitam esse, ne ullum ex iis catholicae doctrinae puritas et Episcoporum auctoritas detrimentum caperent. Hoc vero cum omnino caveatur, si eae serventur conditiones, quae a Germaniae Praesulibus propositae a Bmo Patre probatae fuerunt, Sanctitas Sua mihi prae-

cipere dignata est, ut praelaudatis Episcopis Suo nomine significarem, sedulo ab ipsis curandum esse, ut eaedem conditiones ab omnibus, ad quos spectat, cognoscantur atque ubique adimpleantur, utque praesertim statuta, quae pro hisce conventibus proxime condi debent, praecipuam illarum rationem habeant. Eae autem sunt:

1) Ut sicuti omnium disquisitionum regula agnoscatur epistola S. Pontificis ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem hac super re data, ut nempe principia ibidem exposita omnes amplectantur et profiteantur.

2) Ut requisita determinentur illorum, qui ad conventus invitandi sunt.

3) Ut exposcatur et obtineatur consensus Ordinarii, in cuius Dioecesi conventus haberi debet.

4) Ut ipsi Ordinario omnium invitatorum nomina nota fiant.

5) Ut eidem manifestentur argumenta, quae pertractanda sunt; liberum autem ipsi erit, ea, quae forsitan minus opportuna censebit, ex catalogo expungere.

6) Ut acta conventus non vulgentur, nisi prius ab eodem Episcopo fuerint probata. Statuta hoc modo confecta ad S. Sedem mittentur, ut pateat, quae ab Ipsa hac super re mandata sunt, a scientiarum cultoribus debita cum veneratione suscepta atque adimpleta fuisse.

Insuper pro certo habet Sanctitas Sua, unumquemque Episcopum, quos in sua Dioecesi habet, pietate et sana doctrina praestantiores seu Sacerdotes seu Laicos ad huiusmodi conventus missurum esse, ut ibidem veris tuendis ac vindicandis principiis incumbant. Eisdem autem conventibus praeesse vel etiam assistere, Episcopi pro eorum prudentia minime opportunum censebunt. Libera enim et integra remanere debet ipsorum auctoritas in iis examinandis et diiudicandis, quae a Doctoribus privato tantum nomine disceptata atque admissa fuere.

Haec habui, quae S. Sedis iussu ac nomine Dominationi Vestrae Illmae ac Revmae patefacerem, ac sinceris obsequiis et observantiae studiis persevero. Rodauni die 9. Octobris 1864. Uti Frater † M. Archiep. athen. Nuntius Apost. m. p.

1252. *Theologi Germaniae in Conventu Societatum Catholicarum Herbipolensi praesentes Summo Pontifici Pio IX declarant: quod decisis Eiusdem circa Conventus Theologorum*

editis se plene submittant. 1864. Cum hisce diebus Societatum Catholicarum conventus in hac Urbe celebretur, nos humillime infrascripti Theologi aliique scientiis addicti catholici hac occasione utendum censuimus, ut et nos filialis submissionis profundissimaeque venerationis verba ad Sanctitatem Vestram dirigamus. Urget enim animus, Beatitudini Vestrae de apostolica illa atque paterna sollicitudine, quam rei theologicae in genere, coetibusque theologorum eruditorumque catholicorum in specie impendit, gratias agere. Hanc enim credimus petram esse, quam fundamentum Ecclesiae posuit Dominus, qua firmitatem illam suscipit, ob quam adversus eam non praevalebunt superbae inferorum portae. Petri successorem te credimus, cui dominici ovilis cura commissa est: tuum igitur est fratres confirmare atque puritati doctrinae invigilare. *Quae* igitur *te docente audivimus, ea ut ab omnium christianorum Doctore dicta humiliter suscipimus, et iis, quibus ad secura pascua nos deducis, gaudentes obsequimur. Quaecunque Sanctitas Vestra de auctoritate Ecclesiae in scientias statuit, haec doctrinae S. Sedis Apost. devota mente obsequentes suscipimus. Quae vero de coetibus sanxit, ea nos, ubicunque data opportunitate in unum convenerimus, religiose accurateque observaturos ac pro firmissima agendi regula habituros pollicemur atque spondemus.* Ut autem ad haec et divinum auxilium impetremus, et studia nostra Deus prosperet, divinarum gratiarum pignus apost. benedictionem ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti humillime expetimus. — Wirceburgi die 13. Sept. 1864. (Subscripti: Professores Universitatum 9; professores Seminariorum et lyceorum Phil. et Theol. 22; doctores theol. 22; doctores phil. et iuris 5, et alii adhuc 5; universim 63.)

1253. *Responsum Pii IX. Papae.* Dil. filiis *Henrico Denzinger* prof. in Univ. Herbip. et *Iosepho Hergenröther* Prof. Literas a Vobis ceterisque catholicis viris, theologicarum aliarumque severiorum disciplinarum cultoribus, in istam Herbipolensem Civitatem ad Catholicarum Societatum conventum habendum congregatis, die 13 proximi mensis Septembris ad nos scriptas, libenti animo nuper accepimus. Eisdem autem literis luculenter profitemini, dil. filii, summam esse vestram et eorumdem virorum erga nos et hanc Petri Cathedram, catholicae unitatis centrum, filialem pietatem et observantiam, nihilque vobis eisdemque viris gratius,

nihil potius, quam omni humilitate et veneratione ea omnia excipere, et studiosissime tueri ac propugnare, quae a nobis et ab hac S. Sede traduntur ac docentur. Non mediocri certe gaudio et consolationi nobis fuerunt, inter maximas quibus premimur acerbitates huiusmodi egregii vestri et virorum, qui in eundem congressum convenerunt, sensus omni certe laude digni. Quocirca ea profecto spe nitimur fore, ut Deo auxiliante ea a vobis aliisque istic collectis suscipiantur consilia, qui asperrimis hisce potissimum temporibus ad germanam catholicae Ecclesiae doctrinam tuendam ac magis in dies propagandam, ad tot nefarias inimicorum hominum insidias detegendas, ac perniciosissimos eorum errores profligandos, atque ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem procurandam conducere possint. Coelestium autem omnium munerum auspicem et paternae nostrae caritatis pignus apost. benedictionem toto cordis affectu vobis ipsis, dil. filii, cunctisque istius Congressus viris peramanter impertimus. Datum Romae die 20 Octobr. 1864.

1254.

Eppus Recinetensis et Lauretanus in prima ad Clerum suum Encyclica de Primatu. 1864.

— — 18. Veritas una est; ergo una debet esse veritatis fides, quam singuli ex ipsa naturali obligatione profiteri exterius quoque tenemur. Sed haec fidei unitas servari non posset, nisi omnes veram fidem profitentes charitatis ac pacis vinculo copularentur in centro aliquo unitatis; quocirca Christus unam voluit esse Ecclesiam, in qua omnes fideles ad unum vitae aeternae spectantes exitum, eorumdem sacramentorum mediis, in fidei unitate, ac eiusdem fidei externa professione, sub uno eodemque capite invisibili Christo Domino, et visibili d. Petro eiusque in Romana Cathedra successoribus conglutinarentur. Hac de causa Paulus humano corpori Ecclesiam comparat, in quo plura sunt membra variis destinata officiis, quae in capite unita, unum corpus efficiunt: „Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint

multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu, omnes nos in unum corpus baptizati sumus.“ Rursus: „Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.“ Quam ob rem S. Ambrosius Ecclesiam appellat *congregationem quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei, et charitatis assurgit.*

19. Ad hanc itaque unitatem servandam Primatum non solum honoris, sed et iurisdictionis, quo omnes fideles ad eiusdem fidei professionem, et ad idem unionis vinculum retinendum cogere posset, Petro Christus contulit hisce verbis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Pasce agnos meos, pasce oves meas;* ubi pascendos ei tradit non solum fideles sed etiam ipsos pastores: „Prius agnos, inquit S. Eucherius Episcopus Lugdunensis, deinde oves commisit ei: quia non solum pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit igitur et matres, regit et subditos, et praelatos. Omnium pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est.“ Eam potiorem fuisse instituendi Primatus causam agnoverunt Patres: „Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio:“ ita S. Hieronymus. Et „Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficerentur schismata, quot Sacerdotes.“ Quapropter in oecumenico Chalcedonensi Concilio sexcenti et triginta Patres una voce proclamarunt, Petrum *petram et crepidinem Ecclesiae Catholicae, et rectae fidei fundamentum.*

20. Sed instituti primatus finem Christus assequutus minime procul dubio fuisset, si hoc honoris et iurisdictionis officium cum Petri persona desiisset: voluit itaque ut in Petri successores Romanos Pontifices transiret, qui veluti per os Petri semper viventis illibatam custodirent fidem, omnesque fideles in unum corpus consociatos retinerent. Quod constans Latinorum, et Graecorum Patrum traditio numquam non tenuit. Hinc cum nondum ullum coactum fuisset concilium, principalitatem super omnes alias Romanae Ecclesiae proclamans S. Martyr Irenaeus auditor, ac suppar Apostolicorum Patrum, ostendit eamdem principalitatem solum Christum auctorem habere potu-

isse, atque ad veros dignoscendos fideles tamquam tesseram ponit eorum fidei concordiam cum iis, quae a Romana Cathedra credenda proponuntur: ita enim de Romana Ecclesia loquitur: „Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab iis qui sunt undique, conservata est, quae est ab Apostolis traditio.“ Quare S. Athanasius edisserit, a Romanis Pontificibus iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam non ex arbitraria hominum lege, sed ex ipso Dei mandato esse exercendum. „Ob id vos praedecessoresque vestros, Apostolicos videlicet praesules in summitatis arce constitūit Deus, omniumque Ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succurratis.“

21. Quid vero plura heic congeram erga Romanorum Pontificum honoris et iurisdictionis Primatum obsequii, ac venerationis testimonia a SS. Patribus atque Oecumenicis Conciliis exhibita? De re agitur omnibus perspecta. Illud vero praeterire non possum quod ex actis Chalcedonensis Concilii eruitur, in causa S. Flaviani Patriarchae Constantinopolitani, cuius patrocinio haec nostra Dioecesis Recinetensis gloriatur. Ad reparanda immania scelera adversus S. Flavianum opera Dioscori Alexandrini Patriarchae commissa, auctoritate S. Leonis Papae Chalcedone Oecumenico Concilio coacto, in Actione prima de persona ipsius Dioscori pertractatum est, ac Leonis legati eius nomine praesidentes, hisce verbis in epistola, quam S. Leo ad Episcopos Galliae dedit, relatis in Dioscorum sententiam protulerunt: „Sanctus ac Beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiae Leo, per nos legatos suos, Sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum et petra fidei, et coelestis regni ianitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.“ Obsequentibus itaque omnibus Patribus in Synodo collectis, ac supremam Pontificis auctoritatem venerantibus Leonis nomine depositionis sententia in Patriarcham lata est.

22. Dogma fidei est Ecclesiam, sive per orbem diffusam, sive in Oecumenicis Conciliis sub Romano Pontifice eius capite congregatam, auctoritatem a Christo obtinuisse infallibiliter docendi quae credenda, quaeque agenda sint: proinde omnes fideles firmiter iis veritatibus assentire tenentur, quae sunt ab

Ecclesia definitae, omniaque observare praecepta eius magisterio proposita. Enim vero Pastores, ut fidelium gregem doctrinae pabulo pascerent, ac mandatis regerent, instituti sunt: *Posuit* (Episcopos) *Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei;* et Christus Dominus Apostolos, omnes gentes docere iussit: *Docete omnes gentes ..... quaecumque mandavi vobis* non solum quae ad fidem, sed ea quoque quae ad mores referuntur. „Dedit, ait Paulus, eos ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem Corporis Christi . . . . . ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominis, in astutia ad circumventionem erroris.“ Eadem potestate, qua Pater filium suum Iesum Christum, misit in mundum Apostolos Christus ipse: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* ac sub poena praecisionis a mystico Ecclesiae corpore omnibus fidelibus, cuiuscumque in civili societate gradus, etiam summis imperantibus, praecepit, ut eos audirent, eorumque mandata observarent: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

23. Cum igitur fideles omni cordis reverentia Ecclesiae docentis auctoritati adhaerere, eiusque praeceptis obtemperare teneantur; ad perpetuo removendum omne periculum, ipsamque formidinem errandi, infallibilitatis privilegio in rebus fidei, et morum Ecclesiam Christus donavit, adsistentiam suam ei pollicitus his verbis: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, et in Apostolorum persona omnibus eorum successoribus dixit: „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere . . . vos autem agnoscetis eum, quia apud vos manebit.“ Rursus: „Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.“ Item: „Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.“ Haec verba, quibus Christus Ecclesiae spondet se suum praestiturum auxilium, ne unquam in docendo, ac iubendo errorem patiatur, generalia sunt, omniaque complectuntur tum quae ad fidem, tum quae ad mores spectant, praesertim cum necessitas inerrantis magisterii in utroque sit eadem, imo in altero potior. Sic unitatis bono provisum est: si enim fideles veritatis pabulo nutriantur, suisque Pastoribus perpetuo adhaereant, hoc

ipso unitas obtinetur, et conservatur. Ita S. Cyrillus Alexandrinus: „Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit: qui reiicit, me reiicit." Deinde vero addit: „Ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem sacerdoti adunatam, et gregem suo Pastori adhaerentem . . . ; qui cum Episcopis non sint, eos in Ecclesia non esse, frustraque eos sibi blandiri, qui pacem cum Sacerdotibus non habuerint, cum Ecclesia quae catholica et una est, scissa non sit, sed connexa, et cohaerentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.

24. At certissimum quoque est eadem infallibilitate Summum Pontificem Petri successorem *ex cathedra* docentem quae fidem moresque concernunt, praeditum esse. Primatum instituens Redemtor Noster Ecclesiae haud satis consuluisset, si Petro eiusque successoribus ex cathedra definientibus ea, quae sunt fidei et morum, infallibilitatem non tribuisset, qua eorum dogmatica decreta irreformabilia prorsus essent, et tuto possent fideles omnes iis mentis et operis obsequium praestare. Si enim peculiaris alicuius Ecclesiae Episcopus, cuius quoque est oves sibi creditas docere, et dirigere, in rebus fidei ac morum erraret, una vel altera tantum ovilis dominici pars ab unitate deficeret; at ex Romanorum Pontificum errore, quibus ratione Primatus omnes subduntur fideles (quippe ad communionem cum Ecclesia Romana servandam unusquisque obligatur, ne per haeresim, aut schisma ab unitate catholica separetur), iam tota Ecclesia, portis inferi adversus eam praevalentibus, a vera fide deficeret, contra id quod Christus Ecclesiae ipsi pollicitus est. Necesse igitur, ut inerrantiae privilegio a Christo fuerint Summi Pontifices insigniti.

25. Hoc Primatus privilegium iam Petro promiserat Christus hisce verbis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Heic Christus Petri personam eiusque verae fidei professionem nomine petrae designans, et istam petram ceu totius Ecclesiae fundamentum constituens, ne ea unquam deficiat, tantam ipsi Petro eiusque successoribus stabilitatem in fide promittit, ut nunquam portae inferi adversus ipsam praevalere possint. S. Cyrillus Alexandrinus hunc Matthaei locum exponens ait: „Petrum, opinor, nihil aliud quam inconcussam, et firmissimam di-

scipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia ita fundata et firmata esset, ut non laberetur, et esset inexpugnabilis inferorum portis.“ Quapropter Augustinus ita de Romano Pontifice loquitur: „Ipse est petra quam non vincunt superbae infernorum portae.“ Et S. Leo: „Soliditas illius fidei quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit . . . . Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit;“ et iterum: „Soliditas illa, quam de petra Christo, etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes.“ Si ergo, ut paulo ante argumentati sumus, Romanus Pontifex, qui utpote Petri successor est Ecclesiae fundamentum, in fidei regulis, vel morum erraret, totum ipsius Ecclesiae corrueret aedificium: ita porro argumentabatur Origenes: „Manifestum est, etsi non exprimatur, quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portae praevalere poterant inferorum, nam si praevalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam ipsam praevalerent.“

26. Ad eamdem Ecclesiae unitatem tuendam Christus efficaci oratione rogavit Patrem, ab eoque obtinuit, ut a diabolo tentatus Petrus nunquam a fide deflecteret et ceteros Apostolos omnesque fideles in fide confirmaret. Haec sunt verba Christi: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*“ Metaphora ex tritici cribratione ducta praedixit Christus, diabolum, permittente Deo, Apostolos, ad eorum ac fidelium spiritualem profectum, vexaturum, ac turbas dissentionesque in Ecclesiam excitaturum fore; at testatur se Patrem exorasse, nedum ut nunquam Petri fides deficeret, sed ut ipse fratres quoque in vera fide confirmaret: „Quando rogavit, inquit S. Augustinus, ut non deficeret fides eius, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.“ Haec vero duo privilegia, quorum primum partim personale, et partim una cum secundo ad universalem referebatur Ecclesiam, Petro nonnisi ratione Primatus ideoque omnibus in Primatu successoribus collata fuisse, Patres concordes docent. Audiatur S. Leo: „Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formi-

dinis, et Divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quia diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, et tamen speciali a Domino Petri cura suscipitur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo firmatur, et Divinae gratiae ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur." Accedit Theophylactus qui praelaudata dominica verba sic commentatur: „*Tu vero conversus confirma fratres tuos:* plane huius intellectus est, quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam negato me fleveris, et ad poenitentiam veneris, confirma ceteros . . . Hoc etiam te decet, quia post me Petra es, et firmamentum Ecclesiae." Tandem ita intellexisse communi consensu Occidentalem et Orientalem Ecclesiam Evangelicum textum, constat ex Oecumenica sexta Synodo, in qua Patres unanimi reverentia susceperunt S. Agathonis Pontificis Epistolam ad Constantinum Pogonatum, ubi expresse eo sensu verba evangelica traduntur.

27. Hac ratione in omnibus controversiis ad fidem et mores spectantibus, a primis ecclesiae temporibus usque ad nos, quid esset sentiendum, fideles a Romanis Pontificibus exquisierunt: ideo Tertullianus de Romana Ecclesia dicit: „Ista quam felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt . . . videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis *contesserarit.*" Quae verba ut quam magni sint ponderis, eluceat, iuverit ad ea animadvertere, quae in fine actionis IV. Concilii Oecumenici VIII. referuntur: „Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, et ita permitti hunc in S. Petrum intrare." Antequam itaque ad communionem admitterentur hospites, quaerebatur ab eis, num eorum fidei *tessera*, seu libellus cum Romanae Ecclesiae fide conveniret, atque unius, eiusdemque fidei professione emissa in communionem recepti, illi in sacra Apostoli limina excipiebantur. Hanc antiquam consuetudinem spectans Tertullianus dicit: *Videamus quid* (Ecclesia Romana) *cum Africanis Ecclesiis contesserarit,* et significat observandum esse, num Ecclesia Romana probata prius illarum Ecclesiarum convenientia cum propria verae et unicae fidei tessera eas ad communionem admiserit.

Quare mirari haud subest, si fidei formulam, in qua pri-

matus praerogativa Petri successoribus in Romana Cathedra concessa aperte declarabatur, a S. Hormisda post Acacianum schisma Orientalibus Episcopis subscribendam propositam, Occidentalis aeque ac Orientalis Ecclesia summa veneratione ac consensione amplexa sit, ut historica monumenta testantur; eaque subsequentibus temporibus, additis tantum haeresibus, et haereticis postea ortis, usi sunt Occidentales, ac Orientales Episcopi ac Patres etiam in Oecumenico Concilio Octavo sub Adriano I. congregati.

28. Nemo dubitabit, quin Ecclesiae, atque adeo Summi Pontificis inerrantia ad omnes nedum fidei, sed morum etiam regulas se porrigat. Cum enim Christus hisce verbis : *pasce oves meas,* universum gregem pascendi munus Petro ac eius successoribus commiserit, tutissima etiam media ad hunc obtinendum finem disposuit, adsistentiam scilicet Spiritus Sancti, ne a veritate, iustitia, aut honestate aberrando illum ad noxia pascua adducerent : at non solum circa ea, quae ad fidem pertinent, possunt dari noxia pascua, sed etiam circa ea, quae mores respiciunt; cum ad aeternam vitam assequendam necesse sit, et fidei veritatibus assensum praestare, et honeste vivere. Igitur oves et doctrina, et morum institutis pascendae sunt. Hisce addendum Ecclesiam sanctam esse, atque ita in Apostolorum symbolo vocari, ob sanctam etiam professionem, quae in eo est, ut sanctos profiteatur mores, nullum admittat turpem, nullum honestum damnet; at si Summus Pontifex ex cathedra loquens, posset et turpia et iniusta docere, ac damnare honesta; iam ipsa Ecclesia posset eadem docere, ac damnare, atque ita a sanctitate deficere ; etenim quemadmodum error Capitis in fide totam in errorem traheret Ecclesiam, id quoque in morum doctrina contingeret. Hic autem error non solum fidelibus perniciem afferret, sed et fidei adversaretur, quae virtutem probat, vitium condemnat.

29. Quapropter a primis Ecclesiae temporibus tum fideles, tum Ecclesiarum Pastores non solum in dubiis quae ad fidem, sed etiam quae ad honestatem referebantur, Romanam Cathedram magistram veritatis consulere consueverunt. Eusebius huius consuetudinis argumentum exhibet, ubi fragmenta refert epistolae, quam Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Summum Pontificem Soterum dederat; inde enim eruitur, Soterum antea ad Corinthios literas misisse, quae cum praeceptis ac documen-

tis optimis abundarent, tanti ab illis aestimabantur, ut perpetuo in Ecclesiis eas legendas esse constituissent. Et S. Hieronymus plura ad Damasum relata, et ab eodem responsa commemorans ostendit, continenter Pontifices Episcoporum consultationibus satis fecisse: ita in Epistola ad Ageruchium scribit: „Cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis Occidentisque Synodicis consultationibus responderem etc.“ Omissis vero aliis Patrum testimoniis, quae adduci possent, satis esse ducimus ea referre, quae hac de re scripsit Innocentius I. in epistola ad Concilium Carthaginense. Patres in Concilio collecti circa ea quae constituerant, Romanam Cathedram consulendam esse dixerunt, et de iis quoque agebatur, quae ad morum honestatem referebantur. Audiamus vero Innocentium: „Antiquae traditionis exempla servantes, et Ecclesiasticae memores disciplinae, nostrae religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse iudicium: scientes quid Apostolicae Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur: a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit: quem sequentes tam mala iam damnare novimus, quam probare laudanda.“ Haec postrema verba non de fidei rebus dumtaxat, sed et de honestate, ac malitia humanarum actionum Pontificem loqui palam faciunt, et ipse Concilii Patres laudat, qui antiquae traditionis exempla sectantes, et ecclesiasticam disciplinam servantes ut tutissimum emergeret iudicium, Apostolicae Sedis sententiam exquisierunt; atque ita dicit eos debitum suum persolvisse.

30. Hic autem quaedam animadvertere iuverit, ut faciliori ratione sophismata diluere possitis, quae in quadam italica Ephemeride a S. Congregatione Indicis proscripta, hac super re inserta fuere ab iis, qui nomine tenus catholici, ecclesiam reapse audire nolunt imo in suo Capite persequuntur. Exploratum esse debet, omnia quaecumque ad mores spectant non in *individuo*, sed in *specie*, ut dicitur, sumtos, infallibili Ecclesiae ac Summi Pontificis ex cathedra loquentis iudicio subdi. Ea omnia siquidem in Divina revelatione continentur, licet quaedam rationis lumine cognosci valeant. Etsi naturalis lex in animis hominum Dei digito insculpta fuerit, ut ea tamen clarius appareret, et quia cupiditatibus, ac praeiudiciis abrepti homines eam recusa-

bant attendere, *ne sibi aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant.* Oportet vero ad aeternam vitam assequendam vitia declinare, virtutes sequi, et Christus ipse dixit: *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ad Ecclesiae igitur ac Summi Pontificis auctoritatem pertinet, quod est licitum vel illicitum in humanis actionibus decernere, ut vitae semita pateat fidelibus. Notanter autem dicimus Ecclesiae ac Summi Pontificis infallibilitatem omnia complecti quae ad mores pertinent *in communi et specifice* sumtos. In factis namque particularibus nullimode cum iure connexis, quaeque ad privatos homines referuntur, infallibilitate non gaudet Ecclesia, cum ad fidelium regimen, et ad commune bonum ea necessaria non sit; et haec solum innuere voluit D. Thomas ubi scripsit: „In sententiis quae ad particularia facta pertinent, et cum agitur de possessionibus, de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiae errare propter falsos testes."

31. Auctoritas Ecclesiae ac Pontificis infallibiliter decernendi in re morum ad opiniones quoque extenditur uti probabiles a Theologis propugnatas; cum enim ea sit probabilis opinio quae fundamento nititur gravi sed fallibili, rationes quae antea latebant, tractu temporis elucere possunt Ecclesiae, adsistente Spiritu Sancto, ita ut eas opiniones infallibili iudicio tamquam falsas vel practice noxias damnare valeat. Hinc plures in re morum propositiones a Summis Pontificibus damnatae, et aliqua theologica censura notatae fuerunt, quae olim a privatis Doctoribus veluti probabiles tradebantur; et huiusmodi decretis fideles omnes nedum exterius, sed omni cordis obsequio adhaerere tenentur.

32. Meminerimus tandem ad declinandum Ecclesiae aut Romani Pontificis circa mores iudicium nefas esse asserere, Ecclesiam aliquando iudicium tulisse in re ad eius auctoritatem non spectante. Ita facili ratione quisque posset inobedientiam suam defendere et ecclesiasticas frustari definitiones. Peculiare Spiritus Sancti auxilium a Christo Domino Ecclesiae promissum necessario secum fert, ut intra fines potestatis sibi traditae ipsa sese contineat. Si enim posset Ecclesia auctoritatis sibi commissae limites transilire, atque ita errare, Divini Spiritus auxilium ei deesset, et fideles qui eam audirent, in errorem traherentur. Quod si fieri posset viva illa, et spirans regula a Divino Eccle-

siae fundatore posita, quam absque errandi formidine in fide ac morum controversiis omnes fideles sequi debent, contra Christi institutum deficeret; anceps enim fidelium animus fluctuaret in Ecclesiae definitionibus excipiendis, dubitans, an ipsa in re propria, super qua Spiritus Sancti auxilio innixa loquitur, infallibile iudicium protulisset, atque ita de obligatione ei obsequendi dubium movere posset. Praeterea quinam supremus constitueretur iudex, qui in hoc dubio sententiam diceret? Num fideles, qui ex Christi mandato Pastoribus obsequi tenentur? Quando itaque de aliquo Ecclesiae eiusque Capitis Summi Pontificis ex cathedra loquentis iudicio circa res fidei ac morum constat, nemini unquam fidelium dubitare licet, utrum illud intra fines eius auctoritatis latum sit, atque omnes cordis obsequio, ac veneratione illud excipere tenentur, ne quis Ecclesiam non audiens tamquam ethnicus et publicanus ab unitate scindatur.

Postremo vos alloquor, Christi fideles, quoquot estis in utraque Dioecesi. Cavete a lupis rapacibus: huiusmodi sunt ii pseudochristiani, qui vitam vobis non temporalem sed aeternam eripiendi desiderio, ut suorum dogmatum virus facilius propinent, sinceros patriae amatores esse praefricta se fronte gloriantur. De hisce ita Apostolus Iudas Thaddaeus: *Subintroierunt quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc iudicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Nunquam e memoria vestra decidat hoc fidei dogma: qui ab Ecclesiae communione separati vivunt, nisi ante mortem sincere resipiscant, et ad communionem revertantur, aeternam salutem assequi non possunt: *Qui relinquit Ecclesiam Christi,* ait Cyprianus, *alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.* Et S. Optatus: ‚Deserta matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, et se separant a radice matris Ecclesiae, invidiae falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.' Hinc merito Patres Concilii Cirtensis in Synodali Epistola a S. Augustino dictata, et ab eodem relata proclamarunt: ‚Quisquis ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. ‚Sane Christus Dominus, ut superius animadvertimus, unam voluit esse Ecclesiam

super Petrum *origine unitatis et ratione fundatam* eamque visibilem, et visibiliter unam; si enim Ecclesia, et eius unitas non pateret, monitore Augustino, nulla esset securitas unitatis.

Ab Ecclesiae vero communione ad salutem adipiscendam necessaria ii excluduntur, qui cum centro Ecclesiae ipsius Romano Pontifice coniuncti non sunt; etenim qui illi unitur, cum omnibus catholicis eidem adhaerentibus unitur, et ex hac amussim communione omnium cum centro visibilis efflorescit unitas in Ecclesia visibili. Optime Cyprianus tamquam tesseram unitatis Ecclesiae Catholicae assignans communionem cum Romana Apostolica Sede, ad Cornelium Pontificem scribebat: ‚Placuit... ut per omnes omnino isthic ‚positos Episcopos literae fierent, ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, id est catholicae Ecclesiae unitatem, pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent.' Et alibi statuit perinde esse cum eodem Cornelio, *ac cum Ecclesia catholica communicare*. Primis quidem temporibus tam alte persuasum erat fidelibus, signum catholicitatis esse unionem cum Romana Ecclesia omnium matre et magistra, ut ad catholicum ab haeretico, vel schismatico secernendum id unum ipsi postularent, num quis cum Ecclesia Romana conveniret, seu communicaret. Id liquet vel ex iis quae narrat Ambrosius: ‚Advocavit ad se Episcopum (satyrus ut de eius orthodoxia tutum se redderet), nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, id est cum Romana Ecclesia conveniret.' Ea de causa Augustinus ita eos, qui a Romanae Ecclesiae societate recesserant, hortabatur: ‚Venite fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est cum vos videamus praecisos ita iacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est Petra quam non vincunt inferorum portae.'

Ii quoque ab Ecclesiae communione sunt divisi, qui gravissima excommunicationis poena mulctati sunt: decrevit namque Christus eos esse habendos tamquam ethnicos et publicanos: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*. En quomodo de illis qui in excommunicationem maiorem inciderunt, loquitur mox laudatus Cyprianus: *Spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et ne-*

mini salus esse, nisi in Ecclesia possit; et S. Augustinus monet, *excommunicari,* esse *visibiliter praecidi a corpore Ecclesiae.* Videtis igitur, filii dilectissimi, quam vobis cordi esse debeat communionem cum Ecclesia et Romano Pontifice conservare, eaque fugere peccata, quae excommunicatione sive *latae,* sive *ferendae* sententiae puniuntur: qui sub hanc poenam cadunt, ab Ecclesiae unitate rescissi, si in eadem excommunicatione pertinaciter perseverent, aeternam salutem consequi non valent.

Haec vobis exponenda duximus, ut usque ad vitae exitum in Iesu Christi fide et charitate immobiles, eorum insidias, qui duobus hisce supernis donis privare vos tentant, faciliori ratione repellere possitis. — Datum Romae extra Portam Flaminiam ipsa die Assumpt. B. M. V. anno R. S. MDCCCLXIV.

LITERATURA.

SECULUM XIX.

I. De Primatu.

Decennium I. a. 1800—1809.

1. *Gremoire (ou Grimoire) du Pape Honorius avec un recueil des plus rares secrets.* A Rome. 1800. Nomen ementitum et falsa loci annotatio. Anno 1804 in Indicem relatus liber.

2. **I. G. Nehr** *Geschichte des Papstthums.* Leipzig. 1801. 1802. 2 Bde.

3. *Histoire de la Papaute depuis son origine jusqu' a ce jour. Ouvrage traduit de l' Allemand. ‚Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Tacit. hist. l. 1.'* Paris. 1802. Opus Primatui inimicum, a. 1804 Indici insertum.

4. **Petr. Erasmus Müller** *de hierarchia et studio vitae asceticae in sacris et mysteriis Graecorum Romanorumque latentibus.* Copenhagae. 1803. Auctor initia Hierarchiae Romani Pontificis apud Graecos et Romanos quaerit, et contendit, ex horum foeditatibus multa Romae adoptata fuisse, primum per Lutherum emendata!

5. *Positiones de Summo Pontifice seu Eppo Romano, eius Curia et Legatis. In usum auditorum Iuris Eccl.* Friburgi Brisgoviae. 1803. In sensu liberali, in tantum, ut plane contendat auctor, praeter Romanum Eppum, in Primatem Ecclesiae alium Praesulem eligi posse.

6. **Christmann** *Roms zwölf unglückliche Sechser, oder Beleuchtung des bekannten Verses: ‚Semper sub Sextis perdita Roma fuit.'* Konstanz. 1803.

7. **Planck** *Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung.* Göttingen. 1803. ss. Magnam operis partem efficit historia Pontificatus. Auctor, etsi pro sua magna eruditione moderatior sit in scribendo, praeiudicia tamen sectae suae protestanticae deponere haud scivit.

8. **Bartlmä Forster** Weltpriester, *von dem Interesse der römischen Kurie an Ablässen und Bruderschaften.* München. 1803. Praeter Indulgentias, uberius excurrit auctor ad critisanda facta Gregorii VII Papae, totumque fere opusculum non est nisi invectiva ac debachatio in Hildebrandum, uti Papam illum cum acrimonia et indignatione semper compellat.

9. **Iac. Andexer** O. S. B. *assertiones ex Iure Ecclesiastico.* Fiecht. 1804. In sensu neoterico concinnatae theses, cum coarctatione Primatialis potestatis.

10. **Planck** *de veris auctae dominationis pontificiae epochis.* Continetur disquisitio in: ‚*Breyer* historisches Magazin. Iena. 1805.'

11. Idem, *Geschichte des Papstthums von der Mitte des IX Jahrhunderts.* 1805.

12. **Noëmer** *das System der kirchlichen Hierarchie nach den Bedürfnissen des Zeitalters bearbeitet, mit Bemerkungen in Hinsicht auf die Zukunft.* 1806. Auctor licet Catholicus merum honoris primatum tribuit R. P. magnis celebratus encomiis in ephemeridibus: *Oberdeutsche Liter. Zeitung.* 1806. I. 593. ss.

13. *Rom und London, oder über die Beschaffenheit der nächsten Universalmonarchie. Von dem Verfasser des neuen Leviathan (Buchholz).* Tübingen. 1807.

14. **Werkmeister** *zwei theologische Gutachten: 1. über die Nichtigkeit der unfreiwilligen Klosterprofession. 2. über den Eid der Bischöfe an den Pabst und über das Glaubensbekenntniss. Von einem kath. Theologen.* Augsburg. 1808. Ex formula iurisiurandi sumit ansam, contra Primatum excipiendi.

15. **Petersen** *eine Hypothese über Matth. XVI. 18.* In: ‚*Natorps* Quartalschrift für Religionslehrer. Duisburg und Essen. 1808.' Vertit: ‚nec portae inferi, seu obscurantismi, praevalebunt adversus petram.' Ob hanc violentam interpretationem reprehensus fuit auctor vel ab ipsis Protestantibus in: *Allgem. Liter. Zeitung. 1814. Erg. B. 107.*

16. **Beaufort** *Histoire des Papes.* Paris. 1808.

17. **Fr. L. Jahn** *das deutsche Volksthum.* 1808. Opus anticatholicum, cumprimis contra Primatum compositum.

18. *Über den Katholicismus, mit Wünschen und Vorschlägen einer zweckmässigen Verbesserung desselben.* Lindau. 1809. Liber proiectis reformatoriis, auctoritatem Primatus subruentibus, refertus.

19. **Stunden der Andacht** *zur Beförderung wahren Christenthums und häuslicher Gottesverehrung.* Aarau. 1809. Opus pluribus voluminibus constans, in forma concionum Rationalismum proponens, contra Primatum, institutionesque catholicas directum. Plures editiones factae, et cumprimis vigesimis Seculi annis alia etiam opera per illas provocata, ut suo loco dicetur.

I. **Ioan. Marchetti** *del dauaro straniero.* Roma. 1800. Confutat obiectiones Scriptorum, maxime protestanticorum, contra Primatum ex eo positas, quod multum auri et argenti sub variis exercitii iurium primatialium titulis Romam ex regnis extraneis inferatur.

II. **Ioan. Vinc. Giorgi** S. I. *Riflessioni theologico-dogmatiche sopra alcune epoche Evangeliche colle quale dimostrasi il Primato di S. Pietro Principe degli Apostoli in tutta, e sopra tutta la Chiesa, dissertazioni.* Venezia. 1800.

III. **Milner** Vic. Apost. Londinensis, *Lettres a un Prebendaire, ou Reponse aux Reflexions sur le Papisme.* 1800. Confutat Doctorem *Sturges*, qui Papatum argumentis historicis annihilatum ibat.

IV. **C. de la Serna Santander** *praefatio historico-critica in veram et genuinam collectionem veterum canonum Ecclesiae Hispanae, ab Isidoro Hispalensi Metropolita, Hispaniae Doctore primum, ut creditur, adornatam, consequentibus deinde seculis ab Hispanis Patribus auctam.* Bruxellis. 1800. Agit de origine et historia collectionis Isidori Mercatoris ; quamvis autem per hanc collectionem disciplinam Ecclesiae turbatam asserat, plura tamen profert pro eo argumenta, quod Ecclesia Hispanica Primatum Rom. Sedis numquam non agnoverit.

V. **Ianus Settecolli** *quaestiones historico-criticae, ad ea illustranda opportunae, quae in Ecclesia contra Ecclesiam ultimis hisce praesertim 26 annis iam evenerunt, et futuris etiam-*

num evenient. Astracani. 1801. Opus iam a. 1774, ut suo loco dictum, collectum fuit: et praeter apologiam Iesuitarum, egregiam continet de suprema auctoritate Rom. Pont. dissertationem.

VI. **Cypriani** *liber de unitate Ecclesiae* cum notis *L. Ant. de Azevedo* in lingvam portugallicam conversus, prodivit Ulyssipone. 1801.

VII. *Gallus presbyter* anonymus, reticito etiam nomine loci et typographi, concinnavit 1802. refutationem asserti ‚Molkenbuhri' *de Cepha, Gal. II. reprehenso, a Petro diverso.*

VIII—XI. **Card. Gerdil** anno 1802. mortuus reliquit aliquot disquisitiones pro Primatu ineditas, ac primum a. 1851. typo commissas. Eae sunt: a) *De Ecclesia eiusque notis;* b) *Memorie sull' autorita' della Chiesa e del Rom. Pontefice rilevate dagli atti Apostolici;* c) *Quaeritur: utrum ob difficultatem annonae fas sit Eppis super delectu ciborum quadragesimali tempore cum integra indiscriminatim communitate seu populo, inconsulto Rom. Pontifice, dispensare.;* d) *Propositioni estratte dalla Lettera di Mons. N. N. ed animadversioni sulle medesime.* Sunt reflexiones adversus epistolam pastoralem Eppi cuiusdam de Primatu. (fors Eppi *Nolani?)*

XII. **Chateaubriand** *Genie du Christianisme.* 1802. Parte IV libr. 6. agit de Rom. Pontifice.

XIII. **Ferrari** *Isidoro Mercatore difeso.* Venezia. 1802.

XIV. **Ios. de Novaës** *Elementi della Storia de Sommi Pontefici da S. Pietro sino al felic. regn. Pio PP. VII.* Siena. 1802. ss.

XV. **Molkenbuhr** O. S. Fr. *dissertatio: quod Cephas, quem Paulus Gal. II. redarguit, non sit Petrus Apostolus. Editio II auctior, et continens vindicias contra Anonymum natione Gallum.* Monast. 1803.

XVI. **Mich. Catalani** S. I. Can. Eccl. Firmanae, *Aeneae Sylvii de Piccolominibus Eppi Tergestini de rebus Basileae gestis stante vel dissoluto Concilio commentarius, primitus e Bibliotheca Vaticana in lucem editus praeposito prooemio, subiectis adnotationibus.* Firmi. 1803.

XVII. **Piers** *die göttliche Oberherrschaft des Papstes und ihre Feinde. Aus dem Französ.* Augsburg. 1803.

XVIII. **Bartolomeo Romano** *il Romano Pontefice, vero*

Vescovo di tutta la Chiesa universale di Iesu Christo, trattato teologico. Roma. 1803.

XIX. **Molkenbuhr** *diss. critica de actis Apostolorum Petri, Pauli, et Cephae.* Monast. 1804. Propugnat: Petrum a Paulo numquam reprehensum, numquam Cepham in Sacris Literis vocatum, Antiochiae haud sedisse, sed Romanam Ecclesiam 25 annis rexisse, illicve martyrium subivisse.

XX. **Roscoë** *Life and Pontificate of Leo X.* Liverpool. 1804. Auctor, etsi Anglicanus, sine partium studio scribit vitam Leonis X Papae.

XXI. **Leonhard Paradis** *de l' Obeissance due aux Papes ou Refutation de l' adresse aux deux chambres de l' abbé Vinson.* Paris. 1805.

XXII. **Pey** *authorité des deux puissances du Pape.* Strasbourg. 1805. Nova editio operis iam a. 1781. vulgati.

XXIII. **I. H. Kistemaker** *exegetische Abhandlung über Matth. XVI. 18. 19. — oder über den Primat Petri.* Göttingen. 1806.

XXIV. **Ios. Logoteta** *de Rom. Pontificum singulari sollicitudine in Ecclesiam Syracusanam, deque huius perpetua in eosdem subiectione.* Romae. 1806.

XXV. *Was ist der Papst?* In: *‚Isis.* Zeitschr. II. Jahrg. 1806. Bona dissertatio, Papae Primatum clare evolvens.

XXVI. **Jarry** *dissertation sur l' Episcopat de S. Pierre a Antioche, precedée d' une notice sur l' ouvrage d' un nouveau Critique Allemand, qui pretend reformer l' histoire de l' Eglise et les ecrits de SS. Peres.* Paris. 1807. Contra *Molkenbuhrium,* cuius disquisitio paulo superius occurrit.

XXVIII. **Alph. Muzzarelli** S. I. *dissertationes selectae.* Romae. 1807. In earum serie continetur sequens: *An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Eppum invitum, et reluctantem a propria sede ob Ecclesiae necessitatem, aut magnam utilitatem?* Respondet affirmative.

XXVIII. Idem, *Sermones dicti de Apostolorum Principibus Petro et Paulo.* Roma. 1807.

XXIX. Idem, *Sermone per la festa di S. Pietro Ap.* Fuligno.

XXX. **Iac. Pouyard** *dissertazione sopra l' anteriorita del bacio de' piedi de Sommi Pontefici.* Roma. 1807.

XXXI. *De eo, quod Canones vulgo sic dicti Sardicenses revera sint Canones Nicaeni, dissertatio critica.* Posonii. 1808.

XXXII. **Fröhlich** O. S. B. *inquisitio critica in Hist. Eccl. Eusebii Caesareensis.* Posonii. 1808. In ea asserit: epistolas Cypriani et Firmiliani ad Stephanum Papam de baptismo haereticorum esse suppositas.

XXXIII. **Iliac. Sig. Gerdil** Card. *animadversiones in Commentarium a Iustino Febronio in suam retractationem editum.* Romae. 1808. Nova editio libelli, iam in Literatura Sec. XVIII. recensiti.

XXXIV. Idem, *de Ecclesia eiusque Notis.* Opus posthumum. In eo egregie explicat notam Unitatis, et residentem in Petri Cathedra doctrinam veritatis.

XXXV. Idem, *de Pontificii Primatus auctoritate in Petri cathedra eiusdemque successorum a Christo constituti, adversus ‚Marsilii Menandrini' exitialem errorem a Iodoco Coccio notatum lib. 7. de Hier. Eccl. Specimen traditionis S. Sedis Ap. in Synodis etiam Oecumenicis agnitae et comprobatae.* Opus aeque posthumum. Praeclara discussio et castigatio erroris Marsilii, quasi Petrus a Domino immediate nullam accepisset peculiarem supra ceteros Apostolos potestatem.

XXXVI. Idem, *de sacri regiminis, ac praesertim Pontificii Primatus proprio ac singulari iure in omni ecclesiasticae potestatis communicandae ratione, adversus ‚Slevogtium.'* Opus posthumum, a. 1808. primo editum.

XXXVII. Idem, *in ‚Georgii Sig. Lakics' praelectiones canonicas de legitima Epporum instituendorum ac destituendorum ratione animadversiones.* Opus posthumum.

XXXVIII. **Theoduls Gastmahl** *oder über die Vereinigung der verschiedenen christlichen Religions-Societäten* Frankfurt. 1809. In prima hac praeclari operis editione egregia continetur repetitis vicibus Pontificatus apologia, convellens asserta Protestantium de usurpata per Papas suprema auctoritate, cum haec auctoritas in ipsis christianismi principiis radicetur, et necessitas Primatus ab ipsis Protestantibus saepius agnita fuerit.

XXXIX. **Leon Adami** *diss. critica sull' martirio di S. Pietro.* Roma. 1809.

XL. **Frölich** O. S. B. sententiam suam de suppositis Cypriani ac Firmiliani epistolis, a. 1808. propositam duplici dissertatione denuo evolvit: *Controversia SS. Cypriani et Stephani de baptismo, critico examini subiecta, 1. ex notis externis. 2. ex notis internis.* 1809. 1810.

Literatura specialis de conversione F. L. Com. Stolberg.

Friderici Leopoldi Comitis a Stolberg conversio ad fidem unice salvificam, quae principio huius seculi evenit, nonnulla scripta peperit tum ex parte ipsius Comitis, tum ex parte adversariorum: et cum utrobique inter cetera quaestio etiam de Capite Ecclesiae pertractetur, scriptorum horum elenchum praesente loco subnectimus:

XLI. **Stolberg** *Brief an ‚Lavater' über seine Rückkehr zur kath. Kirche.* 1800.

XLII. Idem, *Brief an Herrn Grafen Sch . . . vom 2. Oct. 1800.* Epistola gallice exarata, et in Ephemeridibus Erlangensibus 1801. vulgata. In ea fuse proponit causas, ob quas relicto Protestantismo ad sinum Matris Ecclesiae redierit.

20. *Muthmassliche Bewegungsgründe des Herrn ‚Grafen zu Stolberg Friedrich Leopold' zum Übergange in die römische Kirche. Von einem Freunde des Wahren und Guten.* Leipz. 1801.

21. **Casp. Lavater** *epistola ad Comitem Stolberg, dd. 4. Oct. 1800.* vulgata in: ‚*Salzburger* Literaturzeitung. 1802.

22. *Freimüthige Beleuchtung einer merkwürdigen Begebenheit unserer Tage, des Übertritts des Gr. ‚Stolberg' zur römisch-kath. Kirche.* Leipzig. 1801. Refutatum est praesens scriptum sequenti libello:

XLIII. *Beleuchtung der freimüthigen Beleuchtung des Übertritts etc.* Osnabrück. 1802.

23. **Iacobi** *duplex epistola de conversione Stolbergii.* In: ‚Deutscher Merkur. XI. St. 1802.'

24. **I. H. Voss** *epistola de eodem obiecto.* in: ‚Allgemeiner liter. Anzeiger. Juni. 1801.'

25. *Warnung an Stolberg.* 1801. Est carmen contra con-

versionem Comitis, recusum in: ‚Theologische Nachrichten. Rinteln. 1801.‘

XLIV. **Stolberg** *zwo Schriften des heil. Augustinus von der wahren Religion und von den Sitten der kath. Kirche, mit Beilagen und Anmerkungen. ‚Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen. Pacian.‘* Münster und Leipzig. 1803. Respondet suis adversariis inclytus auctor.

26. *Gedanken eines evangelischen Christen über das Buch ‚Stolberg's‘.* Jena. 1803.

XLV. *Über den Übertritt des Herrn Gr. ‚Stolberg‘ zur kath. Kirche. Ausgehoben aus der Linzer Monatschrift.* Linz. 1804.

Decennium II. a. 1810—1819.

27. **Pereira** *Abhandlung von der Macht der Bischöfe.* Bamberg. 1810. Est nova editio libri portugallici contra Primatum a famoso Oratorii presbytero vulgati Sec. 18.

28. Idem, *Abhandlung von dem Recht der Metropolitane über ihre Bischöfe.* Bamberg. 1810. Pariter nova editio alterius libelli eodem auctore.

29. *Kurze Geschichte der Isidorischen Decretalen-Sammlung nebst der Darstellung der durch dieselbe eingeführten Grundsätze der kirchlichen Hierarchie.* In: ‚*Linzer* Monatschrift. 1810. I. 3.‘ Auctor dissertationis principia monarchici regiminis in Ecclesia nomine ‚ultramontanorum‘ compellat, et originem eorum mercibus pseudo-Isidori attribuit.

30. *Von kirchlichen Dispensationen.* In: ‚*Linzer* Monatschrift. 1810. II. 34.‘ Ad quaestionem: cui competat ius dispensandi? responsurus auctor, principia proponit, iuribus Primatus nequaquam conformia, et potestatem Epporum supra illam Primatus extollit.

31. *Frage: da jede dogmatische Lehre einen Einfluss auf die Sittlichkeit äussern muss, so fragt es sich, welchen Einfluss die dogm. Lehre von einem Oberhaupte der Kirche oder Papst, rein und katholisch aufgefasst, auf die Sittlichkeil der Christen äussern könnte und sollte?* In: ‚Ulmer Jahrschrift für Theol. u. Kirchenrecht der Katholiken. III. 277. Ulm. 1812.‘

Iuxta liberalem conceptum, quem de Papa sibi efformat auctor resolvit quaestionem propositam.

32. **Claudius Buckanan** *Rescarches asiatiks.* London. 1812. Liber contra Rom. Sedem odio et ira plenus: provocans Anglicanam Ecclesiam, ut cum illis sectis se uniat, quae auctoritatem Papae reiiciunt.

33. *Bekenntnisse eines Protestanten über den Cultus seiner Kirche, die Nothwendigkeit einer Reform desselben, und über die Ideen einer Vereinigung aller christlichen Religionsformen im Gesichtspuncte der Moral und Politik.* Berlin. 1812. Tamquam unam e fundamentalibus conditionibus unionis proponit: abrogationem Papae qua Capitis Ecclesiae.

34. *Analecta critica de Hadriano VI. P. R.* Ienae. 1813. s. In hoc libello, duabus dissertationibus constante, electio Hadriani, eiusque contra Lutherum suscepta consilia impugnantur.

35. **Marsch** Eppus Anglicanus, *A comperative view of the churches of England and Rome.* Cambridge. 1814.

36. *Materialien über das Recht der Metropoliten, die neu ernannten Bischöfe zu bestätigen.* In: ‚*Archiv* für das kath. Kirchen- und Schulwesen. III. 3. St. Frankfurt. 1815. p. 3.‘ Contra ius Primatus confirmandi Eppos.

37. **I. Danzer** *Aphorismem über die Kirche Jesu Christi und die Kirchengewalt.* In: *Ulmer* Jahrschrift für Theol. und Kirchenrecht. IV. Ulm. 1815. p. 154.‘ Contra supremam R. P. potestatem, quam collegio Praesulum subordinat.

38. **Schiemann** *de Pontificibus Romanis inter se contrariis.* Regiomonti. 1815.

39. **Jung** *Beitrag zu Ideen über Kirche und Kirchengebräuche.* Berlin. 1815.

40. *Einfluss des XIX Jahrhunderts auf den Katholicismus.* 1816. Pro Reformatione totius systematis Catholicismi, praesertim Papatus.

41. **Böckel** *adumbratio quaestionis de controversia inter Paulum et Petrum, ad illustrandum locum Gal. II, 11—14.* Lipsiae. 1817.

42. **Estrup** *idea hiearchiae Romanae, qualis Sec. XIII in Scandinavia praesertim extitit.* Berolini. 1817.

43. *Von den geistlichen Angelegenheiten.* Im October 1817. Auctor libelli istius in tractatu ‚Die kath. Kirche und der

Papst,' iuxta principia Seculi XV in Conciliis eius temporis vigentia, Papam omni pene reali suprema auctoritate exuit.

44. *Die neuesten Bemühungen eines geheimen römisch-deutschen Obscuranten-Clubs.* Deutschland. 1817.

45. **Irenaeus II.** *das neue Pabstthum, oder über den Zweck, die Möglichkeit und die Folgen der projectirten Vereinigung der protest. Kirchen.* Boston. 1818. Scriptum ironicum, cuius auctor Papatum tantopere horret, ut unionem pure hoc ex obtutu disvadeat, quod eius sequela futura sit: hierarchia papalis et vis conscientiis illata.

46. *Der Geist der Römischen Curie.* München. 1818.

47. **Tamburini** *vera idea della S. Sede.* Milano. 1818. Est primum volumen collectionis auctorum Mediolani vulgatae, secus autem nova editio operis, de quo in Literatura Sec. XVIII. plura monuimus.

